BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
27 N
11

Digitized by Google

B
27

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISCOPVS REGVLARIS,

SEV

TRACTATVS

DE REGVLARI ASSVMENDO.

& aſſumpto ad Epiſcopatum,

In quo Epiſcopi Regularis Mores, Vota, Obſeruantiæ, Ritus, Habitus, Priuilegia, & Pœnæ expenduntur,

Omniaque declarantur, quæ ante adeptum Epiſcopatum, in Epiſcopatus regimine, eoque dimiſſo, vel nunquam impoſito, ſeu impedito circa Regularem poſſunt occurrere.

Acceſſerunt duo Indices per numeros marginales inſtructi, Vnus in Operis veſtibulo omnium Canonum, qui adducuntur, Poſterior in fine, qui res notabiles indigitat.

AVTHORE

F. REGINALDO LVCARINO de Trebis
Ord. Præd. Epiſcopo Ciuitatis Plebis V.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

IHS

ROMAE,
Ex Officina Typographica Caballina. M. DC. LIX.
Superiorum permiſſu.

Dom. Prof. Rom.

Digitized by Google

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſsimo P. Sacri Palatij Apoſtolici Mag.

M. A. Epiſc. Ierapolitanus Viceſg.

Approbationes.

IVſſu Reuerendiſſimi P. F. Raymundi Capiſuchi Ordinis Prædicatorum Sac. Apoſt. Pal. Mag. legi accuratè Tractatus hiſce de Epiſcopo Regulari, & in ijs nihil reperi, quod non ſit conſentaneum fidei catholicæ, & bonis moribus, quin iudico è bono publico futurum ſi liber in lucem prodeat, auctor enim ingenij, & iudicij dexteritate, & dictionis aptiſſimę perſpicuitate implexas quæſtiones ita explicat, vt non minus pietatem, & religionem oſtendat, quàm doctrinam ſolidam, vt ſanè inter Doctores ſapientiſſimi Ord. Prædicatorum iure meritò poſſit recenſeri. Ita cenſeo, & me ſubſcripſi in Collegio Pœnitentiariæ Sancti Petri 18. Ianuarij 1659.

Georgius Tagliauia Societ. Ieſu.

Digitized by Google

VIdi iuſſu Reuerendiſſimi Patris Raymundi Capiſuchi Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri eruditiſſimum, & abſolutiſſimum Tractatum de Epiſcopo Regulari ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo F. Reginaldo Lucarino Ordinis Prædicatorum Epiſcopo Ciuitatis Plebis compoſitum, in quo nihil prorſus reperi, quod catholicæ Fidei, bonis moribus, Sanctorum Patrum Traditionibus, Sacris Canonibus, aut Concilijs, Summorum Pontificum Conſtitutionibus, vel alicuius Sacræ Congregationis Decretis, aut Declarationibus non ſit omnino conſonans. Et quia eſt breui ſimul, ac facili methodo diſpoſitus, & in tutioribus ſimul, ac probabilioribus opinionibus ſeligendis, tradendis, explicandis apprime ſingularis, digniſſimum iudicaui, qui, ſi eidem Reuerendiſſimo videbitur, ad communem vtilitatem in lucem edatur. Dat. ex Conuentu Sanctæ Mariæ de Populo hac die 22. Ianuarij 1659.

Ita eſt, Fr. Hieronymus Nicolius Sacræ Theol. Lector, I. V. D. & Parochus Eccleſiæ ſupradictæ manu propria.

Imprimatur.

F. Raymundus Capiſucus Mag. S. P. A.

Digitized by Google



S·THOMASSO·DI·VILLA·NVOVA

Oratio ad S. THOMAM de VILLANOVA
Eremitam Auguſtinianum, Archiep. Valentinum,

in qua

F. REGINALDVS LVCARINVS Ord. Præd. Epiſc.
Ciuiplebis eius apud DEVM patrocinium implorat.

SCRIPSERAM in reſidentia Eccleſiæ, cui DEO ordinante ſeruio (Præſul ſanctiſſime THOMA) tractatũ de Epiſcopo Regulari, quem diſponebam tempore, quo me præſcripta Sac. Liminum viſitatio Romæ detinebat, in qualecunque Reuerendiſſimorum Dominorum meorum Regularium Epiſcoporum cõmodum impræſſum

cuul-

vulgare. Id felicius accidere non poterat, quàm eodem ipſo tempore, quo Sanctiſſimus Dominus noſter, Dominus ALEXANDER VII. PONT. OPT. MAX. vt te ob multas, præclaraſque in paſtorali munere virtutes tanquam Epiſcoporum exemplum noſtro hoc æuo proponeret, Sacro Canonizationis ritu Sanctorum faſtis aſcripſit; Regularem enim Epiſcopum, quem ego rudi calami penicillo formare cogitaueram, tu Regularis Epiſcopus in humanis Pontificale opus abſolutiſſime exercendo, perfectiſſime expreſſiſti, nec quicquam in meo Tractatu adumbrare vnquam potuiſſem, quod tu in hac Vita docendo, & faciendo, glorioſius, ac ſolidius non perfeceris.

Age nunc (Sanctiſſime Præſul) apud Omnipotentem DEVM, qui te meritis illuſtrem, ac miraculis præfulgentem, magnum fecit in Regno Cœlorum, vt nos Regulares Epiſcopi de tua Canonizatione gratulabundi, te Regularem Epiſcopum Prototypon ſemper præ oculis habentes, nos ipſos ad factorum tuorum formam effingere valeamus, quatenus ſeruatis religioſæ profeſſionis moribus cum opere Pontificali, ad actæ vitæ tuæ ſeriem actiones, noſtras componētes, mereamur, expleta mortalitate, immortali tecum gloria in Cœlo coronari. Amen.

✠

Digitized by Google

Emin.mo & R.mo PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO

EPISCOPO PORTVENSI

S.R.E. Cardinali Vicecancellario.

F. REGINALDVS LVCARINVS Ordinis Prædicat. Epiſcopus Ciuitplebis

P. S. & Æ. F.

CAVSAE ſunt innumeræ, eæque grauiſsimæ, Eminentiſsime Princeps, quibus debitor animus meus vrgetur ad innumera, quæ in me contuliſti beneficia, quoquo modo compenſanda, *Qui enim accipit beneficium* Seneca teſte lib. 2. de Benef. cap. 82. *non dum conſummauit officium ſuum, reſtat enim pars reddendi*. Verum quæ à te accepi beneficia, præ multitudine, ac magnitudine, nedum rependere, ſed nec quidem numerare me poſſe ſcio. Vnum, quod inter cętera dixerim pręcipuum, tibi reddere ſub aliqua compenſationis ſpecie putaui, cum illud idem vocibus, & litteris deſcriptum, ac in Volumine; veluti in pictoria Tabula delineatum, & expreſſum ad te deſtinaui. Ego Regularis, te authore Epiſcopus à Magno Vrbano Patruo tuo renunciatus

fui,

ſui, nunc Tractatum, quem edidi ſub Epiſcopi Regularis nomenclatura, in officij mei, exigui per ſe, licet, conſummationem tibi reddo. Indignum plane opus, quod ſub tuo digniſſimi Principis nomine auguſtiſſimo publicetur; tuum enim nomen præfert eximia merita, quibus in Eccleſia fulges pro tot tantiſque difficultatibus exantlatis periculoſis illis temporibus, quibus in partem ſolicitudinis omnium Eccleſiarum à Chriſti Domini Vicario beatiſſimo eras aſcitus, expletque dotes eximias, virtutes heroicas, ſummamque eruditionem, quibus animus tuus è Vaticano Cœlo lucet in Orbe. At tenebras, quę in hoc Tractatu ſunt, tui nominis luce perfundere quęſo non dedigneris: liberalitatem enim erga me tuam tenebrę iſtę clariorem reddent, ſicut & ego debitor gratus eandem tibi iucundiorem faciam.

Vale.

Can-

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI.

Conſilium ſuum Author exponit.

VBI primum Vrbanus VIII. Pontifex clara cum laude notitia toti Orbi conſpicuus me ex officio Magiſtri Sac. Palatij, quod ſingulari benignitate commiſerat, ad epiſcopalem Ciuiplebis cathedram pari beneficio præter omnem expectationem aſſumpſit, veritus ruinam huic celſitudini annexam, nihil attentius curandum mihi eſſe putaui, quàm conari mores, & actus meos ad præſcriptas Sac. Canonum regulas ita componere, vt, Deo iuuante, eſſem in opere, qualis euaſeram in dignitate. Inde in ſcriptis Doctorum libris de officio Epiſcopi agentibus indagare cœpi, quę nouiſſe opportebat, vt executioni conſilium reſponderet, in hac inquiſitione, quæ Epiſcopo Regulari erant indiuidua, ab his, quæ cæteris erant communia, ſeligebam, vt quæ mihi Epiſcopo Regulari erant propria, eſſent inſuper in meditatione magis in promptu, ſelecta in vnicum Tractatum compilaui, vbi, breuitati conſulens, prætermiſſa Doctorum multiplici allegatione, illos tantum paſſim adduxi, qui alios in magna copia locis indicatis attulerunt: ſed meus hic Tractatus dum publicis formis ſe prodit, ingenij quoque mei imbecillitatem exponit. Tu Lector pro tua pietate defectus excuſabis, & conatum, quo non mihi ſoli, ſed alijs etiam laboraſſe curaui, candide excipias, & gratum habeas. Cumque hunc Tractatum ſtudioſe percurris (vtor verbis S. Gregorij *Ep.* 46. *lib* 4.) peccata mea ſtudioſius defleas, ne mihi culpæ grauioris ſit, quod quaſi ſcire videor, quod agere prætermitto.

INDEX CAPITVM

Numerus paginam deſignat.

Caput Primum. De Regulari aſſumendo ad Epiſcopatum. 1
§. 1. An liceat Regularem ad Epiſcopatum promouere. 2
§. 2. A quo Regularis ſit ad Epiſcopatum promouendus. 4
§ 3. An expediat Regularem ad Epiſcopatũ promouere. 18
§. 4. Quibus actionibus Regularis ad Epiſcopatum promoueatur. 32
§. 5. An Regularis poſſit appetere, vel procurare ſuam ad Epiſcopatum promotionem. 50
§. 6. An Regularis ad Epiſcopatum promotus debeat ſponte, vel nonniſi coactus ſuæ promotioni conſentire. 62
§. 7. An liceat Regulari ponere impedimenta, quæ prohibeant ipſius promotionem ad Epiſcopatum. 83
Caput Secundum. De Regulari aſſumpto ad Epiſcopatum. 94
§. 1. De moribus Epiſcopi Regularis. 94
§. 2. De Votis Epiſcopi Regularis. 105
Articulus Primus. De Voto Caſtitatis. 110
Articulus Secundus. De Voto Obedientiæ. 111
Articulus Tertius. De Voto Paupertatis. 117
Punctum Primum. De Acquiſitione bonorum temporalium Epiſcopi Regularis. 123
Punctum Secundum. De retentione bonorum temporalium Epiſcopi Regularis. 130
Punctum Tertium. De vſu bonorum temporalium Epiſcopi Regularis. 137
Punctum Quartum. De facultate Epiſcopi Regularis donandi, & teſtandi. 145
Articulus Quartus. De votis citra tria Religionis ſubſtantialia. 155
Punctum Primum. De Votis emiſſis ab Epiſcopo Regulari in ſtatu ſæculari. 156

Punct.

Punctum Secundum. De Votis Epiſcopi Regularis emiſſis in ſtatu Religioſo citra ſubſtantialia. 158
Punctum Tertium. De Votis Epiſcopi Regularis in ſtatu Epiſcopali. 162
Punctum Quartum. Ad quem pertineat irritare, commutare, ſeu diſpenſare Vota Epiſcopi Regularis in quocunque ſtatu fuerint emiſſa, citra tamen illa, quæ ſunt Religionis ſubſtantialia. 171
§. 3. De Obſeruantijs, ad quas tenentur Epiſcopi Regulares. 190
§. 4. De Ritibus Epiſcopi Regularis. 198
§. 5. De Habitu Epiſcopi Regularis. 209
§. 6. De Priuilegijs, & Pœnis Epiſcopi Regularis. 223
Caput Tertium. De Epiſcopo Regulari, qui ſubditos habet, ſed ad eos regendos ire non poteſt, vel ſubditos non habet, cum ſit tantum Titularis, vel qui Epiſcopatum dimiſit, vel ſimpliciter, aut ad aliam Eccleſiam tranſlatus. 236
§. 1. Vtrum expediat promouere Regularem ad Epiſcopatum Titularem, vel admittere eiuſdem Regularis iam Epiſcopi renunciationem, ſeu eundem ad alium Epiſcopatum transferre. 237
§. 2. An Epiſcopus Regularis non habens ſubditos actualiter teneatur redire ad Religionem ſub obedientia Prælatorum Regularium. 247

Index Canonum, qui in hoc Tractatu adducuntur. Numerus numerum marginalem indicat.

EX DECRETO.

Cap. Conſuetudo. *diſt.* 4. 252
Quis neſciat. *diſt.* 2. 7
Erit autem lex. *diſt.* 4. 55
Ad eius. *diſt.* 5. 84
Quis neſciat. *diſt.* 11. 7
Nerui. *diſt.* 13. 29
Omnes. *diſt.* 22. 7. 16
Qui Epiſcopus. *diſt.* 23. 161
In nomine Domini. *diſt.* 23. 14
Qui Epiſcopus. *diſt.* 26. 161
Vnus. *diſt.* 26. 52
Vna. *diſt.* 26. 52
Qui ſine crimine. *diſt.* 26. 52
Quod interrogaſti. *diſt.* 27. 98
Prius quam ad nos. *diſt.* 28. 53. 92
Si quis virorum. *diſt.* 30. 166
De Siracuſanæ. *diſt.* 30. 166
Quoniam. *diſt.* 31. 53
Turbat. *diſt.* 37. 130
Ante omnia. *diſt.* 40. 50. 136
Multi. *diſt.* 40. 92
Epiſcopus vilem. *diſt.* 41. 58. 167
Si quis abſcidit. *diſt.* 55. 143
Presbyterorum. *diſt.* 56 344
Miramur. *diſt.* 61. 47
Catinenſis. *diſt.* 61. 53
Benè. *diſt.* 61. 54
Valentinianus. *diſt.* 63 136
Si fortè. *diſt.* 63. 73
Quia per ambitiones. *diſt.* 64. 252
Epiſcopum. *diſt.* 64. 332
Geſta. *diſt.* 74. 140
Vbi iſta. *diſt.* 74. 140
3. Si quis. *diſt.* 79. 74
Oportebat. *diſt.* 79. 78
Nullus. *diſt.* 79. 78

Si

Si duo. *diſt.* 79. 69
Archidiaconus. *diſt.* 85. 81. 142. 144. 158
Fratrem noſtrum. *diſt.* 86. 164. 171
Eſt probanda. *diſt.* 86. 243
Epiſcopus nullam. *diſt.* 88. 164
Contra morem. *diſt.* 100. 58
Non eſt putanda. 1. *q.* 1. 100
Clericos. 1. *q.* 2. 218. 219. 239
Paſtor. 1. *q.* 2. 218. 219
Sacerdos. 1. *q.* 2. 218. 219
Sicut is. 1. *q.* 6. 59. 92. 136. 140. 143
Petijſti. 7. *q.* 1. 67
Hoc nequaquam. 7. *q.* 1. 364
Epiſcopo. 8. *q.* 1. 11. 67
In ſcripturis. 8. *q.* 1. 50. 112. 113. 118. 121. 130. 140
Qui Epiſcopatum. 8. *q.* 1. 92
Conquæſtus. 9. *q.* 3 252
Certè. 12. *q.* 1 219
Epiſcopi. 12. *q.* 1 241
Manifeſta. 12. *q.* 1 241
Sint manifeſtæ. 12. *q.* 1. 226. 241
Illi autem. 12. *q.* 1. 218. 219
Quiſquis Epiſcopus. 12. *q.* 2. 243
De Monachis. 16. *q.* 1. 1. 174. 177. 306. 326
Nemo. 16. *q.* 1. 305. 307
Doctos. 16. *q.* 1. 344
Si Monachus. 16. *q.* 1. 211
Ex authoritate. 16. *q.* 1. 344
Monachos quoque. 16. *q.* 1. 1
Vos autem. 16. *q.* 1. 2. 183
Hinc eſt. 16. *q.* 1. 35
Quoniam quicquid. 16. *q.* 1. 218. 219
In nona. 16. *q.* 7. 326
Statutum. 18. *q.* 1. 1. 164. 179. 185. 199. 215. 305. &c.
Quam ſit neceſſarium. 18. *q.* 2. 74. 76. 81
Quia ingredientibus. 18. *q.* 2. 241
Perlatum eſt. 18. *q.* 2. 241
1. Peruenit. 18. *q.* 2. 344
Monacho. 20. *q.* 4. 269
In principio. 21. *q.* 4. 166
Omnis, 21. *q.* 4. 166

Nul-

Nullus. 21. *q.* 4. 166
Epiſcopi. 21. *q.* 4. 329. 340
Diſplicet. 23. *q.* 4. 140. 141
Omnibus. 30. *q.* 1. 344
Honoratur. 32. *q.* 2. 121
Non licet Abbati. *de conſec. diſt.* 4. 264. 344
Monachi. *diſt.* 4. 344
Carnem. *diſt.* 5. 306. 348

EX DECRETALIBVS.

Cum venerabilis, *de conſuetud.* 80
Cum tanto, *de conſuetud.* 321
Etiamſi, *de poſtulat. Prælat.* 70
Significaſti, *de electio. & electi poteſt.* 23
Licet, *de electio. & electi poteſt.* 4. 78
Inter corporalia, *de translat. Epiſc.* 199
Niſi cum pridem, *de renunciat.* 75. 364
Poſt tranſlationem, *de renunciat.* 75. 345
Paſtoralis, *de filijs Presbyt.* 344
1. Ex parte, *de offic. & poteſt. Iudicis delegati.* 216
Ex parte, *de poſtulando.* 324
Dilecti, *de arbitris.* 252. 321
At ſi Clerici, *de iudicijs.* 288
Nouit, *de iudicijs.* 252
Peruenit, *de iureiurando.* 103
Debitores, *de iureiurando.* 296
Deus qui, *de vita, & honeſtate Cleric.* 324. 335
Clerici officia, *de vita, & honeſtate Cleric.* 166. 318. 326. 351
Quod ad te, *de Clericis coniugatis.* 363
Cum ad noſtram, *de inſtitution.* 284
Inueſtigandum, *de pecul. Cleric.* 226. 241
Cum vnuſquiſque, *de pecul. Cleric.* ibidem.
Quorundam, *de Teſtamentis.* 219.
Quia ingredientibus, *de Teſtam.* 241
11. Relatum, *de Teſtam.* 245
Sancto, *de ſucceſſione ab inteſtato* 248
Licet. *de Regul. & translat. ad Relig.* 11. 153. 368
Scripturæ, *de Voto.* 131. 254
Non eſt, *de Voto.* 28
Magnæ, *de Voto.* 270. 281

Per

Per tuas, *de Voto*. 103. 123. 300. 364
Cum ad Monaſterium, *de ſtatu Monachorum*. 184. 206. 348
Quoniam, *de iure patronatus*. 73
Per noſtras, *de iure patronatus*. 285
Explicari, *de obſeruan. ieiun.* 311
Sententiam ſanguinis, *Ne Clerici, vel Monachi*. 146
Nemo, *de ſimon.* 146
Tua nos, *de homicid.* 146
Cum olim, *de priuileg.* 243
Ne pro dilatione, *de pœnitentia, & remiſſ.* 284

EX SEXTO.

Vbi periculum, *de elect.* 4
Quorundam, *de elect.* 1. 17. 64. 69. 73. 74. 81. 99
Si Religioſus, *de elect.* 1. 17. 74. 81. 83
Quam ſit, *de elect.* 74
Nullus Religioſus, *de elect.* 1. 83. 333
Si Abbatem, *de elect.* 80
Is qui, *de filijs Presbyter*. 251
Quamuis, *de Prabendis*. 216
Qui poſt Votum, *de Regular.* 89. 254. 257
Quoniam Epiſcopi, *de Priuilegijs*. 342
Vt periculoſa, *Ne Clerici, vel Monachi*. 351

EX CLEMENTINIS.

Cum rationi, *de elect.* 1. 17. 223. 324
Ne Romani, *de elect.* 4
Quod circa, *de elect.* 72
In pleriſque, *de elect.* 86. 346. 353
Cum conceſſa, *de elect.* 64. 74
Quoniam, *de vita, & honeſtate Clericorum*. 339
Vt profeſſores, *de Regul. translat.* 370
Ne in agro, *de ſtatu Monachorum*. 167
Dignum prorſus, *de Celebratione Miſſarum*. 315. &c.

EX EXTRAVAG.

Diſpendijs, *De Poſtulat. Prælat.* 85

Digitized by Google

ERRATA GRAVIORA.

Pag. 17. ly. Ad illud deeſt 21. Pag. 19. ly. Quæſitum. deeſt. 33. Pag. 21. ly. Inſuper. deeſt. 38. Pag. 23. ly. Dicendum. deeſt. 43. ly. Dato. deeſt. 44. Pag. 25. ly. Nam hæc. deeſt. 52. ly. Accedit. deeſt. 53. Pag. 28. ly. Ad ſecundum. deeſt. 55. Pag. 29. ly. Tandem. deeſt. 57. Pag. 34. lin. 25. Dictus. lege dictas. Pag. 35. lin. 11. 38. lege 58. Pag. 38. lin. 7. Videre. lege videri. pag. 39. ly. ſed quæres. deeſt. 76. Pag. 41. lin. 5. IV. lege III. Pag. 44. linea. 17. tomo. lege tract. Pag. 47. lin. 14. & 15. circa. lege citra. Pag. 52. lin. 13. IV. lege III. Pag. 62. lin. 24. intelligenda eſt. lege intelligenda non eſt. Pag. 64. lin. 2. authore. lege authoritate. Pag. 67. lin. 16. Silueſter. lege Silueſtri. Pag. 71. lin. 27. Ob. lege de. Pag. 72. lin. 19. Injungeret. lege. iniungere. Pag. 84. ly. Videtur. deeſt. 142. Pag. 86. ly. Quæres. deeſt. 149. Pag. 89. ly. Dico. deeſt. 154. Pag. 96. lin. 33. eſt Narſi. lege. eſt ad Narſi Pag. 97. lin. 41. ſed ieuertamur. lege reuertamur. Pag. 99. lin. 39. ſuppellectile. lege ſupellectilis. Pag. 100. lin. 36. negliguat. lege. negligunt. Pag. 102. lin. 30. delectatione. lege. dilectione. Pag. 108. linea. 11. nunquem. lege. nunquam. lin. 22. eo. lege. eos. Pag. 118. lin. 40. Thomã. lege Thomæ. Pag. 124. linea. 35. dele. vnde. Pag. 152. lin. 1. Papa. lege. ſi Papa. lin 39. teſtando. lege. teſtandi. Pag. 155. lin. 6. Illique. lege. illiſque. Pag. 179. lin. 22. lib. 3. lege. lib. 2. Pag. 183. ta. lege. tæ. Pag. 200. lin. 5. dicto. lege. dico. lin. 26. ly. Diana. deeſt. 317. Pag. 219. lin. 11. probus. lege probis. Pag. 225. lin. 32. permaneant lege. permanent.

DE

Digitized by Google

EPISCOPVS REGVLARIS,

SEV

Tractatus de Epiſcopo Regulari.

IN hoc tractatu veluti in quadam tabula propoſui Epiſcopi Regularis lineamenta ducere, eiuſque ſtatum veluti in quodam exemplari apparentem inſpiciendum tradere; ſed *quia penſandum valde eſt ad culmen quiſque regiminis qualiter veniat*, (*vt dixit ſanctus Gregorius in proœmio ſuorum librorum Regulæ Paſtoralis*), antequam Epiſcopi Regularis formam iuxta Sacrorum Canonum præſcriptas leges, & magis receptas Doctorum ſententias effingam; indicaui prius quærendum eſſe, quid dicendum ſit de Regularis aſſumptione ad Epiſcopatum: ſit ergo

CAPVT PRIMVM.

De Regulari aſſumendo ad Epiſcopatum.

Circa quod quæruntur ſeptem.

Primò. An liceat Regularem ad Epiſcopatum promouere.
Secundò. A quo Regularis ſit ad Epiſcopatum promouendus.
Tertiò. An expediat Regularem ad Epiſcopatum promouere.
Quartò. Quibus actionibus Regularis ad Epiſcopatum promoueatur.
Quintò. An Regularis poſſit appetere, vel procurare ſuam ad Epiſcopatum promotionem.
Sextò. An Regularis ad Epiſcopatum promotus debeat ſpon-

Digitized by Google

tè, vel nonniſi coactus ſuæ promotioni conſentire.

Septimò. An liceat Regulari ponere impedimenta, quæ prohibeant ipſius promotionem ad Epiſcopatum.

§. I.

An liceat Regularem ad Epiſcopatum promouere.

SVMMARIVM.

Iura, & conſuetudo eligendi Regulares in Epiſcopos . 1

Tranſitus Religioſi ad Epiſcopatum non eſt Apoſtaſia .

Monachorum propoſitum olim non fuit præparari ad Epiſcopatum. 2

Caluini error improbatur.

S. Auguſtini verba exponuntur.

Religioſorum propoſitum eſſe debet perpetuo commorandi in Monaſterio. 3

1 EX ipſis ferè Apoſtolorum temporibus Eccleſia Religioſos viros ab Eremo, & monachali conſuetudine eductos, ſæpè ad Epiſcopatus opus aſſumpſit, quem vſum comprobant innumeri, quos à primis reparatæ ſalutis ſæculis legimus in ſacris hiſtorijs prius Religioſos, poſtea Epiſcopos fuiſſe. Inſuper in ſacris Canonibus ſancitum eſt licere Regulares in Epiſcopos eligere; ita 16. *quæſt.* 1. *cap. De Monachis*, *& cap. Monachos quoque* 18. *quæſt.* 1. *cap. Statutum*. *In 6. de elect. cap. Nullus Religioſus*: *cap. Si Religioſus*: *cap. Quorundam*, *&c. & in Clem. ibidem cap. Cum rationi*; quod etiam ex alijs capitibus colligi poteſt, vt Canoniſtæ illa gloſſando aduerterunt.

Hinc patet dictum illud, quod attribuitur Io. Andreæ, ſcilicet, tranſitum de ſimplici Religioſi ſtatu ad ſtatum Epiſcopalem eſſe quandam ſubtilem Apoſtaſiam, falſum eſſe, & irreligioſum ac contra honorem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ prolatum, vt rectè Nauarr. dixit, & probauit euidenter Canonicis iuribus, & ratione *in* 2. *edit. conſ. tom.* 1. *tit. de donat. lib.* 3. *conſ.* 9. *num.* 10. *&* 13. Nota in hoc Tractatu me locuturum ſemper de Religioſo profeſſo; nam Nouitius electus in Epiſcopum, vt rectè fieri poſſet *ex cap. Nullus in 6. de elect.* deberet in omnibus cum ſæculari Epiſcopo æquiparari, vt dicetur num. 334. & ideo de eo agere non pertinet ad præſens inſtitutum.

Quæ

Digitized by Google

Qua verò actione, modo, forma, & circumſtantijs Regulares ad Epiſcopatum promoueantur, in ſequentibus, & præcipuè §. 4. huius Capitis declarabitur.

2 Sed ſi licuit ſemper Religioſum in Epiſcopum aſſumere, non inde benè deducitur à Caluino *Inſtit. lib.* 4. *cap.* 13. §. 8. olim pios viros, qui Monachi fiebant, hoc tantum intendiſſe, vt in Monaſticha diſciplina ſe præpararent ad Epiſcopatum: nam vt videbimus infra, ſancti viri inuiti de Monaſterio ad Epiſcopatum aſcenderūt, ex quo rectè Hæreticū dictū impugnat Bellarmin. *de Monachis contr. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 6 § *ſecundo dicit ibidem:* adductis plurium ſanctorum Epiſcoporum Monachorum ſententijs, quibus fatentur ſe nonniſi coactos Monaſterium reliquiſſe, cum ſcilicet, non liceret aliorum voluntati vlterius reſiſtere, qua ad Epiſcopatum vocabantur: error Caluini etiam euidēter euertitur ex docta eiuſdem Bellarm. pōderatione verborum ſancti Auguſtini, quæ habentur *in Epiſtola* 81. & recenſentur 16. *quæſt.* 1. *cap. Vos autem*, ex quibus ſuæ aſſertionis argumentum Hæreticus deſumpſit, & eſt vnicum eiuſdem erroris fundamentum; S. enim Auguſtinus in verbis ab Hæretico adductis innuit conſuetudinem tunc fuiſſe petendi Monachos, vt Epiſcopi fierent, quod ſi quando illis, ad quos ſcribebat, accidiſſet, hortatur S. Auguſtinus *vt dignitatem, nec elatione auida ſuſciperent, nec blandiente deſidia reſpuerent, ſed miti corde obtemperarent Deo*: inde deducitur Monachorum illorum propoſitum fuiſſe perpetuò viuendi in Monaſterio, aliàs non debuiſſet eos S. Auguſtinus hortari, vt Epiſcopatum non reſpuerent, nam iuxta errorem Caluini, Monachi erant vt ſe præpararent ad Epiſcopatum, deinde S. Auguſtinus Monachos illos admonet, vt propoſitum ſuum cuſtodirent, & in illo vſque in finem perſeuerarent, & poſtea ſubiungit: *Si contingeret quod eorum opera S. Eccleſia indigeret, non reſpuerent, ſed miti corde Dèo obtemperarent*; at vanum fuiſſet monere Monachos illos, vt ſuum cuſtodirent propoſitum perpetuo commorandi in Monaſterio, ſi propoſitum illud nunquam habuiſſent; ſed ingreſſi fuiſſent Monaſterium animo ibi commorandi tantum ad tempus, & ſolum vſque dum ad Eccleſiæ gubernacula vocarentur.

3 Propoſitum igitur Religioſorum primò, & per ſe eſt, vſque ad mortem in Monaſtica Regula intra clauſtra perſiſtere, cui propoſito non aduerſatur, quod præter eorum expectationem inducit aliquando obediendi neceſſitas; quia interueniente, de

Monaſterio educti, ad Epiſcopatum aſſumuntur; hoc enim debet eſſe per accidens, ac præter intentionem Religioſorum, qui aſſumuntur.

§. II.

A quo Regularis ſit ad Epiſcopatum promouendus.

SVMMARIVM.

Electio Summi Pontificis ad quos pertineat. 4
Hæc electio non indiget confirmatione. 5.
Regularis electus in Summum Pontificem à quo cogi poſſet ad acceptandum.
Vtrum Papa poſſit ſibi eligere ſucceſſorem. 6
Poteſt ferre leges obſeruandas in hac electione.
Plures Regulares fuere Summi Pontifices.
Summus Pontifex aſſumit omnes Epiſcopos. 7
Hæc aſſumptio non indiget confirmatione. 8
Papa habet ſuper omnes plenam, & abſolutam iuriſdictionem. 15
Poteſt eligere in Epiſcopum perſonam Regularem. 16
Poteſt cogere Regularem ad hanc electionem acceptandam. 18
Præciſa etiam neceſſitate. 22
Sancti coacti ad acceptandum Epiſcopatum. 19
Quando Summus Pontifex poſſit imponere opus conſilij. 20 26
Concilium Tridentinum non præſcribit Sum. Pontifici debitum eligendi meliorem. 23
Impugnare non licet electionem, quam Summus Pontifex fecit.
Qua poteſtate Summus Pontifex cogat Regularem ad acceptandum Epiſcopatum. 25
Diuerſitas inter Epiſcopatum, & Matrimonium. 26
De Regulari timente offendere Deum in Epiſcopatu. 29
Pericula Epiſcopi, & Regularis. 13 30
De ſancti Petri Damiani renunciatione. 14 31
Regularis poteſt eligi poſtulari, &c. in Epiſcopum à Papa inferioribus. 32

4 SVmmus Romanus Pontificatus, qui eſt totius Eccleſiæ Epiſcopatus, omniumque dignitatum mundanarum temporalium, & ſpiritualium faſtigium, quod ex Canonicis ſcripturis, Oecume-

menicis Concilijs, ac vnanimi Sanctorum Patrum conſenſu Doctores, qui Controuerſias tractant, perſpicuam veritatem eſſe demonſtrant, quam Hæreticorum impia mendacia infirmare non poſſunt, modo electione S. R. E. Cardinalium acquiritur: *cap. Licet de elect. cap. Vbi periculum, eodem tit. in 6. in Clemen. Ne Romani ibidem*, & in pluribus alijs poſteriorum Pontificum Conſtitutionibus; cùm antiquitus Cleri Romani ſuffragijs, vel nonniſi illo conſentiente, vt dicitur *diſtinct. 23. cap. In nomine Domini*, à Cardinalibus Summus Pontifex deſignaretur; olim ad id accedebat Imperatorum aſſenſus, vt notauit Acugna *diſtinct. 79. cap fin.* Imperatores enim vſurpato, vel ab ipſis Pontificibus conceſſo iure, vt ait Suarez *contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 29. num. 7.* electionem præfatam confirmare prætendebant quod tandem in Alexandro Tertio omnino ceſſauit: id vero Summi Pontifices pro eo tempore permiſerunt, quo Eccleſiæ gubernacula regere non potuiſſent, ſi Imperatores habuiſſent aduerſarios: ita Bellarmin. *tomo primo contr. de Romano Pontifice lib. 2. cap. 17.* deuoluta etiam inuenitur electio Summi Pontificis ad Concilium Generale, Concilij enim Conſtantienſis Deputati, vnà cum Cardinalibus, elegerunt Martinum V. non quidem de iure, ſed Cardinalibus cedentibus pro bono pacis reparando in illa ſchiſmatis longa, & periculoſa moleſtia; nam electio Summi Pontificis, etiam tempore, quo celebratur Concilium Generale facienda, pertinet ad Cardinales, vt de facto ſeruatum fuiſſe tempore, quo celebrabatur poſtremum Concilium Lateranenſe in electione Leonis Decimi euidenter conſtat, & decreuiſſe in Conciſtorio Pium Quartum narrat P. Pallauicinus *Hiſt. Concil. Tridentin. lib. 15. cap. 13. in fin.* Obſeruanda eſt quę iam limitatio huius doctrinæ, quam cum Albano excogitauere Diana *par. 5. tract. 2. reſol. 73.* & Azor *par. 2. inſtit. moral. lib. 4. cap. 2. quæſt. 13.* Si, dum procedendum eſt ad electionem Summi Pontificis, nemo eſſet de Cardinalium Collegio ſuperſtes, vtrum ad Concilium Generale, vel ad Patriarchas, ſeu ad Clerum Romanum, & præcipuè ad Canonicos Lateranenſes, electio Summi Pontificis cenſenda eſſet deuoluta: item, ſi vnus tantum Cardinalis ſuperſtes remanſiſſet, vtrum poſſet ſeipſum eligere, reſoluunt Doctores, quos citant Diana *par. 5. reſol. 72.* & Barboſa *in collect. in Clemen. de elect. cap. Ne Romani*, qui etiam erudite plura de electione Romani Pontificis ex varijs Authoribus collegit *diſtinct. 23. cap. In nomine Domini, & cap. Licet, ex-*

tra

tra de elect. cap. Vbi periculum, eodem tit. in 6. & alibi.

5 In electione Summi Pontificis, Electores, qui prius electo pares, vel etiam ſuperiores erant, terminata electione, electus à Chriſto ſtatim inueſtitur, prout Doctores communiter firmant, quos adducunt Acugna, & Barboſa *diſt. 79. cap. fin.* & fit Electoribus ſuis Superior, nec indiget alia confirmatione, vel conſenſu, vt etiam dicitur *dicto cap. In nomine Domini*, cum hæc electio ritè facta ſit ſuiipſius confirmatio, & in electum non ſit ſub Deo, qui habeat nec minimam iuriſdictionem, aut directam, vel indirectam, ſeu imaginabilem poteſtatem: in caſu, in quo Regularis electus in Summum Pontificem nollet electioni de ſe factæ conſentire, perpendenda eſſent, quæ doctè ſatis ſcripſit Card. Lugo *Reſp. mor. lib. 3. dub. 5. à num. 14.* dato vero, quod poſſet ad aſſentiendum cogi à Cardinalibus, quia ſcilicet in eligendo Summum Pontificem habent ipſi omnimodam poteſtatem, & conſequenter eſſet illis etiam poteſtas hæc cogendi ad acceptandum Pontificatum aſſerenda, cum cenſeatur medium neceſſarium in caſu poſito ad finem prouidendi Eccleſiæ de Paſtore, certè huic ſupremæ Cardinalium poteſtati teneretur Regularis in Summum Pontificem electus obedire, non ex vi voti obedientiæ, ſed ex vi legitimæ eorum iuriſdictionis à Chriſto Domino Eccleſiæ ſuæ relictæ; caſu vero occurrente, quod electus in Papam nollet acceptare Pontificatum, cum Cardinali prædicto iudicio Eccleſiæ acquieſcerem, quæ poteſtatem ſuam, Deo illuminante, agnoſcere poſſet.

6 An vero poſſit ipſe Summus Pontifex eligere ſibi ſucceſſorem, diſputant Theologi, quos ex vtraque parte adducunt Acugna *diſtinct. 79. cap. Si tranſitus*, Diana *par. 10. tract. 5. reſolut. 4.* & Candidus *Diſq. moral. tomo 4. Diſq. 6.* In hac difficultate, licet plures inclinent in partem negatiuam, quam Pium Quartum decreuiſſe narrat P. Pallauicinus *vbi ſupra*, tamen nemo negare poteſt poſſe Summum Pontificem multa decernere omnino ad validitatem electionis obſeruanda circa electionem ſui ſucceſſoris, vt rectè ex Flamin. dixit Barboſa *in Collect. extra de elect. cap. Licet, & diſtinct. 23. cap. In nomine Dominini.* Regulares vltra ſexaginta Sedem Apoſtolicam legitimè occupaſſe, ac in Summos Pontifices ritè, & rectè electos fuiſſe, patet expreſsè in Hiſtorijs Rom. Pontificum, in quibus id latius recenſetor, hos omnes Pontifices Summos ex Regularibus ordinibus aſſumptos collegit Platus *de bono ſtatu Relig. lib. 2. cap. 28.*

Sum-

7 Summo Pontifici de iure diuino competere aſſumere cæteros omnes Epiſcopos, eoſque Eccleſijs in toto Orbe præficere, probatur ex collata Petro, & ſucceſſoribus iuriſdictione *Matt.* 16. *& Io.* 21. conſtat inſuper ex pluribus iuris Pontificij Sacris Canonibus, præcipuè ex *diſt.* 11. *cap. Quis neſciat, & diſt.* 22. *cap. Omnes, & in Decretalibus ex tit. de elect. & tranſlat. Epiſcoporum*: idque confirmant validiſſimis rationibus S. Th. *in opuſc. contra errores Græcorum*, Caiet. *de auth. Papæ, & Concil. cap.* 13. Suarez *de Pænit. diſp.* 25. *ſect.* 1. *num.* 10. Dual. *tomo* 2. *par.* 3. *quæſt.* 6. Bellarmin. *contr. tomo* 1. *de Roman. Pontif. lib.* 4. *cap.* 24. *& tom.* 2, *de Clericis lib.* 1. *cap.* 8. Diana *par.* 10. *tract.* 1. *reſolut.* 1. Azor *inſtit. moral. par* 2. *lib.* 2. *cap.* 28. §. *Tertio quæritur*, Barboſa *de offic. Epiſc. par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 1.

8 Hæc electio facta à Summo Pontifice de perſona etiam Regulari, nulla indiget alterius confirmatione, nec aſſenſu, & cum ipſe ſit omnium Prælatus, & habeat omnes ſibi ſubditos, independentem à quocunque in omnes plenam exercet iuriſdictionem, & dominium abſolutum, eique tenentur omnes, tam in acceptando Epiſcopatum, quàm in cæteris quibuſcunque, quæ nec naturali, nec diuino iuri aduerſantur, obedire, vt docet S. Th. ex profeſſo *in dicto opuſc. contra errores Græcorum, & de Reg. Princ. lib.* 3. *cap.* 10. quod etiam inferius ſuo loco probabo quantum ad id, quod pertinebit ad meum inſtitutum. Verum cum agitur de aſſumendo ad particularem Epiſcopatum Regularem, impugnari poſſet hæc ſuprema Pontificis authoritas his, quæ ſequuntur argumentis.

9 Primo, nam Papa non poteſt iniungere opus conſilij, ſed Epiſcopatus opus eſt opus conſilij, quod etiam oblatum laudabilius recuſatur; ergo Papa non poteſt illud iniungere, ſicut non poteſt iniungere ingreſſum Religionis, & ſicut Religioſo non poteſt iniungere tranſitum ad ſtrictiorem, ita nec quòd acceptet Epiſcopatum: hoc argumento vſi ſunt quidam apud S. Th. 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *artic.* 4. *ad quartum*, qui dicebant, ſicut Papa non poteſt cogere ad contrahendum Matrimonium corporale, ita cogere non poteſt ad Epiſcopatum, in quo contrahitur Matrimonium ſpirituale.

10 Secundò, Papa vt ſupremus Prælatus poteſt omnia Regulari præcipere, quæ quilibet Prælatus Regularis poteſt, dum enim Regularis promiſit, vouendo obedientiam, ſuis Prælatis obedire, conſequenter promiſit eodem voto obedire etiam Papæ.

Ergo

Ergo Regularis tenetur obedire Papæ in omnibus, ad quæ ſe extendit eius votum, ſed votum obedientiæ à Regulari emiſſum non ſe extendit ad acceptandum Epiſcopatum, quia non vouit Regularis, niſi quod eſt in Regula, acceptare autem Epiſcopatum in nullius ordinis regula impoſitum inuenitur; ergo id à Papa illi iniungi non poteſt, patet conſequentia, quia ius Prælationis per Regulam limitatur, inquit S. Th. *quodlib.* 10. *artic.* 10. ergo ſi acceptare Epiſcopatum non inuenitur impoſitum in Regula, non poteſt id à Papa Regulari iniungi: Hoc argumento videtur vſus Petrus Abailardus *in ſermone de ſancto Io. Baptiſta.*

11 Tertiò. Tenetur Pontifex maius bonum minori præponere, & communem vtilitatem ſpeciali vtilitati præferre: ita Innoc. *cap. Licet de Regul. & tranſ. ad Religionem*; ergo, vbi non eſt communis vtilitas, non poterit Papa Regularem ad Epiſcopatum aſſumere, aliàs minus bonum maiori præponeret, cum, ceſſante communi vtilitate, melius ſit Religioſo in ſuo humili ſtatu perſeuerare, quàm Epiſcopus factus, illum immutare; vnde S. Th. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 2. *ad tertium* dixit, votum de non acceptando Epiſcopatum non excludere niſi caſum imminentis neceſſitatis; ergo vbi non imminet neceſſitas, non poterit Papa Regularem Epiſcopum facere: ita dixit Hugo relatus ab Hoſtienſe *in ſum. tit. de voto num.* 4.

12 Quartò. Ponamus caſum quod Regularis exiſtimaret ſe in ſtatu Epiſcopali grauiter peccaturum, videtur in hoc caſu Papam non poſse ei præcipere, quod acceptaret Epiſcopatum: nam Papa non poteſt præcipere illud, quod ſubditus debet de iure diuino vitare; ſed occaſiones peccandi ſunt de iure diuino vitandæ; ergo Papa iniungere non poteſt occaſiones peccandi; ſed in caſu poſito præciperet Regulari occaſionem peccandi, Regularis enim iſte exiſtimaret in Epiſcopatu ſe grauiter peccaturum; ergo in tali caſu Papa non poteſt Regularem ad Epiſcopatum promouere.

13 Quod autem in Epiſcopatu ſint occaſiones grauiter peccandi, vltra ea, quæ dicentur, placuit hic adducere, quod legitur *in Magno ſpeculo exemplorum, verbo, Prælatus, exemplo* 6. & dicitur deſumptum *ex lib.* 1. *Apum*, quidam Canonicus Regularis electus in Epiſcopum renuit pertinaci conſtantia dignitatem, mortuus apparuit ſocio ſuo, cui ſocius inquit, *ſolicitus valdè fui ne grauiſſimam ad minus pœnam in Purgatorio ſuſtineres,*

quia

quia refutaſti contra maiorum conſilium tam pertinaciter Prælaturam, in qua ad ſalutem animarum tot, & tanta bona facere potuiſſes; cui Anima: *In me, inquit, hoc ordinauit Clementiſſima Bonitas Saluatoris, quia ex tunc timui, & nunc ſcio, quod ſi Epiſcopatus Cathedram aſcendiſſem, perpetuæ damnationis periculum incidiſſem; & hoc dicens quaſi cum ingenti coruſcationis lumine pertranſiuit.*

14 S. Petrus Damianus de Monacho Cardinalis, & Epiſcopus factus, dignitati ceſſit, etiam Summo Pontifice inuito, quod videtur ſatis probabiliter deduci ex ei ob hanc ceſſionem impoſita ab eodem Summo Pontifice graui illa centum annorum pœnitentia. & ex Epiſtola apologetica in ſuæ renunciationis defenſionem ſcripta, in qua innuitur Papam de eius ceſſione nullo præhabito ipſius conſenſu queſtum fuiſſe, voluiſſeque illa graui pœnitentia ſuam conceptam indignationem exprimere. Verùm præſumendum non eſt, ſanctum virum culpabiliter in tali renunciatione Papæ conſenſum prætermiſiſſe: ſed videtur dicendum eum exiſtimaſſe, licuiſſe inconſulto Summo Pontifice Epiſcopatum relinquere, dum iudicabat ſibi expediens eſſe declinare pericula peccandi, quæ in illo ſtatu pertimeſcebat; ergo multo magis licebit Regulari eadem pericula pertimeſcenti Summo Pontifici reſiſtere, ſi ei Epiſcopatum iniungeret; nam Epiſcopatus turpius reijcitur, quàm non recipitur, vt patet; ergo ſi abſque culpa poteſt reijci, etiam abſque culpa poteſt non recipi: non poſſet autem Regularis reſiſtere, ſi Papa poſſet iniungere; ergo ſi Regularis exiſtimaret ſine ſuæ ſalutis detrimento Epiſcopatum acceptare non poſſe, in hoc caſu non poterit Papa Regularem Epiſcopum facere.

15 In contrarium tamen eſt, quod, vt dicebam, Papa habet ſuper omnes plenam, & abſolutam iuriſdictionem, quam inter cæteros præclare confirmat teſtimonijs ſacræ Scripturæ, ſacrorum Canonum, & SS. Doctorum ſententijs, Turrecrem. *de Eccl. lib.* 2. *cap.* 48. *& ſeqq.* vnde Regulares debent obedire acceptando Epiſcopatum ab illo iniunctum; qua in re, an ipſi præter cæteros arctiori titulo teneantur Summo Pontifici obedire, veluti eorum ſupremo Prælato, cui promiſerunt obedientiam voto firmatam, dicam inferius; interim videndus eſt Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 9. *& ſeqq.* vbi adducit S. Thomam, Caiet. Soto, &c.

16 Reſpondeo dicendum Primò. Summus Pontifex poteſt Regularem ad Epiſcopatum promouere.

Digitized by Google

Prob. ex dicta Summi Pontificis ſuprema in omni Eccleſiaſtico munere deſignando poteſtate, quam luculenter expreſſit Nicolaus Secundus, & habetur *cap. omnes diſtinct.* 22. de hac poteſtate S Bernardus *Epiſt. ad Mediolanenſes*, quæ eſt 131. ita loquitur: *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper vniuerſas Orbis Eccleſias ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Poteſt, ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus, vbi hactenus non fuerint: poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſubſtituere, prout ratio ſibi dictauerit*, quod docet S. Abbas de Epiſcopatibus, dixiſſet procuIdubio etiam de Epiſcopis, ſine quibus Epiſcopatus non ſubſiſtunt; Ergo poteſt Summus Pontifex nouos ordinare Epiſcopos, etiam ex Regularibus, ſi ratio id ſibi dictauerit.

17 Prob. ſecundò. Nam Summi Pontificis authoritas maior eſt illa, quam alijs communicauit, iuxta *Reg. 79. iuris Can.* ſed conceſſit quod Regulares eligerentur in Epiſcopos, vt patet *tit. de elect. cap. Si Religioſus, cap. Quorundam in 6. in Clem. prima de elect. & alibi*; ergo multo magis poteſt ipſe Religioſos ad Epiſcopatum aſſumere.

18 Dicendum ſecundò. Summus Pontifex poteſt Regularem cogere ad acceptandum Epiſcopatum: ita communiter Theologi, quos adducit Card. Lugo *loco infra citando* cum S.Tho. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 2. *& in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *artic.* 4. *ad quartum*, vbi ſic ait: *Quidam dicunt, quod Papa non poteſt præcipere alicui, quod accipiat Epiſcopatum, quia conſenſus debet eſſe liber; ſed hoc poſito periret Eccleſiaſticus ordo; niſi enim aliquis poſſet cogi ad ſuſcipiendum regimen Eccleſiæ, Eccleſia conſeruari non poſſet, cum quandoque illi, qui ſunt idonei, hoc nolint ſuſcipere niſi coacti.*

19 Id, quod in generali dixit S. Doct. probatur in ſpecie de Regularibus exemplo plurium Sanctorum, qui inuiti de Religioſa profeſſione ad Epiſcopatus ſtatum tranſierunt, iuſſi à Summo Pontifice, cui neceſſarium ad ſalutem iudicarunt, dum id imponit, eſſe obtemperandum: ex Ordine Prædicatorum inter cæteros, B. Albertus Magnus, S. Antoninus, ille Ratiſpomnenſis, hic Florentinus Archiepiſcopi, iniunctam Prælaturam recuſarunt, vſque dum Summo Pontifici reſiſtere vlterius non debere iudicauerunt; cuius facti innumera ſunt exempla Sanctorum Regularium ex Græcis, & Latinis, quorum plures recenſet ex quacunque Religioſa familia, Platus *de bono ſtatu Relig. lib.* 1. *cap.* 38. *& lib.* 2. *cap.* 29. Suarez *de Relig. Tomo* 4. *Tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 12. Sanchez *Decal. tomo* 2. *lib.* 6.

cap.

Digitized by Google

cap. 18. *num.* 33. Card. Lugo *Reſp. moral. lib.* 3. *dub.* 5. *num.* 7. alijque non pauci, quos præceptorum vi coactos, ad Epiſcopatum Summus Pontifex promouit; id verò, quod in hoc particulari à ſanctis Patribus actum eſt, ab omnibus agendum eſſe nemo dubitabit.

20 Probatur concluſio ratione. Summus Pontifex, ſi expedire iudicauerit, poteſt imponere opus conſilij, quia poteſt eſſe etiam materia præcepti; nam quod eſt opus ſolius conſilij, iniungi non poteſt ſub præcepto, ſicut ingreſſus Religionis, vel tranſitus ad ſtrictiorem; ergo poteſt imponere Regulari, quod acceptet Epiſcopatum. Conſequentia patet, quia Epiſcopatus eſt opus conſilij; Eſt enim opus bonum, iuxta illud Apoſtoli 1. *ad Tim.* 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Eſt etiam materia præcepti, quia alias vt dicit S. Th. *in* 4. *vbi ſupra*, periret Eccleſiaſticus ordo, ſi opus Epiſcopatus præcipi non poſſet; ergo Papa poteſt imperare Regulari, vt acceptet Epiſcopatum: ita cum S. Th. reliqui Theologi, inter quos Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 12 *num.* 3.

21 Quando verò iudicandum ſit Papam cogere velle ad acceptandum Epiſcopatum, & ita illum offerre, vt Regulari imponat neceſſitatem aſſentiendi; inſuper quomodo id conſtare debeat Regulari; explicabitur infra.

22 Dicendum tertiò: Præciſa etiam quacunque neceſſitate, & vtilitate maiori Eccleſię, poteſt Pontifex, iuſtis de cauſis ſibi tantum notis, Regularem ad Epiſcopatum promouere.

Ponamus caſum, in quo Sum. Pontifex poſſit ęquè benè prouidere alicui Eccleſię de perſona ſęculari, quę ſit idonea ad eius regimen, prętermiſſo Regulari; immo quod hunc iudicet minus idoneum, & minus dignum Sęculari; nec appareat aliqua neceſſitas, quę illum cogat ad aſſumendum Regularem: Dico, etiam tunc poſſe Summum Pontificem promouere ad Epiſcopatum Regularem, & prętermittere Sęcularem.

23 Nec Summo Pontifici formam pręſcripſit Sac. Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap.* 1. quam iuxta ſacros Canones ab Azorio *inſtit. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. §. *in hac igitur*, collectos, à cęteris, qui aliquod ius à Sede Apoſtolica habent præficiendi Epiſcopos, vel ad hoc operam ſuam pręſtant, obſeruandum ſtatuit, quod ſcilicet, eligerent digniores, & Eccleſię magis vtiles. Nam Summus Pontifex canonicis Conciliorum legibus non coercetur: dicitur enim *cap. Significaſti de elect. Quaſi Romana*

Digitized by Google

Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem, & facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas. Vnde Summus Pontifex, non obſtante Concilij Tridentini, aliorumque Canonum lege, pro ſui arbitrio regulato tamen, ex iuſtiſſimis cauſis ſibi notis, poteſt hic, & nunc minus idoneum, & vtilem eligere; dummodo tamen electus idoneus, & vtilis ſit, ac relicta quacumque ſpeculatiua quæſtione, non licet in praxi talem eius electionem impugnare, ſed ea poſita, eſt illi à Regulari electo omnino obtemperandum, quod deducitur ex S. Th. 22. *quæſt.* 63. *artic.* 2. *& quæſt.* 185. *artic.* 2. quem ſequuntur inſigniores eius Commentatores, & in ſpecie Suarez *de Relig. tomo* 3. *lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 20

Nec ideo eſt putandum, quod Summus Pontifex, ſimpliciter loquendo, ſine vlla neceſſitate eligat aliquando minus dignos, & vtiles; ſed, cum eius finis ſit vniuerſalis Eccleſiæ bonum, tenendum eſt ipſũ iudicare id, quod apparet eſſe huic Eccleſiæ particulari minus vtile, eſſe Eccleſię vniuerſali magis expediens: & de hoc non eſt ambigendum à ſubditis, qui non poſſunt ſe excuſare, quamuis ſpeciales iſtę rationes vniuerſalis boni alijs non apparerent.

24 Quod conſtat à ſimili: nam Reges temporales non haberent expeditam poteſtatem pręcipiendi ſuis ſubditis, ſi illi, quibus munera publica committunt, poſſent examinare neceſſitatem, quam habent illis talia munera imponendi, & ab impoſitis in aliquo caſu ſe excuſare; vnde hoc prohibetur *l.* 10. *C. Tit. de Decurionibus, & de excuſationibus munerum*; Ergo nec Summus Pontifex Regis Regum Vicarius, cuius authoritas amplior eſſe debet quacunque alia, ſicut eſt ſanctior, & vniuerſalior, poteſtatem expeditam haberet pręficiendi Epiſcopos Eccleſijs, ſi Regulares ab ipſo electi ad hoc munus excuſare ſe poſſent dicendo, ſe eſſe minus idoneos, & Summum Pontificem habere in promptu digniores, & magis vtiles Eccleſię, cui illos pręficere intendit; Hoc enim dato, Eccleſiaſticus ordo periret, & conſeruari non poſſet, vt S. Th. dixit *in quarto, loco ſupra citato;* idque probat Suarez *de Relig. tomo* 3. *lib.* 10. *cap.* 10 *num.* 20. Ergo præciſa quacunque neceſſitate, & vtilitate maiori Eccleſię, Pontifex Regularem idoneum ad Epiſcopatum promouere poteſt.

25 Dicendum quartò. Hęc ſuprema poteſtas Summi Pontificis

co-

cogendi Regularem ad acceptandum Epiſcopatum, non competit ei ex vi voti obedientię, quod Regulares emittunt, ſed ex vi iuriſdictionis, quam habet in omnes.

Hæc concluſio magis patebit in inferius dicendis; modo probatur breuiter: Ex vi voti obedientiæ Regularis tenetur tantum ad ea, quæ in Regula continentur; Ergo Pręlatus, cuius poteſtas eſt limitata ad ea, quę ſunt ſecundum regulam, non poteſt illi præcipere niſi, quę in regula continentur: *Ita S. Th. quodlib. 10 ar. 10.* ſed in regula non continetur, quod acceptet Epiſcopatum, vt patet; ergo ex vi voti obedientiæ Prælatus non habet hanc poteſtatem hoc illi præcipiendi; Ergo nec Summus Pontifex, nam ex vi voti emiſſi Sum. Pontifex habet ſolum illam poteſtatem ſupra Regularem, quam habet Prælatus illius Religionis; cum votum ſit voluntarium, & Regularis noluerit vouere niſi ſecundum regulam, & materiam regularem, vt loquitur Suarez; Ergo Sum. Pontificis poteſtas aſſumendi Regularem ad Epiſcopatum non eſt ex vi voti obedientiæ, ſed ex eius Summa in omnes iuriſdictione. Huic concluſioni non contradicunt Theologi, qui paſſim affirmant obediendum eſſe Pontifici iniungenti Epiſcopatum, quod *S. Th.* dixit perſpicue *in 3. diſt. 39. quæſt. 1. art. 3.* loquendo enim de iuramento non acceptandi Epiſcopatum, inquit: *Huiuſmodi iuramentum incautum reputatur, quia, quantum in ſe eſt, prouidentiæ Diuinæ præiudicat, & obedientiam ad ſuperiores excludit, quibus in hoc obedire tenentur:* quod alibi etiam affirmauit. Nam Theologi non loquuntur de obedientia, quæ ſupponit votum, ſed de obedientia, qua omnes fideles tenentur Summo Pontifici obedire obligatione in Baptiſmo contracta; non enim loquuntur in ſpecie tantum de Regularibus aſſumptis ad Epiſcopatum, ſed de omnibus cuiuſcumque conditionis; Ergo ſicut Sæculares aſſumpti debent obedire Sum. Pontifici ex vi poteſtatis, quam habet ſuper omnes, non ex vi voti regularis, quod nunquam emiſerunt: ita Regulares ex vi eiuſdem poteſtatis, non ex vi voti, illi debent obedire, ſi præcipiat vt oblatum Epiſcopatum acceptent: Ita doctè Suarez. *vbi ſupra num.* 21. In caſu verò, quo quis vouiſſet acceptare Epiſcopatum, certum eſt, quod tunc Sum. Pontifex poſſet illum ex vi voti compellere ad acceptandum Epiſcopatum, ſicut & Prælatus poſſet cogere eundem, ſi vouiſſet illi in hoc obtemperare, aut in regula, quam profitetur, idem inueniretur impoſitum: Sed dubia res eſt an huiuſmodi votum

ſit

ſit poſſibile, cum acceptare Epiſcopatum non cenſeatur materia voti, vt dicam infra, & interim videri poſſet idem Suarez, *vbi ſupra num.19. & ſequentibus*.

26 Ad argumenta in contrarium reſpondetur. Et ad primum dictum eſt ſupra, quod Epiſcopatus eſt opus quidem conſilij, ſed tamen includitur etiam intra limites præcepti; Vnde S. Th. 22. *quaeſt.* 185. *art.* 2. *ad tertium dixit, accipere Epiſcopatum non eſſe de ſe neceſſarium ad ſalutem; ſed fieri neceſſarium ex ſuperioris præcepto*: Superioris autem nomine primo & per ſe venit Sum. Pontifex. Illorum autem fundamentum, qui negabant Pontificem poſſe hoc opus Epiſcopatus facere ſuo præcepto neceſſarium, quia ſicut non poteſt corporale, ita nec ſpirituale matrimonium iniungere; ruit ex S. Th. *in* 4. *vbi ſupra*. Nam, vt ipſe ait, in matrimonio corporali eſt quædam ſeruitus corporalis, ad quam inuitus nemo cogi poteſt: ſed matrimonium ſpirituale eſt quoddam officium diſpenſandę Reipublicæ, ad quod etiam inuitos Princeps Eccleſiæ deſtinare poteſt ſibi ſubiectos; Et nota quod cum dicit, *cogit*, non intendit quod nolentes, dum in nolendo perſiſtunt, cogat ad acceptandum Epiſcopatum, ſed quod nolentibus ſuo præcepto neceſſitatem moralem imponit, vt liberè de nolentibus volentes fiant; quod ſuo loco explicabitur infra.

27 Ad ſecundum dictum eſt ſupra, cum probaui Papam iniungere Epiſcopatum Regulari non ex vi voti emiſſi obedientiæ, ſed ex ſua ſuprema Iuriſdictione.

28 Ad tertium etiam ſupra reſponſum eſt cum dixi, non licere Regulari ſe excuſare prætextu quod non adſit neceſſitas illum Epiſcopandi, & quod dignior poſſit in maiorem Eccleſiæ vtilitatem præfici; ſed debet Sum. Pontifici, cui vniuerſalis Eccleſiæ bonum eſt demandatum, obedire, nulla etiam apparente neceſſitate, nec ſpeciali rationę Papam ad id mouente; dummodo Regularis ille ſit idoneus, nec credatur futurus Eccleſiæ noxius. Sanctus autem Thomas, dum loco citato exigit imminentem neceſſitatem, non aliam neceſſitatem explicat ſe exigere, quàm illam, quæ inducitur pręcipue ex præcepto ſuperioris, cui obediendum eſſe decernit, & ideo Iuramenti vel Voti emiſſi de non acceptando Epiſcopatum non eſt tranſgreſſor, qui authoritate Apoſtolica ad id aſtringitur, iuxta *Cap. non eſt: de Voto* cum implicitè, vel explicitè in iuramento, vel Voto excipiatur caſus, in quo à Summo Pontifice ad acceptandum cogeretur,

ſed

ſed de hoc etiam fuſius infra.

29 Ad quartum antequam reſpondeam, dico, videri caſum poſitum in Argumento eſſe eundem, quem expreſſit S. Gregorius *moral. lib.* 32. & habetur *diſt.* 13. *Cap. nerui*: dum inquit; *Alius &c. & obedire trepidat, & non obedire formidat, ne, aut obediens Deum in ſuis præceptis deſerat, aut rurſus non obediens Deum, in electo Priore contemnat.* Reſpondeo modo ad argumentum Regularem exiſtimare non debere quod ſe exponat probabili periculo Deum grauiter offendendi, ſi Sum. Pontifice imponente Epiſcopatum acceptat; ſed potius debet ſibi perſuadere, quod humiliter obedienti Deus dabit gratiam, qua vitare poterit in illo ſtatu, qui ſecundum ſe bonus eſt, omne peccatum, & declinare omnia pericula illa Deum offendendi. Si vero, his omnibus penſatis, adhuc in ſua exiſtimatione perſiſteret, & cogeretur ſuperioris præcepto acceptare Epiſcopatum, ſicut poſſet, ita & teneretur deponere hanc exiſtimationem, Deumque rogare vt illi aſſiſteret, & daret vires formidatum periculum euadendi. Fidelis eſt autem Deus, qui non patietur eum, cui neceſſitas incumbit obediendi, periculo exponi, in quo pereat. Si verò nollet, cum poſſit, & teneatur, hanc exiſtimationem deponere, quicquid fecerit, peccabit, vt dixit Nauar. *de pœnit. cap. ſi quis autem num.* 95. Vnde peccabit acceptando Epiſcopatum, & non acceptando, & incurret illam perplexitatem, quæ, quantum ad rem, nihil eſt, ſed quantum ad animum, & ſtultam opinionem alicuius, vt dicit *gloſ. d.* 13. *in princ.* Quod autem peccet iſte in ſua perplexitate, perſiſtendo, acceptando Epiſcopatum, patet, quia iuxta veriorem ſententiam, ac ſecuriorem, peccat, qui ſe etiam oppreſſum, exponit periculo Deum offendendi: Vnde iſte contra conſcientiam, quæ dictabat oppoſitum, faciendo, peccabit, cum dicto periculo ſe exponeret, dum Epiſcopatum acceptat. Quod verò peccet non acceptando, etiam patet, quia, cum poſſit, & debeat deponere illam exiſtimationem, tenetur deponere, & obedire; impedimentum enim, quod nos prohibet obedire Prælato præcipienti rem bonam, & rationabilem, vt eſt Epiſcopatus, ſi non remoueatur, dum à nobis remoueri poteſt, non excuſat à mortali culpa inobedientiæ: Ita S. Th. 22. *quæſt.* 185. *art.* 2. *ad ſecundum, &* Siluius *ibidem* §. *quæri etiam.* Id confirmat quod legitur *in Epiſtola prima Clementis Papæ primi*, vbi narratur Sanctum Petrum ipſi recuſanti Epiſcopatum dixiſſe: *Si periculum peccati timens ſuſcipere*

re-

refugis Eccleſiæ gubernacula, certus eſto, quod amplius peccas, qui populum Dei velut in fluctibus poſitum, & periclitando, cùm iuuare poſſis, ſubterfugis, tui tantummodo habens conſiderationem, & non quod in commune omnibus expedit prouidens.

30 Verba Canonici Regularis, quibus Socio ſuo illius animam interroganti reſpondit, valdè me terrent; Verum illa conditionalis, *ſi Epiſcopatus Cathedram aſcendiſſem, perpetuæ damnationis periculum incidiſſem*, applicari poſſet etiam alijs ſtatibus inferioribus, quorum nedum coacta, verum & ſpontanea aſſumptio ab omnibus pijs, & timoratæ conſcientiæ viris commendatur, veluti eſt ſtatus Religionis, cuius ingreſſus conſilio Euangelico perſuadetur, Narrat Bellar. *de Gem. Col. lib. 2. cap. 6. ex Dioniſio exiguo*, manifeſtatum fuiſſe in quadam viſione Abb. Pachomio de monachatus Profeſſoribus plurimos damnandos, paucos ſaluandos eſſe, quia non obſeruando vota, & vitam iuxtà formam in regula præſcriptam non ducendo, multi eorum in æternum perire debebant; ponamus modo laicum, qui contra maiorum conſilium Religionis ingreſſum renuiſſet, ſi iſte ſaluaretur, dicere potuiſſet, timui, & nunc ſcio, rectè me non acquieuiſſe maiorum conſilio, nam ſi Religioſus fuiſſem, æternæ damnationis periculum incidiſſem, quia, ſcilicet, vota non obſeruaſſem, & relaxatè vixiſſem, præuaricando regulam in ijs, quæ ſub culpa lethali præcipiuntur: at ſi ſuppoſitis hiſce periculis, adhuc ingreſſus Religionis, nedum ex maiorum conſilio, verum & ſine diuturna deliberatione, vt docet S. Th. 22. *art. vlt.* eſt commendabilis, ita etiam erit commendabilis ſtatus Epiſcopalis, ſi acceptetur cùm à Summo Pontifice iniungitur, maximè quando ſine culpa iniunctus non recuſatur: recuſare verò Regulari illi Canonico culpa non fuit, quia non contra præceptum Prælati, quod obligare poterat, ſed contra maiorum conſilium, & vt puto, ex humilitate, ac cum merito, Epiſcopatum recuſauit: maiorum autem conſilium ad hoc regulariter non obligat, vt patet. Religioſus ergo, & in humili ſuo ſtatu, & ad Epiſcopatum ſublimatus timeat pericula, quæ vbique ſibi imminent: ſed nec timeat, multos enim ſanctos Religioſos obſeruantes, & morigeratos, multos ſanctos Regulares Epiſcopos vigiles, & pios tranſmiſit, & quotidie tranſmittit Eccleſia militans ad Cęlum. At dices, non potero ego, quod iſti. Audi Auguſtinum *lib. 8. Conf. cap. 11.* quid reſpondeat. *An iſti in ſemetipſis poſſunt, & non in Domino Deo ſuo? quid in te*

ſtas,

ſtas, & non ſtas: proyce te in eum, noli metuere, non ſe ſubſtrahet vt cadas, proyce te ſecurus, & excipiet te, & ſaluabit te; Ad illud, quod dicitur de ſancto Petro Damiano, reſpondeo contra quoſdam oppoſitum ſentientes, falſum eſſe hunc ſanctu m virum inuito Summo Pontifice Epiſcopatui ceſſiſſe; quod nec ex graui pœnitentia ei impoſita, nec ex Epiſtola apologetica in ſui facti defenſionem ſcripta, quę eſt decima inter alias, deduci poteſt; vt totum hoc euidenter appareat, ſciendum eſt illius Epiſtolę titulum talem eſſe. *Dilectiſſimis Apoſtolicæ Sedis electo, & Virgæ Aſſur Hidelprando, Petrus peccator Monachus ſeruitutem*. Occaſio ſcribendi dictam Epiſtolam hęc fuit: Cum S. Petrus Damianus inſtantiſſimè peteret à Summo Pontifice, vt ei liceret, abiecto Epiſcopali regimine, dilectam ſibi ſolitudinem repetere, contradicebat acriter Cardinalis Hidelprandus, qui poſtea Summus Pontifex fuit, Greg. VII. appellatus; vnde illum *Virgam Aſſur* in ſupradicto Epiſtolę titulo nominauit, ſed obtinuit tandem à Summo Pontifice Alexandro II. quem *Apoſtolicæ Sedis electum* dicit, facultatem, quam petebat (vt teſtatur Cardinalis Baronius anno 1061. & Cardinalis Ardicinus de la Porta iunior in Epiſt. ad Innoc. VIII. quam refert Ciacconius in eius vita, his verbis; *de Petro Damiano, &c. habetur ex libris per eum editis, quos ipſe legi, ipſum ex Cardinali, & ni fallor, etiam Epiſcopo Oſtienſi, factum Monachum fuiſſe de Summi Pontificis licentia*, idē colligitur ex Epiſtola allegata eiuſdē Damiani, quam ſcripſit poſtea in ſuę honeſtę petitionis defenſionem, dum ibi ſic ait: *Benedicta omnipotentis diſpenſatio Conditoris, quia ad vos nuper aſcendens, duorum Epiſcopatuum, vnius regendi, alterius viſitandi mole depræſſus, prærupta Alpium iuga tranſmiſi, mox ſarcina tribulationis abiecta, exoneratus, & liber, ad dilectam ſolitudinem tanquam fugitiuus poſtliminio repedaui, &c. Noſtis planè, certumque tenetis, hæc in me proiecta fuiſſe onera, non ſuſcepta, &c. quapropter, occaſione nacta, pondus libenter abieci, quod vltroneus ante non ſubij, &c. Vnde ego cum Eccleſiaſticum vobis regimen renuntiare diſpoſui, non erraui, quia Romanæ, quæ vos eſtis, Eccleſiæ, quod ſuum erat, dignè reſtitui, & vt vobis me confeſſum eſſe conſiteear, pro hac refutatione centum annorum pœnitentia mihi eſt conſequenter iniuncta, per illa nimirum remedia, quæ Monaſticis ſunt regulis inſtituta*: & in fine ita ſuam concluſit Epiſtolam: *propterea, Dilectiſſimi, &c. nolite mihi de cætero eſſe moleſti, vt quietis portum, in quem à Chriſto per vos gubernante relapſus ſum, deſeram*. Ex his

 ver-

verbis, & pręcipuè ex illis, *ut quietis portum, in quem à Christo per vos gubernante relapſus ſum*: habemus euidenter ſanctum virum, poſtquam diù in Epiſcopatu, ad quem ex ſuo Monaſterio inuitus fuerat aſſumptus, vixiſſet, deſideraſſe, & obtinuiſſe ex benignitate Apoſtolica reuerti vnde exierat, vt liberius poſſet ſe ad mortem, quam vicinam credebat præparare, quod plures alios ſanctos Epiſcpos Regulares feciſſe, nemo niſi notitię Hiſtoriarum ieiunus ignorat, idque eſſe ſummis laudibus celebrādum infra num. 371. probabo num. vero 364. patebit ex inſtituto Monaſticæ regulę non in culpæ pœnam, illam pœnitentiam à Summo Pontifice Damiano Epiſcopatu ſe abdicante impoſitam fuiſſe.

32 Poteſt etiam Regularis eligi, poſtulari, ſeu pręſentari, vt Epiſcopus fiat, ab alijs Summo Pontifice inferioribus, qui tale ius habent à Sede Apoſtolica, vt dicit Concil. Trid. *seſſ.* 24. *de reformat. cap.* 1. quod in ijs nihil voluit pro illorum temporum ratione innouare, de hoc iure non eſt nobis diſputandum, cum ſupponendum ſit validum eo modo, & forma, qua à Summo Pontifice acceptatur, vel temperatur, cum ab ipſo electiones, poſtulationes, & pręſentationes huiuſmodi quotidiè admittantur, & confirmentur; quomodo verò Regulares poſſint, & debeant eligi, poſtulari, & pręſentari ad Epiſcopatum ab inferioribus Papę, & electi, poſtulati, & pręſentati, quomodo poſſint, & debeant aſſentiri, dicam §. 4. vbi de pręfatis actionibus diſſerendum erit.

§. III.

An expediat Regularem ad Epiſcopatum promouere.

SVMMARIVM.

Conſuetudo Eccleſiæ aſſumendi Regulares ad Epiſcopatum. 39.
Et ad Sum. Pontificatum. 40
Expedit aſſumere Regulares ad. Epiſcopatum. 41.
Expedit Religioni. 43.
Et Religioſo. 46.
Quales eſſe debeant, qui aſſumuntur. 42.
Error Petri Abailardi. 51

Vxo-

Vxoratus poteſt eſſe Epiſcopus, ſeparatus, vel ſolutus ab uxore. 52
Item qui habet filios. 53
An eligi debeat in Epiſcopum Sæcularis prætermiſſo Regulari. 54
S. Gregorij priuilegium explicatur. 55
Fundatorum Religionum zelus. 56
Dæmonis aſtutia. 57
Status Epiſcopalis, & Religioſus non opponuntur. 58
Sancti Regulares coacti ad acceptandum Epiſcopatum. 59
In acceptando Epiſcopatum quomodo declinetur præſumptio. 60

QVæſitum hoc poteſt conſiderari tripliciter. *Primò in ordine ad aſſumentem Regulares ad Epiſcopatum. Secundò in ordine ad Religiones, ex quibus aſſumuntur. Tertiò in ordine ad Religioſos, qui aſſumuntur.*

34 Quantum ad *Primum* ordinem, videtur non expedire Pontificem aſſumere Regulares ad Epiſcopatum, nec, ſi fuerint electi, poſtulati, ſeu præſentati, eos admittere non debere.

Nam Regulares aſſumi deberent ad Epiſcopatum, vel propter Eccleſiæ vtilitatem, vel neceſſitatem; neutrum eſt verum, ergo non ſunt aſſumendi; Prob. minor, Religioſi vtiliores eſſe poſſunt Eccleſiæ in ſuo ſtatu perſiſtendo, quàm illum in Epiſcopatum commutando, cum in ſuo ſtatu poſſint pluribus in locis concionari, docere, & fidem, ac morum diſciplinam propagare; ſi verò Epiſcopi fiant, ad vnam tantum Ciuitatem mittuntur, vt vni tantum populo ſint proficui; ergo propter Eccleſiæ vtilitatem non ſunt Regulares ad Epiſcopatum aſſumendi: Præterea nec propter Eccleſiæ neceſſitatem; poteſt enim prouideri æquè benè Eccleſijs omnibus de Sacerdotibus ſæcularibus dignis, & idoneis, qui proximos ædificent exemplo inculpatæ vitæ, & informent catholicis documentis, ſi enim loquamur de Eccleſijs, in quibus de fide diſputare oportet contra Sectarios, multi ſunt Sacerdotes ſæculares inſignes Theologi, ad id munus aptiſſimi; ſi loquamur de Eccleſijs, in quarum territorio Hæreſes non graſſantur, abſque dubio Sacerdotes iſti aptiores erunt quam Regulares, nam Regulares ignorant leges ciuiles, & vix canonicas attigere, conſequenter modum, & formam legalem non habent decidendi cauſas, & ſtylum illas terminandi, quod Sæculares vt plures benè nouere, cum penè omnes legalia miniſteria exercuerint, de quibus ad Eccleſiaſticas Dignitates gradum faciunt: Iſtæ autem cauſæ ciuiles frequentes ſunt in dictis

Eccleſijs, vnde valdè expedit Populis, quod eorum Epiſcopus ſciat illas per ſe examinare, & Iuris ordine ſeruato definire, ne cogantur coram Vicario litigare, cum quo non ſolent illam habere confidentiam, quam habent cum Epiſcopo; Ergo cum nulla adſit neceſſitas, nulla vtilitas aſſumendi Regulares ad Epiſcopatum in ordine ad aſſumentem, nam omnis excogitabilis Eccleſię neceſſitas, & vtilitas ſuppleri poteſt per Sęculares, non expedit quod iſti aſſumantur, vel admittantur ad Epiſcopatum.

35 Quantum ad *Secundum* videtur quod nec id expediat in ordine ad Religiones, ex quibus aſſumuntur.

Nam ex dicta aſſumptione priuantur Religiones melioribus, & doctioribus viris, quos aluerunt per longum tempus fruſtrato labore, eoſque amittunt, cùm illos occupare intendunt, & de facto occupant in muneribus publicis; vnde dum regimen Religionum tantorum virorum gubernatione fęlix redditur, & eorum doctrina alij inſtruuntur, magno ipſarum damno, ijs ad Epiſcopatum euectis, validioribus prę ſidijs remanent deſtitutę, quapropter Sanctus Gregorius Papa 16. *quæſt.* 1. *cap, Hinc eſt*. conceſſit cuidam Monaſterio priuilegium, & fauorem, quod illius Abbas nunquam in Epiſcopum eligeretur, ex quo ſuſpicari poſſumus Sanctum Pontificem, perpendiſſe hanc electionem noxiam eſſe Monaſterijs, cum eius occaſione melioribus priuentur, vt dixit quędam gloſ. Prætereà Sácti Religionum Fundatores Dominicus, & Franciſcus Cardinali cuidã optanti eorum Religioſos Epiſcopos fieri, contradixere, eiusque iudicium grauiſſimis rationibus improbarunt: S. Ignatius de Loyola, vt huic malo efficacius obſiſteret, deſtinauit ſuos Religioſos arctare ad reſpuendas Dignitates extra Societatem à ſe in militantis Eccleſię ſubſidium, & robur erectam, vſque dum eas reſpuere culpa non eſſet; nec vllum immotum lapidem reliquit, vt impediret, ne digniſſimus eius Religioſus à Pontifice promoueretur, quod in eius vita refert Rabaidinera *lib.* 3. *cap.* 14. Inde in eadem Societate, ſancto Ignatio mortuo, & poſtea in pluribus Religionibus votum de non acceptandis Dignitatibus inuenitur introductum, & à Sede Apoſtolica comprobatum. Fertur Dęmonem dixiſſe cuidam magno viro, & in eminenti quadam Eccleſiaſtica Dignitate conſtituto, a quo enixè petebat, vt Ordinem Prędicatorum, deſtruere conaretur, cura, inquit, vt multi Religioſi huius Ordinis ad Dignitates ſubleuentur; in-

de ordo iſte diſſipabitur, extat *in Chronicis Dominicanis par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 46. Epiſtola quædam Vmberti Generalis ad B. Albertum Magnum, in qua Religionis ſuæ detrimenta exponit, quę illi ex ipſius aſſumptione ad Metropolim Ratiſponenſem imminere metuebat, & ibidem *lib.* 2. *cap.* 20. narratur Frat. Io. Theutonicum Vmberti in Generalatu prædeceſſorem petijſſe precibus inſtantiſſimis à Summo Pontifice, ne vnquam aliquem de Ordine ſuo ad Epiſcopatum promoueret, ex hac certè ratione, quia ordini ſuo id non expedire iudicabat.

36 Quantum ad *Tertium* videtur quod nec expediat Religioſis Epiſcopos deſignari.

Non enim expedit Religioſis deſerere ſtatum illum quietum, & tranquillum, quem elegerunt, vt perfectionis viam, & ſecuriorem ad ſalutem conſequendam vitæ mortalis ſeriem, ac conſuetudinem, & tranſire ad ſtatum Epiſcopalem, de ſe perfectum quidem, attamen curis innumeris fluctuantem, laborum pelagus, & omnium ærumnarum abyſſus, vt dixit S. Chriſoſt. *lib.* 3. *& 6. de Sacerdotio*: inſuper animæ periculis plenum, & in pluribus priori viuendi conſuetudini oppoſitum, cogitur enim Regularis Epiſcopus vti melioribus indumentis, cum quodam ſplendore viuere, famulos obſequentes circa ſe habere, ac in illo dignitatis apice humilitatem, paupertatem, & obedientiam fere omnino deponere; ergo non expedit Religioſis Epiſcopos fieri; probatur Conſequentia; nam omnibus ſupradictis benè penſatis, cum ſit ſecurior Religioſus in ſtatu humili, quàm in Epiſcopali, de ſua ſalute, non expedit ei illam periculis exponere, & ſibi reddere difficiliorem.

37 Inde Sancti viri Religioſi de ſua ſalute ſoliciti, ne Epiſcopi eſſe cogerentur, fugerunt, ſe occultarunt, medijs etiam inſolitis, & morte à Deo precibus impetrata, Epiſcopatum declinare curàuerunt. S. Th. Aquinas, & S. Bernardus oblatos Epiſcopatus conſtantiſſimè recuſarunt, non ex alia quidem ratione, niſi quia ſibi id expedire non iudicabant: videndus Suarez *lib.* 4. *de Relig. Trac.* 10. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 11. *& ſequentibus*.

Inſuper videtur quod Regularis vix poſſit acceptare Epiſcopatum ſine culpa; ergo illi non expedit epiſcopari; probatur Antecedens; nam dum acceptat Epiſcopatum, vel exiſtimat ſe cæteris digniorem, vel æqualem, vel inferiorem, ſi digniorem, eſt ſuperbus, & temerarius, nemo enim ſine vitio poteſt de ſe hanc habere exiſtimationem, ſi æqualem, adhuc temeritatem

non

non declinat, ſi inferiorem, eſt præſumptuoſus, cum conſentit ſe melioribus præferri: Hoc argumento vtitur Petrus Abailar. *Serm. de S. Io. Baptiſta*, ad probandum Regularem, nec quidem coactum, debere Epiſcopatum acceptare.

39 In contrarium tamen eſt, in Eccleſia Catholica conſuetum ſemper fuiſſe Regulares ad Epiſcopatum promouere, vt latè probat Platus *de bono ſtatu Relig. lib. 2. cap. 29.* & olim ob oculos Dracontio Monacho Epiſcopatum renuenti poſuit Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad eundem directa, quod ita viget in Eccleſia Græca, vt ſoli Monachi ad Epiſcopatum aſſumantur, itaut, ſi ille, qui dum aſſumitur, Monachus non eſſet, prius Monachus fiat, quàm Epiſcopalem characterem ſuſcipiat; Præterea Summi Pontifices in quocumque reparatæ ſalutis ſæculo, vt ſuperiori §. dictum eſt, conſueuerunt ex Monaſterijs Regulares ad Epiſcopatum aſſumere, eoſque eligi, poſtulari, ac præſentari poſſe ad hanc dignitatem Canonicis legibus decreuiſſe, inſuper conſtat etiam inuitos aliquando ad conſentiendum coegiſſe, quod quidem nunquam factum fuiſſet, ſi non expediret, nec in ordine ad aſſumentem, nec ad aſſumptum, nec ad Religionem, ex qua aſſumitur, Regularem ad Epiſcopatum promouere. Pro reſolutione.

40 Notandum eſt Id, quod dicam in ſequentibus de Epiſcopis particularibus, extendi etiam poſſe ad Summi Pontificatus Dignitatem, ſeruata illa limitatione, quòd Papa à Cardinalibus eligitur, & electus ſtatim omnes habet inferiores, nec indiget confirmari; eius enim electio eſt ſui ipſius confirmatio. His ſuppoſitis.

41 Dicendum primò, Expedit Summo Pontifici, cęteriſque, qui Ius habent, eligere, poſtulare, ſeu præſentare Regulares ad Epiſcopatum.

Probatur, nam, vt dicebam, Sum. Pontifex aſſumit ad Epiſcopatum plures Regulares, & aſſumptos cogit aliquando conſentire, electos, poſtulatos, præſentatos admittit, idque conſonum eſſe Sacrorum Canonum decretis in ſuperiori §. allegatis patet; ergo expedit quòd fiat, ſi enim non expediret, id Sacri Canones improbarent; expedit quidem, ſi aſſumantur, non quos am-

42 bitio, vel honoris appetitus, aut Religioſæ vitæ faſtidium ad Epiſcopatum deducit; ſed quos illi, qui ad id ius habent, certò ſciunt futuros Populis ſcientia, & exemplo conſpicuos, præterea ſi ſperant, quòd pauperum inopiæ ſubuenient, Cleri mores

Sa-

Digitized by Google

Sacrorum Canonum inſtituto conformabunt;abuſus extinguent, Dei cultum augebunt, errores Catholica doctrina confutabunt, bona promouebunt, cæteraque facient, quibus Sanctos Epiſcopos Regulares æmulentur; de huiuſmodi eligendis regularibus ad Epiſcopatum dixit Sulpitius *in vita Sancti Martini*: *quæ eſſet Ciuitas, aut Eccleſia, quæ non ſibi de Martini Monaſterio cuperet Sacerdotem.*

Dicendum ſecundò.Si Summus Pontifex motu proprio, & ex ſua ſcientia, ac voluntate promoueat Regularem ad Epiſcopatum, vel iſtæ eligatur, ſiue præſentetur ab ijs ad id ius habentibus, ſeu vrgeat præceptum charitatis, expedit Religioni, vt eius Religioſus in Epiſcopum aſſumatur.

Probatur, nam ex hac promotione Religio decus, & honorem acquirit, nec aliquod patitur detrimentum, immò finem, propter quem inſtituta fuit, adæquatè conſequitur; ergo expedit Religioni vt eius Religioſus in Epiſcopum aſſumatur; Prob. Antecedens quantum ad *Primum*;quia,vt ait S.Bernardus *Epiſtola* 142. *ad Monachos Alpenſes,* quorum Abbas electus fuerat ad Epiſcopatum; *Bonus Pater veſter, atque noſter, authore Deo, ad altiorem gradum aſſumptus eſt, &c. Sol eſt iſte Pater, per quem Alpenſis Congregatio illuſtris vbique redditur; tanquam Luna per Solem*: Inde in Chronicis, ſcripturis, impreſſis libris, publicis laudationibus, alijſque actibus, quibus proprium inſtitutum commendare intendunt, gaudent Religiones, dum recenſere poſſunt plures, quos Eccleſiæ dederunt, vt in Officio Epiſcopali illi inſeruirent. Quantum ad Secundum Probatur, quia videmus Religiones, ex quibus quotidie plures aſſumuntur ad Epiſcopatum, non eſſe propter hoc pijs, & doctis viris deſtitutas, nam vno ſublato docto, & pio viro, non deficit alter, qui eius locum æquali cum laude occupet, & Religionis munera perficiat.

Dato etiam quod Religioſus Ordo ex hoc aliquod detrimentum pateretur, deberet illud æquo animo pati; nam ſingulare malum partis vnius, ſcilicet, Religionis, diſſimulari debet, ſi cedat in bonum totius, ſcilicet, in bonum Eccleſię vniuerſalis,nec ſibi noxium dixerit, quod toti Eccleſiæ iuuat, veluti Sum. Pontifex *Ioanni Theutonico quarto Ordinis Prædicatorum Magiſtro* non obſcurè ſignificauit, cuius verba numero 56. infra referam.

45 Quantum ad Tertium Probatur; Nam finis adæquatus Religionis cuiuſcumque eſt inſtituere viros, qui Eccleſiæ ſint vtiles,

les, vel Orationibus, dum pro eius exaltatione, fidei propagatione, infidelium conuerſione, ac fidelium quiete, & communi omnium bono Deo preces inſtantiſſimè fundunt, vel Doctrina, & Exemplo, dum populos inſtruunt de neceſſariò ſciendis ad ſalutem conſequendam, eoſque proprijs actibus ad id præſtandum inducunt, vel Actione, dum exercent miſericordiæ opera corporalia, & ſpiritualia, ſed omnia iſta plenius, & perfectius fiunt ab Epiſcopo, quàm à Religioſo, vt patet, ergo per ſuos Religioſos Epiſcopos Religio finem ſuum adæquatum plenius conſequitur.

46 Dicendũ Tertiò. Si Religioſus vocetur ad officium Epiſcopatus ex mera voluntate eius, qui hoc illi poteſt iniungere, vel in caſu, in quo obligat charitatis neceſſitas, & diuinum præceptum, cum ipſe dignitatem non quæſierit, nec appetierit; expedit ei vt Epiſcopus fiat; Probatur, nam expedit Religioſo vt acceptet opus ſibi iniunctum, quod laudabiliter exerceri poteſt, ſed opus Epiſcopatus, ſi iniungatur, laudabiliter exerceri poteſt, ergo expedit Religioſo acceptare Epiſcopatum.

47 Dixi *Epiſcopatum iniungendum eſſe, vt laudabiliter exerceatur*, quia appetitus, & procuratus, regulariter loquendo, non exercetur laudabiliter, nam iſta procuratio, & appetitus infert deſiderium honoris, dignitatis, & diuitiarum, quod excludit ab Epiſcopo, nedum proprium opus, ſed etiam ipſum nomen, vt docet S. Th. 1 ad Tim. 3. *lec.* 1. verum quamuis *Imperium eiſdem artibus retineatur, quibus initiò partum eſt*, vt quidam dicebat, *& difficile ſit, vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio*, vt dicitur *diſt. 61. cap. Miramur*; tamen caſus eſt poſſibilis, ſed rarus, quòd quis ad Epiſcopatum temporalia reſpiciendo peruenerit, illo verò acquiſito, depoſita priori intentione, totum ſe occupet in opere, quod ſummopere bonum eſt, neglectis temporalibus.

48 Prob. Secũdò. Expedit Religioſo non recuſare opus bonum, quod ſibi iniunctum, ſi recuſauerit, peccat, acceptatum vero, eſt illi cauſa apud Deum promerendi, ſed ſi recuſet Epiſcopatum, vt ſupra iniunctum, peccabit, &, ſi acceptauerit, erit illi
49 cauſa promerendi, ergo expedit Religioſo iniunctum Epiſcopatum non recuſare. Prob. Minor *quoad primam partem*, nam ad ſalutem neceſſarium eſt obedire Prælato in ijs, quæ ſunt materia præcepti, ſed Epiſcopatus, vt ſupra probatum eſt, eſt materia præcepti, ergo ſi iniungatur à Prælato, neceſſarium eſt illi obedi-

dire: ergo qui ſic iniunctum recuſat, peccat.

50 Probatur *quoad ſecundam partem*, quia opus bonum, ſi fiat in charitate, eſt cauſa meriti, ſed Epiſcopatus opus eſt bonum opus; ergo ſi fiat in charitate erit cauſa meriti. Vnde dixit Auguſtinus, & habetur *diſt.* 40. *cap. Ante omnia*. *Apud Deum nihil beatius (Epiſcopi officio) ſi eo modo militetur, quo Imperator noſter iubet.* & Eccleſia ſæpè in diuino officio commendat meritum ſanctorum, quos paſtoralis ſolicitudo glorioſos reddidit in Cælo. Legendus Sanctus Gregorius adductus 8. *quæſt. prima cap. In ſcripturis*.

51 Ad argumenta Reſp. ſed priuſquam *primò* ſatisfaciam, ſuppono malè dixiſſe Petrum Abailardum *Sermone de S. Io. Baptiſta* Apoſtolum 1. *Tim.* 3. cum præcipit Epiſcopum debere eſſe vnius vxoris virum, conſuluiſſe probatas in ſæculo perſonas de minoribus ad maiora transferri, iuxta illud Dominicum, *qui fidelis erit in minimo, fidelis erit & in maiori*: Hoc potiſſimum præbendo conſilium, vt qui in matrimonio poſiti fuerant, & circa domeſticam curam benè ſe geſſiſſe probati ſunt, quaſi ſpiritualem vxorem ducant, & Dominicæ Domus curam ſuſcipiant, quod, & ipſe Dominus proprio declarauit exemplo, cum XII. Apoſtolos congregans, quorum Epiſcopi locum obtinent, nullos, aut paucos non coniugatos aſſumpſit, & quamuis Ioannem virginem magis quàm Petrum copulam nuptiarum expertum, & domui ſuæ diù præpoſitum dilexit, non tamen illum, ſicut illum, Principem Apoſtolorum conſtituit. Nam hæc omnia probant poſſe eligi in Epiſcopum illum, qui vnam habuit vxorem. quod ſacri Canones etiam decreuere *diſt.* 26. *cap. Vnius, & cap. fin.* attamen magis congruum eſſe, cæteris paribus, promouere eum, qui nunquam vxorem habuit, colligitur ex ſententia Ambr. *lib. primo de off. cap. vlt. & habetur* in ſupradicta *diſt. cap. Vna* per hæc verba, *quomodo autem poteſt hortator eſſe viduitatis, qui ipſe coniugia frequentauerit?* quamuis enim videatur loqui contra biganios, eſt tamen optimum argumentum ex eiſdem verbis deſumptum à minori ad maius; ita ſyllogizando, ſi ille, qui non frequentauit plura coniugia, poteſt hortator eſſe viduitatis; ergò multò magis ille, qui nullum habuit coniugium, poterit hortator eſſe cælibatus, quod eſt dignius, & acceptabilius Deo, vt conſtat. Ergo ad Epiſcopatū aſſumendus erit magis cælebs, quàm ab vnica relictus, cum ille conſequenter ſit, cæteris paribus, magis Epiſcopatu dignus. Accedit ad hæc, quod

D qui

qui fuerunt vxorati, etiam cum vna tantum, ſæpè habent filios matri ſuperſtites. aduerſatur autem *capiti Priusquam ad nos*, & *capiti De Syracuſanæ diſt.* 28. & *c. Caſſinenſis diſt.* 61. eligere eos, qui habent filios, & ratio eſt, inquit Pontifex, *quia per eos Eccleſiaſtica ſolet periclitari ſubſtantia*. Vnde Suarez *de cenſuris diſp.* 56. *ſect.* 3. *num.* 3 tenet eſſe exprimendam Sum. Pont. cum collaturus eſt Epiſcopatum filios habenti, hanc conditionem perſonæ, quod ſcilicet habeat filios legitimos: nam alioqui, inquit, talis collatio, vel confirmatio non iudicaretur legitima, ſed potius ſubreptitia. quia ſi hoc ſignificaretur Papæ, non eligeret, nec confirmaret, vel ſi faceret, non faceret ſine notabili difficultate. Hæc dixi contra Abailardum. Nullum autem exiſtimo inconueniens, immo attenta perſonarum excellentia, decentiſſimum fore iudico, aliquando tales viduos, non bigamos, & habentes filios legitimos ad Epiſcopatum præſentari, eoſque vt licitè eligantur, & confirmentur, non indigere puto Sum. Pontificis diſpenſatione, quod etiam dixit Gratianus *in ſupradicta diſt.* quam ſententiam ex pluribus authorum placitis deſumpſit Barboſa in dictis Capitibus, & *de off. Epiſcopi p.* 1. *Tit.* 2. *Gloſ.* 4. & Sanctarellus *Var. reſol. p.* 1. *quæſt.* 42. *à num.* 3. Immo olim etiam coniugati creabantur Epiſcopi, vt refert Baronius *Tomo* 1. *Annal. Anno Chriſ.* 58. *à num.* 8. & dixit S. Greg. *Epiſt.* 39. *lib.* 9. his verbis, *& quidem multos Sanctorum nouimus cum ſuis coniugibus, & prius continentem vitam duxiſſe, & poſtmodum ad ſanctæ Eccleſiæ regimina migraſſe.* loquitur autem de duobus coniugibus cauſa religionis adhuc viuentibus ſeparatis; ſed illis perpetua continentia indicebatur. Ita Baronius *ibid. num.* 20. & habetur *in cap. Quoniam diſt.* 31. Quod erudite explicant Acugna, & Barboſa *ibid.*

54 Modo reſpondendo ad primum argumentum propoſitum, concedo poſſe Sum. Pontificem præficere Eccleſijs ſæculares Sacerdotes, qui vbique terrarum moribus, & doctrina vtiles ſint populis Chriſtianis, ac per ipſos optimè ſubueniri poſſe Eccleſiæ neceſſitati, nullo aſſumpto ad Epiſcopatum Regulari. Verum quæ in generali indubitata eſſe videntur, ſi poſtea ad praxim deducantur, inſurgunt frequenter difficultates, quæ nos cogunt aliud ſpeculatiuè meditari, aliud practicè exequi. Certè in Anglia, vt legitur *in monumentis Anglorum ad Bedam additis*, cum in quodam conuentu generali totius Regni, reiectis Monachis, quos ſolos aſſumendos eſſe ad Epiſcopatus prius decre-

cre-

cretum fuerat, conſulerent aliqui eſſe ſolos Clericos ad Epiſcopatus prouehendos, Crucifixi effigies cunctis audientibus, dixit, *Non fiet, non fiet, iudicaſtis bene, mutaretis non bene*: Vnde Sum. Pontifici hic & nunc videri poterit neceſſarium eſſe huic Eccleſiæ præficere Regularem excluſo Sæculari. Et quamuis Sacerdos ſæcularis aptior ſit, regulariter, ad forenſes lites terminandas ſeruato ſtylo, & ordine legali, non eſt tamen tanti facienda iſta aptitudo, vt aliquando non expediat illam poſtponere idoneitati Theologica tractandi, Conciones ad populum habendi, & huiuſmodi faciendi: quæ idoneitas frequentius reperitur in Religioſis, quæque, quod magis neceſſaria, magis vtilis, & opportuna ſecundum ſe ſit populis, quibus Epiſcopus præeſſe, & prodeſſe debet, certum eſt; dixit Granatenſis *in ſua Concione de officio, & moribus Epiſcoporum 2. p. §. 12. Vides doctrinæ potiſſimum, & Religionis curam Sum. Paſtori Moyſi commiſſam. litium verò, & cauſarum ſæculi contentiones, veluti tanto indignas Præſule, ad inferiorum iudicia relegatas*. Item in termino à quo, Sæcularis poteſt quidem eſſe diſpoſitus æquè ac Regularis, & melius, ad Epiſcopatum, ſed ſi ſecundum ſe, & ſecundum exigentiam ſtatus perſonas conſideremus, erit abſque dubio ſæcularis minus diſpoſitus ad ſtatum Epiſcopalem Regulari, vt innuitur *diſt. 61. cap. Benè*; vbi Greg. præcipit hortandum eſſe eligendum in Epiſcopum, vt vel Monachus, vel Subdiaconus fieret, & poſt aliquantum tempus ad paſtoralem curam promoueretur: nam ſtatus Epiſcopalis ſecundum ſe eſt perfectionis, & Religionis ſtatus eſt via ad perfectionem, ſicut diſciplina ad magiſterium, & diſpoſitio ad formam, vt docet S. Th. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 8. qui ergo eſt in via, qui fuit ſub diſciplina, qui recepit diſpoſitiones, facilius aſſequetur perfectionem, eiuſque magiſterium, & formam, quam qui ratione ſuæ conditionis ſæcularis in hac via Religioſæ perfectionis, quæ cum Religioſa profeſſione connectitur, greſſus non poſuit, ſub hac diſciplina nunquam fuit, nec diſpoſitiones iſtas recepit; Vnde Bernardus in *Epiſtola 27. ad Ardutionem*, qui ex Curia electus fuerat ad Epiſcopatum Gebennenſem, videtur innuere raros tunc fuiſſe ſæculares, qui anteactam vitam duxiſſent Epiſcopatu dignam, ſic enim ait de Ardutione promoto: *Dicemus nempe, quia à Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris; ſic Paulus ex perſecutore Doctor Gentium factus eſt, ſic Matthæus de Telonio vocatus, ſic Ambroſius de Palatio aſſumptus*

eſt, iſte ad Epiſcopatum, ille ad Apoſtolatum; ſic alios quamplures nouimus de vita, & habitu ſæculari vtiliter extitiſſe promotos; Denique nonne multoties vbi ſuperabundauit delictum, videtur ſuperabundare & gratia? & in Epiſtola 8. ſic iterum dicit; *ſed ſi occurrat de Ambroſio quod de Tribunalibus ad ſacerdotium raptus fuerit, non me valdè confortat, cùm à puero mundam in mundo duxerit vitam.* & poſt pauca: *quamquam ſi tale quippiam quandoque benè, & vtiliter factum fuiſſe agnoſcitur, de quo dici veraciter poſſit: Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi, non tam exemplum quam miraculum afferri debet.*

Ad ſecundum reſpondeo, iam ſupra dictum eſſe quomodo Religionibus non noceat Viris doctis, & pijs priuari in totius Eccleſiæ commodum: ex priuilegio verò, quod S. Greg. conceſſit illi Monaſterio particulari; vt eius Abbas Epiſcopus deſignari non poſſet, non benè infertur id omni Monaſterio iudicaſſe proficuum. ſicut enim dicitur in materia de legibus, & tangit Barboſa *in collect. diſt. 4. cap. Erit autem lex, num.* 25. lex reſpicit bonum commune, quod quia in aliquo particulari caſu ex ſtatuto legis impediretur, ideo conceditur ex priuata lege quod in illo caſu legis ſtatuta prætermittantur: & hoc accidit in caſu, de quo loquimur, nam ex lege conſtitutum eſt, quod Regularis poſſit fieri Epiſcopus, ſed ex priuilegio Abbas illius Monaſterij non poterat fieri Epiſcopus, quia ex aliquibus ſpecialibus rationibus, illius Monaſterij Abbate creato Epiſcopo, tollebatur bonum commune, quod lex intendit, dum ſtatuit Regulares fieri poſſe Epiſcopos; ſed hoc erat ſingulare illi Monaſterio, non verò omnibus commune, idque colligitur etiam ex gloſa, quæ in dicto *Capite* dum rationem reddit quare S. Gregorius illi Monaſterio priuilegium præfatum conceſſerit, ita dicit: *ſolent Abbates electi in Epiſcopos diſpergere res Eccleſiæ ſuæ, cum ſe receſſuros ſperant, quia non parcit populis regimen breue* Abbates igitur, de quibus poteſt eſſe iſta ſuſpicio, non eligantur: ſed in Religioſis, qui pauperem vitam degunt, & ſuper Monaſterij bona non ſunt conſtituti, ceſſat huiuſmodi præſumptio, quapropter S. Gregorius, qui Abbatem illius Monaſterij arcere voluit ab Epiſcopatu, coegit Marianum Monachum renuentem ſuſcipere Epiſcopatum, vt colligitur ex eius *Epiſtola* 45. *lib.* 4. Inſuper conſtat ipſum aſſumpſiſſe plures Abbates ad Epiſcopatum, & præcipuè eos, quos miſit in Angliam ad prædicandam fidem, & ad imbuendum illos populos catholicis inſtitutis.

tis; vel dicerem cum quadam gloſſa, S.Gregorium non prohibuiſſe quod Abbas illius Monaſterij Epiſcopus fieret; ſed quod Monaſterium illud cogi non poſſet per aliquem alium à Papa ad dandum ſuum Abbatem, ſi in Epiſcopum eligeretur; Vnde argumentum ex illo priuilegio deſumptum nihil probat contra dicta.

56 Fundatores verò Religionum, vt tollerent à ſuis Religioſis omnem ambiendi dignitates motum, & omne ſuarum Religionum damnum præcauerent, optauerunt, & voluerunt ſuos Religioſos nonniſi à Papa coactos, poſſe Epiſcopatum acceptare; idem intendebat Generalis Dominicanus *in citata Epiſtola*, vt legenti patet. Tandem perpendendum eſt: quod Sum. Pontifex Ioanni Theutonico reſpōdiſſe narratur loco in argumēto adductò, cū peteret ſuos Religioſos ad Epiſcopatum non promoueri, videlicet. *Voi ſapete ben Padre Generale quello, che dice Criſto nell'Euangelio, che non ſi deue occultar la lucerna, ma porla ſopra del candeliero, acciò che mandi il lume à tutti; e che in vn altro luogo ripreſe quel pigro ſeruo, che haueua naſcoſto il talento riceuuto dal ſuo padrone ſenza trafficarlo altrimente. hauendo dunque Dio dato à molti dell'Ordine voſtro luce di dottrina, e di predicatione, & talenti di molte altre virtù, douete contentarui che le ſpendano per ſuo ſeruitio in tutti quelli carichi, che, ò da lui, ò dal ſuo Vicario ſaranno loro impoſti.* Tandem *Dæmones* illam ſententiam in argumento expreſſam, & gratis admiſſam, ad decipiendum pronunciaſſe tenendum eſt: cum enim timerent ad Religionis augmentum, & ſplendorem, ex quo plurium animarum ſalus conſequeretur, Religioſorum ad Epiſcopatum aſſumptionem profuturam, auertere nitebantur animum illius magni viri à propenſione, quam forte habebat procurandi, vt in bonum, & vtilitatem animarum, Religioſi illius ordinis ad Epiſcopatum promouerentur, territus, ne ex dicta promotione Religio illa, cuius conſiſtentiam ſummopere optabat, funditus euerteretur, ſicut media vxore perſuadere conabantur Pilato, ne Chriſtum occideret, vt, quam ſuſpicabantur, humanam tollerent redemptionem; Vnde illis nulla fides eſt habenda in adducta ſententia. Vel dicerem Religionum deſtructionem, quam Dæmones illi comminabantur ex Religioſorum ad Epiſcopatum promotione, optimè inferri, quando Religioſi ambitione, hipocryſi, ſimonia, ac ſimilibus medijs, Eccleſiaſticas dignitates acquirunt; inhiantes diuitijs, quærentes dignitatis, & honoris

noris locum, nulla habita ad opus bonum ratione,& cum intendunt Epiſcopatum conſequi,non ad regendum,ſed ad fruendum; De his Religioſis verificaretur, quod animæ quædam, quæ Religioſorum fuerant, faſſæ ſunt, dicentes, *Ambitio, & crapula duxerunt nos ad Tartara*.

58 Ad tertium dicendum Religioſos in ſtatu Epiſcopali remanere eſſentialiter Religioſos, & inſuper in eo ſtatu perfectiores euadere poſſe. quàm in Religione, ſicut perfectior eſt forma, quàm diſpoſitio illam introducens, quod argumentum proſequitur S. Th. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 8. Religioſi enim per viam perfectionis incedentes, ad ſtatum perfectionis diſponuntur, & ad illum perueniunt, ſi verè Epiſcopi fuerint, nec debent deſerere illas obſeruantias, quibus præcipuè Religioſorum profectus innititur, quas appellare poſſemus perfectionis diſpoſitiones concomitantes; nam veſtium, ſupellectilis, ac famulorum multitudinis qualitates, ita temperari poſſunt, vt Epiſcopos deceant, & Religioſos non dedeceant. quod clarius apparebit, dum *cap. ſequenti* §. 1. de moribus Epiſcopi Regularis tractabo i Humilitas verò, paupertas, obedientia, cæteræque virtutes Religioſæ ſunt ita Epiſcopali ſtatui annexæ, vt ab eo in ſua perfectione conſiderato vix diuelli poſſint; vnde, quamuis Epiſcopus Religioſus non fuerit, ſi eis præfulgeat Epiſcopali dignitati ſingulare augebit ornamentum, vt patet *ex cap. Epiſcopus vilem, diſt.* 41. *& ex cap. Contra morem diſt.* 100. *vbi ex Greg. Epiſt.* 54. *lib.* 2. *ſic dicitur: nihil in Epiſcopali ceruice ſplendidius fulget, quàm humilitas*. Ideo ſplendor honoris, bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratio, & à Prælatis exemptio, humilitatem cæteraſque virtutes viro Regulari debitas ab Epiſcopo Regulari non remouent, nec in ipſo deſiderabuntur, ſi, Epiſcopus factus, Epiſcopale opus ſecundum Apoſtolica dogmata exequatur; quod plurium Sanctorum Religioſorum Epiſcoporum exemplis illuſtrari poſſet.

59 Dum dicitur in argumento, Regulares ſanctos viros coactos ad Epiſcopatum acceſſiſſe, & alios oblatum conſtantiſſimè recuſaſſe, concedo: ſed hoc in primis denotat Religioſam humilitatem optabiliorem eſſe Epiſcopali dignitate, quod argumentum eruditè proſequitur Platus *de bono ſtatu Relig. lib.* 2. *cap.* 38. & meliorem eſſe Religioſo quietum ſtatum ſuum, quam Epiſcopalem. ex qua ratione S. Gregorius *Epiſt.* 4. *lib.* 11. noluit concedere

Vbi-

Digitized by Google

Vrbicium Abbatem ad Epiſcopatum electum, & dignum habitum, ſic dicens. *Sed quia cæteris ſic eſt aliquis præponendus, vt, dum ipſe exterius proficit, interius non decreſcat, quietem ipſius turbare non poſſumus, ne cum eum ad altiora producimus, minorem illum ſe ipſo fieri miſſum in fluctibus compellamus.* Deinde illorum ſanctorum heroicas patefacit virtutes, & ad Epiſcopale officium idoneitatẽ eximiã; Epiſcopatus enim quęrẽtes, & ſe ingerẽtes repellit, fugientes, renuentes, & reluctantes expoſcit *c. Sicut is, prima quæſt. 6.* quapropter Summi Pontifices, & ſi plures ſanctos viros recuſantes epiſcopari cogere noluerunt, vt Sanctos Bernardum, & Thomam, iudicantes eorum renitentiam admittendam, dum Eccleſiæ vtiliores eos ſperabant, ſi in humilis ſtatus Regularis conditione perſiſterent; alios tamen plures coegerunt Epiſcopatum acceptare, quando id, & ipſis ad meritum, & Eccleſiæ ad profectum futurum crediderunt. tales verò, diuinis auxilijs innixi, idem prudenter ſibi, & Eccleſię prouenturum confidebant, vnde, ſi triſtes manus ad opus miſerunt, gaudentes, & exultantes opus adminiſtrarunt.

o Argumentum Abailardi ſoluit S. Th. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 3. *in corpore*, dum ait; *ex parte eius, qui aſſumitur, non requiritur quod reputet ſe alijs meliorem, hoc enim eſſet ſuperbum. & præſumptuoſum: ſed ſufficit quod nihil in ſe inueniat, per quod ei illicitum reddatur aſſumere prælationis officium; vnde licet Petrus interrogatus eſſet, an Dominum plus cæteris diligeret, in ſua reſponſione non ſe prætulit cæteris, ſed ſimpliciter reſpondit, quod Chriſtum amaret.* & Caiet. in Commentario dicit: *Is, qui eligitur, non tenetur ad comparatiuam, non enim tenetur ad hoc, quòd licitè acceptet, reputare ſe alijs magis idoneum ad Eccleſiæ regimen; ſed tantum ad poſitiuam, quod nullum in ſe impedimentum inueniat ad prælationis officium aſſumendum.* Impedimenta vero, ſi quæ fuerint, ſunt Summo Pontifici exponenda, quę, ſi ipſe tollat, vel diſſimulet, vel talia non eſſe iudicet, certum eſt Regulari tunc expedire à Summo Pontifice iniunctum Epiſcopatum acceptare ſine vlla ſuperbia, vel pręſumptionis ſuſpicione; immo cum ſpe magnos fructus de ſe ipſo, & de alijs reportandi.

Digitized by Google

§. IV.

Quibus actionibus Regularis ad Epiſcopatum promoueatur.

SVMMARIVM.

Regularis promouetur ad Epiſcopatum à Summo Pontifice. 61
Non indiget eius expreſſa licentia ad Epiſcopatum acceptandum, dum ab eo promouetur. 62
Nec indiget Prælati Regularis licentia ad Papæ conſentiendum. 63.
Actiones, quibus promouetur Regularis Epiſcopus. 64
De iure eligendi Epiſcopos Regulares. 65
Hæreticum Dogma. 66
Epiſcopus an poſſit eligere ſibi ſucceſſorem. 67
Licet eligere Regularem ad Epiſcopatum. 68
Diſcrimen inter mendicantes, & non mendicantes. 69
Etiam iam Epiſcopos. 70
Cauſa diſcriminis. 71
Electio in diſcordia. 72
Dubia circa numerum eligentium. 73
Regularis conſentire non poteſt electioni de ſe factæ ſine conſenſu Prælati. 74
Conſenſus iſte expenditur. ibid. & 75
Fuit ſemper de iure. 76
Quid dicendum ſi Regularis ſine tali facultate conſentiat. 77
An iſto conſenſu indigeat electus in Papam. 78
Quis nam ſit Prælatus ille, qui conſentire debet. 80
Quomodo Prælatus præſtet hunc conſenſum. 81
Quomodo ad hoc cogi poſſit. ibid.
Cogere non poteſt ſubditum ad acceptandum. 82
Nec poteſt ſubditi nomine conſentire. 83
Ludouici Granatenſis, & c. præceptum defenditur. 84
Bartholomæi de Martyribus, aliorumque obedientia commendatur. ibidem.
Extrauag. vn. de poſt. præ'at. exponitur. 85
Clem. cap. In pleriſque adducitur. 86

Pri-

Digitized by Google

61 PRimò promouetur Regularis ad Epiſcopatum à Summo Pontifice per immediatam ipſius collationem, Hanc dixi ſupra independenter, & abſque alterius aſſenſu ſuum effectum ſortiri, nec impugnari poſſe, aut impediri à quocumque mortali prætextu cuiuſcumque iuramenti, Voti, Iuris, Priuilegij, Regulæ, ſeu propriæ etiam ſalutis periculi, aut cuiuſuis alterius excogitabilis exceptionis, vel excuſationis; firmaui enim Papam eſſe ſupremum Prælatum, cui ex pleniſſima poteſtate iure diuino debita competit omnibus Eccleſijs Epiſcopos præficere, eique teneri ſingulos fideles obedire de ſuę neceſſitate ſalutis, dum Epiſcopatum iniungit, iura autem, quę inferius adducam, quibus diſponitur Regularem non poſſe conſentire ſuę ad Epiſcopatum promotioni abſque licentia Pręlati Regularis, hanc immediatam collationem factam à Sum. Pontifice non comprehendunt, cum non ſit veriſimile Papam, qui iura condidit, voluiſſe ſuas collationes eiſdem iuribus ſubiacere, quod etiam ex verbis ſacrorum Canonum, quos allegaui, non obſcurè colligitur, ſi attentè expendantur, ait Suarez. *de Rel.*
62 *tom.* 3. *lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 16. Sed dices: Summi Pontificis collatio Epiſcopatus facta Regulari poteſt importare duas actiones ad inuicem ſeparabiles, vnam, qua confert Epiſcopatum, alteram, qua vt ſupremus omnium Religionum Pręlatus dat licentiam acceptandi collationem; ſi ergo Religioſus conſentiat collationi, & non petat licentiam à Sum. Pontifice vt ſupremo Religionum Pręlato collationi conſentiendi, erit pręſumptuoſus, dicam enim infra pręſumptuoſos declarari in Sacris Canonibus illos, qui ſine ſui Pręlati licentia acceptant Epiſcopatum.

Reſpondetur, Quando Summus Pontifex immediatè confert Epiſcopatum, cenſendus eſt, niſi aliud explicet, dare facultatem ad acceptandum, ſicut ſi offert pecuniam, cenſetur dare facultatem accipiendi illam, ſicut ergo iſtę Religioſus non facit contra paupertatem, ſi accipiat pecuniam à Pontifice ſine licentia expreſſa eiuſdem; ita non erit præſumptuoſus ſi acceptet Epiſcopatum collatum à Pontifice ſine alia expreſſa licentia eiuſ-
63 dem Pontificis: Conſuetudo in aliquibus Religionibus petendi à Prælato Regulari licentiam acceptandi Epiſcopatum etiam à Pontifice collatum laudabilis eſt, & commendabilis ex humilitate, & ob ediențiæ perfectione, non verò cenſenda eſt neceſſaria ex diſpoſitione Canonum, nec ex obedientiæ voto requiſita, vnde decretum, quod habetur in Conſtitutionibus Ord.

Prædicatorum *diſt.* 2. *cap.* 13. vbi Fratribus imponitur, vt non acceptent Epiſcopatum, niſi præcepti obligantis ſub mortali vi cogantur, ſine Generalis, vel Prouincialis licentia, excludere debet caſum, in quo Frater acceptaret Epiſcopatum à Sum. Pontifice iniunctum, nulla eum præcepti vi cogente ad acceptandum, etiamſi licentiam ſupradictorum Prælatorum prætermitteret obtinere.

64 Præter hanc Sum. Pontificis immediatam collationem, ſunt tres aliæ actiones, quibus poteſt aliquis ad Epiſcopatum promoueri ab ijs, qui ad hoc habent ius à Sede Apoſtolica, de quo iure *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de Ref. cap.* 1: ſcilicet, *electio*, *poſtulatio*, *præſentatio*, *ſeu prouiſio*; de his actionibus eodem modo philoſophandum eſt. Vnde quod de vna dixero, de alijs me pariter dixiſſe profiteor, parificantur enim in iure, vt patet ex *cap. Quorundam de elect. in* 6. & aduertit Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 17. *&* Sanchez *Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 8. vbi cum *gloſ.* ſuper *Clement. de elect. cap. fin.* dicit nomine prouiſionis venire etiam præſentationem.

65 De iure, ſeu conſuetudine, vel modo eligendi, poſtulandi, ſeu præſentandi Epiſcopos, tam vt nunc viget, quàm vt olim vigebat, differunt viri præcipui, quos adducunt Acugna *diſt.* 23. *cap. Qui Epiſcopus, & Barboſ. in collect. diſt.* 63. *cap.* 1. *& de Off. Epiſcopi p.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *à num.* 9. ibique eruditè de hac re

66 multa ſcitu digna proſequuntur. Contra Hæreticos aſſerentes dictas actiones competere primò, & per ſe Imperatori, Regibus, ac Dominis temporalibus, & horum beneficio Sum. Pontificem, Clerum, & Populum ius habuiſſe Epiſcopos eligendi, quod etiã ad Sum. Pontificis deſignationem extendunt, ſcribunt præter ſupra citatos, noſter Coffteau *contra* Marcum Ant. *de Dominis Reipub. lib.* 3. Bouet. *ibidem, cæterique, qui controuerſias agitant, quos omnes collegit Diana p.* 10. *tract.* 1. *reſol.* 1. *num.* 7.

67 De electione ad Sum. Pontificatum ſatis dictum eſt §. 2. Epiſcopum non poſſe eligere ſibi ſucceſſorem dicitur 8. *qu.* 1. *cap. Epiſcopo, & ſeqq.* niſi hoc illi competeret ex diſpenſatione Apoſtolica, vt dicitur 7. *quæſt.* 1. *cap. Petijſti.* de hac materia rectè agit Barboſa *de Off. Ep. p.* 1. *Tit.* 1. *cap.* 3. *à num.* 39. Modo de Regularium electionibus, poſtulationibus, & præſentationibus, vel prouiſionibus ad Epiſcopatum, quæ auctoritate Apoſtolica fiunt à Clero, Canonicis, Metropolitano, vel Epiſcopis Prouincialibus, aut etiam à Populis, & Principibus, differere in-

Digitized by Google

intendo, ac de conditionibus, quæ exiguntur, vt Regularis ritè eligatur, ſeu præſentetur, inquirere, quod vt recta methodo fiat.

68 Dico *primò* ſemper licuiſſe iis, ad quos olim ſpectabat Epiſcoporum electio, &c. & modò licere, vbi Apoſtolicum priuilegium adhuc perſeuerat, eligere, & præſentare virum Regularem ad Epiſcopatum.

Iura Canonica, quæ, quod dixi, conuincunt, dedi ſupra §. 1. & confirmatur quotidiana experientia, & auctoritate Doctorum, quos adducunt, & ſequuntur Sanchez *Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 29. num. 32.* Acugna *Decret. par. 1. diſt. 38. num. 15.* Barboſa *de offic. Epiſc. par. 1. tit. 1. cap. 3. num. 47.* Suarez *vbi ſupra, &c.*

69 Perpendendum hîc eſt diſcrimen, quod *cap. Quorundam de elect. in 6.* ponitur inter electionem faciendam de Religioſo Ordinum Mendicantium, & de Religioſo Ordinum non Mendicantium, nam ibi diſponitur, quòd Mendicanti Religioſo electio non ſuffragetur, ſi fiat in diſcordia, & loquitur textus de electione paſſiua tantum, vt aduertit Sanchez loco infra citando *num.* 47, loquitur etiam de electione ad particulares Epiſcopatus; nam ſi eligeretur in diſcordia Regularis ex Mendicantibus in Summum Pontificem, non poſſet hęc exceptio opponi validitati huius electionis, quod colligitur *ex cap. Si duo, diſt.* 79. & Gloſ. ibi verbo *contra Faſ.* in diſcordia duorum electorum in Summum Pontificem conuocandum eſſe Concilium Generale, tenet Acugna ibidem, dicitur autem electio fieri in diſcordia, etiam ſi non fuiſſet niſi vnica celebrata, ſi non ſit vnanimis, ſed aliqui contradicant, ita gloſ. *in 6.* vbi ſupra, verbo *in diſcordia.* Immò etiam ſi vnus tantum ex Electoribus contradicat, inquit Sanchez *Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 29. num.* 44. peracta electione, ſi ille, vel illi, qui contradixere, poſtea cæteris conſentirent, adhuc electio diceretur diſcors, vt ait idem Sanchez *num.* 52. excipe electionem Summi Pontificis, quæ per acceſſum conualidatur, vt patet: Religioſo verò non Mendicanti electio ad Epiſcopatum non ſuffragatur, ſi fiat à minori eligentium numero, vt in eodem *cap. in 6.* decernitur: igitur electionibus iſtis contra diſpoſitionem prædicti Canonis celebratis,

70 Religioſi, etiam de licentia ſuorum Prælatorum, aſſentire non poſſunt, quæ diſpoſitio locum habet etiam in Religioſis iam Epiſcopis, ſi ad alium Epiſcopatum eſſent poſtulati, nam iam

Epiſcopus non poteſt eligi, ſed ſolum poſtulari ex *cap. fin. de Poſt Prælat.* ita idem Sanchez *num.* 48. cur verò Pontifex *in dicto cap. Quorundam* voluerit diſcrimen illud ponere inter Mendicantes,
71 & non Mendicantes, incertum eſt. Fortaſſe in cauſa fuit, quòd Populi expectant præſtantiora perfectionis exempla à Mendicantibus; Vnde eos decet ad perfectionis indicium omnem fumum litis declinare, vt ergo in hoc perfectionis gradu perſiſterent, voluit ab eis amouere hac Conſtitutione omnem occaſionem litigandi de validitate electionis cum coelecto, vel cum Electoribus, qui in eius perſonam non conſenſere.

72 Quod adeò perpendiſſe Pontificem apparet, vt decreuiſſe credatur, etiam electionem illam fuiſſe in diſcordia factam, in qua Electores, qui diſſentirent, præſentes tamen, nullum verū ius in electione tunc habuiſſent, & id, iuris ordine ſeruato, fuiſſet etiam poſtea ab habente auctoritatem deciſum, quod colligit Sanchez *ibidem num.* 45. *ex Clem. Quod circa de elect.* contra gloſ. *in cap. Quorundam*, vbi ſupra. Dixi *præſentes*, nam abſentes, ſeu qui vocati, & expectati non venerunt, etiamſi contradicant, non reddunt electionem diſcordem, ſicut nec amentes, nec illi, qui nunquam ad electionem fuerunt admiſſi, nec eſſent de iure ſaltem colorato admittendi, ideoque vocati non fuere, iſti enim, nec verè, nec apparenter faciunt numerum cum Electoribus, cum nec quidem coloratum habeant ius ad interueniendum electioni.

Circa numerum eligentium agitare poſſumus quędam Dubia, quæ ſic expono.

73 Sint duodecim Electores, qui collegialiter vniti, & in æquales partes diuiſi eligant, ſeu præſentent duas perſonas. Quæro an Religioſus ex non Mendicantibus, ſi ſit vna ex illis perſonis, poſſit ſuæ electioni conſentire iure acquiſito ex electione æqualis partis eligentium, abſque eo, quod illi obſtet *cap. Quorundam de elect. in 6.* Videtur enim quod ſic, nam qui eligitur à media parte, non eligitur à minori; *& diſt. 63. cap. fin.* decernitur, quòd ſi vota eligentium in duas ſe diuiderent partes, Metropolitani iudicio poſſet vnus alteri præferri, hoc igitur poterit etiam fieri in electione de Monacho facta: verum dicendum eſt, Monacho ſic electo, obſtare illum Canonem; nam & ſi materialiter non ſit media pars minor alia parte, ſed æqualis, adhuc daretur litibus occaſio, quas Canon extinguere intendit, ſi Monachus poſſet prætendere ius aliquod ex dicta electione acquiſiuiſſe.

niſſe, eſſent enim eligentium merita conferenda, vt appareret, quis ex duobus eſſet potioris iuris, vt in cap. ſupradictæ *diſt.* innuitur, & ex contrarijs opinionibus, quæ de electis, & electione haberentur, plures inſurgerent diſcordię. Præterea *cap. Quoniam, de iure patr.* improbantur electiones, quando vna pars electorum aliam non excedit.

Sed contra, ſi illi duodecim Electores Collegialiter vniti eligerent tres, quorum duo haberent totidem tria vota, tertius verò ſex vota, ille tertius eſſet electus, quia habuit plura vota quàm duo alij, & tamen non habuiſſet niſi medietatem votorum; ergo medietas in hoc caſu non eſſet cenſenda minor, ſed maior pars.

Reſp. illum tertium, ſi ab Electoribus collegialiter vnitis electus fuiſſet, non habuiſſe formaliter plura vota cæteris concurrentibus; nam quamuis habuiſſet plura vota, non tamen habuiſſet plures eligentes, quod requiritur formaliter in huiuſmodi electione, vt patet ex illo *capite Quoniam.* Si verò electores ſingillatim, & diuiſim eligerent modo prædicto, tunc ille tertius eſſet electus, quia tunc diceretur electus à maiori parte; habuiſſet enim ſex, & alij tres pro quolibet, & ita interpretantur Canoniſtæ illud *cap. Quoniam* apud Sanchez *vbi ſupra num.* 55. idem dicendum eſt de poſtulatione, & præſentatione ad Epiſcopatum, vt ſæpius admonui, Conſtitutio enim *cap. Quorundam,* extenditur etiam ad omnes illas actiones, cum in illis ſit æqualis ratio cum electione, vt bene Suarez *loco cit. num.* 17.

74 Dico *ſecundò* Regularem non poſſe electioni de ſe factę ad Epiſcopatum conſentire quocumque iure acquiſito, niſi ad id accedat expreſſus conſenſus ſui Prælati Regularis, dixi *expreſſus conſenſus*; nam puto non ſufficere neque tacitum, neque interpretatiuum, neque ſub quocumque ſpecioſo titulo præſumptum, ſed exigo conſenſum, vel voce coram teſtibus, vel ſcripto datum, & firmatum, debet enim produci coram Sede Apoſtolica in forma probante. Hoc totum diſponunt ſacri Canones *cap. Quam ſit neceſſarium* 18. *quæſt.* 2. *& cap. Si Religioſus in* 6. *de elect.* & colligitur *ex cap. Quorundam ibid.* Si verò Regularis ſine ſui Prælati aſſenſu electioni huiuſmodi conſenſiſſet, ſacri Canones citati decernunt electionem de eo factam nullam eſſe, & in pœnam præſumptionis hic electus priuaretur ipſo facto, etiam in foro conſcientiæ, omni iure ex tali electione quæſito, ita vt Electores poſſent, & deberent ad aliam electionem liberè procedere,

dere, dixi *in pœnam præſumptionis*, niſi enim dolus interueniret, dictam pœnam non incurreret, vt docet Theſaurus verbo *Electio cap. 9.* vbi aduertit, quòd ſi Religioſus abſque licentia ſui Prælati conſentiret, quamuis Prælatus conſenſum Religioſi iam datum poſtea approbaret, adhuc electio illa eſſet irrita, quibus conſonant, quæ communiter docent Canoniſtæ, vt videri poteſt in Sũma Silueſtri verbo *Religio 7. quæſt. 6. & 9.* Si præſentata electione, Religioſus electus, vel eligentes hanc licentiam à Prælato non impetrarent intra certum tempus, tunc etiam electus priuaretur iure quęſito, & electores poſſent ad aliam electionem procedere, *cap. Quam ſit, de elect. in 6. & gloſ.* ibi verbo *obtinere*: nec iuuaret Regularem licentia generalis obtenta à Prælato ad conſentiendum cuicunque electioni de ſe faciendæ; dum huius licentiæ prætextu electioni de ſe poſtea factæ conſentiret: nam iſta licentia irritatur in Clem. *de elect. cap. fin.* nec eundem iuuaret licentia etiam ſpecialis obtenta pro vacaturo huius Ciuitatis Epiſcopatu in ſingulari, vel de facto vacante, ad quem non eſſet adhuc electus, debet enim hæc licentia electioni iam factę ad certum titulum Epiſcopatus neceſſariò ſubſequi; ita cum gloſ. *in ſupradicta Clementina* verbo *Nullius*, & pluribus Canoniſtis, Sanchez Decal. *tomo 2. lib. 7.*
75 *cap. 29. num. 60* Si verò Prælatus concederet iſtam licentiam ſub conditione de præterito, v. gr. concedo huic meo Religioſo facultatem acceptandi Epiſcopatum talis Ciuitatis, ſi modo iam fuerit ad eundem Epiſcopatum electus, ſeu præſentatus, &c. poſſet Religioſus ille cum hac conditionali licentia electioni prædictæ conſentire ex Bonifacio in eadem Clementina *num. 28.* quem ſequuntur Sanchez loco citato *num. 61.* & Acugna *diſtinct. 58. cap. 1*: In Ordine Prædicatorum, vt refert Fontana loco infra adducendo, ab anno 1313. prohibitum fuit ſuperioribus, ne licentiam darent Fratribus recipiendi Epiſcopatus quoſcunque, & indeterminatos.

Dicere quis poſſet, hanc neceſſitatem pro validitate electionis de perſona Regularis exigendi conſenſum Prælati, non eſſe attendendam in electionibus ad Epiſcopatum, ſed ad inferiora tantum Beneficia, quia Canones citati non videntur concernere niſi Prælaturas, quæ ſunt ſtatu Religioſo minus perfectæ, & conſequenter infra ſtatũ Religionis, non verò Prælaturas religioſo ſtatu perfectiores, vt eſt Epiſcopatus, *cap. Niſi cum pridem de renunciat.* ſicut ex eadem cauſa non exigitur conſenſus Præla-

ti

ti Regularis pro tranſitu ad arctiorem, vt infra patebit:

Reſpondetur Canones illos loqui de Prælatura extra Religionem, & ita comprehendere Epiſcopatum, ſicque interpretari ab omnibus Canoniſtis, diſparitas autem euidens eſt inter tranſitum ad Epiſcopatum, & ad ſtrictiorem; tranſitus enim ad Epiſcopatum eſt quidem ad ſtatum Religioſo perfectiorem, verùm propter pericula, quæ imminent Epiſcopo, melius eſt Religioſo Epiſcopum non eſſe, vt ſupra probatum eſt ex illa ratione, qua conuincitur declinare Epiſcopatum ad propriam perfectionem multum expedire poſſe, tranſitus autem ad ſtrictiorem omni periculo caret, & ad acquirendam perfectionem non parum iuuat.

76 Sed quæres. Vtrũ iſte aſſenſus Prælati eſſet exigendus, antequã in adductis Canonicis decretis præſcriberetur; exiſtimo quòd eſſet exigendus. *Primò*, quia videtur id ſtatutum fuiſſe à S. Gregorio Primo, vt habetur 18. *quæſt.* 2. *cap. Quam ſit neceſſarium*, illis verbis, *nullus Monachus ſinè teſtimonio, & conceſſione Abbatis ſui in Eccleſia aliquem locum teneat, vel ad aliquem promoueatur honorem*, quod in ipſius *Epiſt.* 18. *lib.* 7. ſic legitur: *ad Eccleſiaſticum tamen officium nullus exinde, hoc eſt, ex Monaſterio producatur niſi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit*.

Item in Ordine Prædicatorum extat prohibitio Pariſijs in Capitulo Generali anno 1233. facta Fratribus dicti Ordinis; & conſequenter ante conditos Canones *Si Religioſus, & Quorundam in Sexto*, ne acceptarent Epiſcopatus ſine Superiorum licentia, ſub pœnis grauiſſimis, etiam ſpirituali ſuffragiorum priuatione, vt refert idem Fontana *in lib. Conſtit. Ord. Præd. par.* 1. *verbo Epiſcopus*, & habetur in Conſtitutionum volumine *diſt.* 2. *cap.* 13. *V.* hoc autem ſapientiſſimi viri in illo Capitulo congregari non egiſſent, ſi ex vi Religioſæ profeſſionis Fratres non iudicaſſent obligatos ad expectandam licentiam Regularium Prælatorum, antequam Epiſcopatum reciperent, quod intelligere oportet excluſo caſu, in quo collatio fieret immediatè à Papa, quæ non exigit aliùm inferiorum Prælatorum conſenſum, vt ſupra dictum eſt; verum verò prædicta priuatio ſuffragiorum ſubſiſtat, dicam infra *cap.* 2. §. 6.

Secundò nam docet Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 15. quòd iſte conſenſus exigendus ſemper erat ex vi profeſſionis Religioſæ, per quam remanet obligatus Religioſus expecta-

pectare hanc ſui Prælati licentiam, quod ita probat; nam abdicatio voluntatis, quam in voto obedientiæ Religioſus emiſit, cenſetur abſoluta, & vniuerſalis, & conſequenter includere intentionem perſeuerandi in Monaſterio, nec inde vnquam diſcedēdi ſine Superioris licētia; dependet ergo Religioſus à voluntate ſui Prælati, cui promiſit obedientiam, ſi voluerit diſcedere vt Epiſcopus fiat, & ſi aliter dignitatem acceptauerit faciet contra votum obedientiæ: vnde præſumptuoſus dicitur in Canone *Si Religioſus*, ex quo patet S. Canonem non eſſe conſtitutiuum, ſed declaratiuum; declarauit enim ſemper ſeruari debuiſſe, quòd Religioſus non fieret Epiſcopus ſine ſui Prælati licentia, & ſi ſecus factum eſſet, prẹſumptionis notam Religioſus electioni conſentiens incurriſſet; hoc autem ſuppoſito, decreuit illa Apoſtolica Conſtitutio talem electionem nouo iure inpoſterum irritam fore, ſi ille Regularis ſine huiuſmodi licentia conſentiret, cum antea abſque licentia aſſentiendi, fuiſſet quidem prẹſumptuoſus, ſed electio ob talem defectum irrita non fuiſſet; ita Suarez *vbi ſupra num.* 15. Si verò Religioſus habuiſſet intentionem profitendi perpetuò manere in Monaſterio, indeque non diſcedendi ſine conſenſu Prẹlati, niſi tamen ad Epiſcopatum aſſumeretur, quẹ intentio non aduerſatur profeſſioni Religioſẹ, dummodo aliquid in contrarium in regula non exprimeretur, vt patet, tunc non fuiſſet prẹſumptuoſus Religioſus, ſi ante conditum Canonem *in 6.* acceptaſſet Epiſcopatum abſque ſui Prẹlati licentia, iſta enim intentio à prẹſumptione illum excuſaſſet.

77 Si Regularis conſentiret poſtulari, vel prẹſentari ad Epiſcopatum ſine licentia ſui Prẹlati, in caſu, quo per talem poſtulationem, vel præſentationem acquireretur aliquod ius poſtulato, vel prẹſentato, irrita eſſet poſtulatio, & prẹſentatio, ſecus ſi nullum ius acquireretur, tunc enim Religioſus, nec prẹſumptionis notam, nec inobedientiæ culpam incurreret, & conſequenter nulla illi propter hoc pœna in Canone conſtitueretur.

78 Non defuere Doctores, inter quos Silueſter verbo *Religio* 7. *quæſt.* 9. & alij, de quibus infra in fine huius numeri, qui opinati ſunt hanc licentiam Prẹlati intrinſeci, vt ita dixerim, Religionis neceſſariam eſſe etiam Religioſo electo in Summum Pontificem; ſi tamen non ex Cardinalatu, Epiſcopatu, ſeu alia Dignitate, quẹ eum à iugo Monaſticẹ regulẹ iam abſoluiſſet, ſed ex humili Religionis ſtatu eligeretur; itaut, ſi ex hoc ſtatu

ſine

ſine tali licentia conſenſiſſet, teneretur ad Religionem reuertere dimiſſo Pontificatu, quòd verò caſus ſit poſſibilis, vt purus Religioſus eligatur in Papam, *primo* patet, quia de puro Religioſi ſtatu ritè, & rectè electi fuerunt in Sum. Pontifices Eugenius IV. Cœleſtinus V. Vrbanus V. & fortè etiam F. Io. de Vercellis Sextus Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis; ſed ante ſibi præſencatam electionem obiiſſe narratur in *manuali eiuſdem Ordinis Cronica cap.* 8. quam narrationem Spondanus *Anno* 1281. 3. acriter impugnat. Deinde id fieri poſſe docent communiter Theologi, quos adducunt Acugna, & Barboſa *ſuper cap. Oportet diſt.* 79. *&* Diana *par.* 5. *Trac.* 2. *Reſol.* 63. quamuis conſuetudo rarò intermiſſa in Eccleſia ſemper fuerit non niſi ex Cardinalium cætu Pontificem aſſumere, quod conſonat eidem *cap. Oportet, & cap. Nullus diſt.* 79. vbi Stephanus Papa decernit, non niſi vnum de Cardinalibus in Apoſtolatus culmen eſſe conſecrandum, quod tamen Canoniſtæ interpretantur ſtatutum non fuiſſe tamquam præceptum, ſed datum tamquam conſilium, ac ſi Pontifex dixiſſet, ſi inter Cardinales idoneus inueniatur, vt dicit *gloſ. ibi*, Cardinalis in Papam eligatur, ſem per autem cęteris omnibus magis idoneus, & dignior inuenitur ad Apoſtolatus culmen in illo ampliſſimo Collegio, in quo fere omnes ſunt merito magis quàm dignitate Eminentiſſimi, ſi verò Cardinales iudicarent extra Collegium alium cęteris omnibus de Collegio digniorem reperiri, adhuc digniorem non ſimpliciter, ſed ex ipſo Collegio eligere deberent in Papam, vt docet Azor *inſt. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. §. *Accedit quod*: Reprobatur communiter Hugo *cap. Nullus diſt. cit.* qui voluit, poſſe Cardinales Sede vacante promouere aliquem ad Cardinalatum, vt illum poſſent poſtea ad Pontificatum ſublimare, de quo videndi *Acugna eodem cap.* Barboſa *in Clem. cap. Ne Romani num.* 5. cum *gloſſ.* verbo *Poteſtatis*, & Authores ab ipſis collecti, Capicius *deciſ.* 114. diſputat An Cardinales Sede vacante poſſint dignitate Cardinalitia priuatos in eandem dignitatem reſtituere. Sed ſi contingeret purum Religioſum Papam fieri, dico quòd illi neceſſaria non eſſet prçuia Prçlati Regularis licentia ad aſſentiendum electioni prçdictç, veluti cum magna Doctorum manu probat Acugna *diſtinctione* 58. *capite primo* quibus conſentit etiam Silueſter, qui *verbo Votum* 3. *quæſt.* 4. mutauit ſententiam, quam vbi ſupra verbo *Religio* propugnauerat, idque patet euidenter, tum quia ex tali electione deueniſſet eo ipſo electus

F Su-

Superior omnibus Prælatis, & primus omnium Prælatorum, exemptus à cuiuſcumque hominis ſubiectione, & omnino independens, Papæ enim electio nullam admittit exceptionem, vt dixit *gloſſ. diſt. 79. cap. Si quis*, verbo, *& Canonica*, quod habetur etiam *extra cap. Licet de electione*, id tamen ſubeſt aliquibus limitationibus, vt aduertit idem Acugna *ſuper idē cap. diſt. 79.* tum etiam quia iura, quæ illum Prælati conſenſum exigunt, coarctant ſe ad Religioſos, qui acceptant Epiſcopatum extra Monaſterium, Pontificatus autem Romanus eſt ſupra Monaſterium, vnde de eo intelligi non debent. Ita Suarez *tomo 3. de Relig. lib. 10. cap. 10. num. 8.* & ſequentibus. Item *tomo 4. tract. 10. lib. 6. cap. 9. num. 15.* loquendo in ſpecie de viris Soc. IESV. Sanchez *in præc. Decal. lib. 7. cap. 29. num. 58.* & Barboſa cum allegatis ab ipſo *ſuper cap. Quam ſit neceſſarium 18. quæſt. 2. num. 4.* Ex dictis patet non benè dixiſſe *gloſſ.* in ſupracitato *cap. Quam ſit neceſſarium.* Monachum, ſi fiat Papa inuito Abbate, debere redire, & compellere ſe redire, quia cùm teneatur de alijs iuſtitiam facere, multò fortius de ſe ipſo; hanc *gloſſ.* male ſecuti ſunt plures Canoniſtæ, quos refert, ſed non ſequitur Barboſa vbi ſupra.

79 Dum ergo dico exigendam eſſe à Regulari licentiam Prælati ad acceptandum Epiſcopatū, id intelligendum eſt tantū de priuatis Epiſcopatibus, Romanus verò, qui eſt Epiſcopatus totius Eccleſiæ vniuerſalis, ab hac obligatione omnino excludēdus eſt.

80 Sed reſtat explicandum ad quem Prælatum pertineat præbere ſupradictum conſenſum, quamuis enim de iure communi quilibet ſuperior, qui in illo Monaſterio non habet ſe maiorem in regimine, dicatur Prælatus, vt Prior, Guardianus, Rector, Præpoſitus, & ſimiles, tamen ad particulares effectus iſti aliquando non cenſentur Prælati, ſicut verbi gratia Prior in Ordine Prædicatorum non poteſt concedere ſua ordinaria poteſtate licentiam libros imprimendi, ordines ſuſcipiendi, &c. Vnde ad hos effectus non cenſetur Prælatus; ille ergo erit ſub Prælati nomine intelligendus, dum de præſtando conſenſu ad Epiſcopatum agimus, cui ſecundum ſpecialia iura, vel ſuæ regulæ ſanctiones hæc facultas competere conſtabit, quæ cuicumque Prælato locali competere poſſet, ſi non prohiberetur, hinc conſtat non rectè dixiſſe quoſdam, ſolos Generales de iure hanc licentiā concedere poſſe, vt benè Sanchez Decal. *tom. 2. lib. 7. cap. 29. n. 65.*

In ordine Minorum ſolus Miniſter Prouincialis, vel Generalis dat hanc licentiam; ita fertur conceſſum huic Ordini

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe ab Alexandro Quarto.

In Ordine Prędicatorum particulares Religioſi indigent licentia Prioris Prouincialis, vel Magiſtri Ordinis, aut Generalis Capituli, excluſis Vicarijs Prouincialibus, & Generalibus, ita decernitur in Conſtitutionibus *diſt. 2. cap. 13. §. 5.* quam ordinationem elucidat Fontana in ſuo libro Conſtitutionum Ordinis Prędicatorum *par. 1. tit. de Epiſcopis.* Dubitari poſſet, vtrum iſti Priores Prouinciales, ſi in Epiſcopos eligantur, indigeant conſenſu Magiſtri Ordinis, vel Capituli Generalis; Nam quare ipſi non poſſent ſibi permittere, quod alijs poſſunt indulgere; quę ratio multo magis militat in dicto Magiſtro Ordinis in Epiſcopum electo. Dicet aliquis Prouincialem, & Magiſtrum Ordinis indigere licentia Legati à latere exiſtentis in illa Prouincia, vt videtur eſſe diſpoſitum *in cap. Cum venerabilis de conſuet. & in 6. cap. Si Abbatem de elect.*

Sed dicendum eſt tàm Prouincialem, quàm Generalem Ordinis Prędicatorum ad conſentiendum electioni ad Epiſcopatum indigere licentia, ille Magiſtri Generalis, iſte Capituli Generalis, quod eſt Generalis Magiſtri Pręlatus, & Superior totius Ordinis, cum enim Canones diſponunt Regularem non poſſe conſentire ſuę electioni ſine aſſenſu Superioris, quiſque debet hunc aſſenſum expectare à Superiore, cui ſubijcitur, licet poſſit eandem licentiam ipſe dare ſibi inferioribus, quia in habitudine ad iſtos eſt iſte ſuperior.

Apud Treuerim 1289. prohibuere Patres Ordinis Prædicatorum in Capitulo Generali congregati Prioribus Prouincialibus, ne concederent licentiam Fratribus acceptandi Epiſcopatus ad titulos vagos, quod Fontana vt ſupra intelligit de licentia ad Epiſcopatus quoſcunque, & indeterminatos, ſed poſſet etiam intelligi de licentia ad Epiſcopatus titulares; ab Epiſcopis enim titularibus de Ordine aſſumptis timeri magis poterat id, ex quo ad illud prohibendum Patres illi mouebantur, ſcilicet, ne Ordo ex iſtis promotionibus Fratrum ad Epiſcopatus titulares veniret in contemptum, vt in actis dicti Capituli exprimitur.

In Societ. IESV ad Prępoſitũ Generalem pertinet hanc licentiam concedere ſolemniter profeſſis, ſed debet prius quàm illam concedat, ad id cogi à Summo Pontifice, qui etiam cogere deberet totum corpus Societatis ad eandem licentiam dandam eidem Prępoſito, ſi ipſe in Epiſcopum eligeretur, nam ſuę electioni conſentire non poſſet, ſi id ei à tota Societate non permit-

 te-

teretur, quod etiam extenditur ad acceptationem Patriarchatus Ætyopię, & ſimilium dignitatum in partibus infidelium, quibus nulla ſunt annexa temporalia commoda, ſed connexa incōmodá, pericula grauiſſima, & extrema, ſi verò agamus de Religioſo Societatis non adhuc ſolemniter profeſſo, dico hunc etiam indigere facultate Generalis, vt conſentire poſſit ſuę electioni; Generalem verò hanc illi concedere facultatem rectè non poſſe, niſi cogeretur à Pontifice, verùm ſi illam non coactus concederet, adhuc electio eſſet valida, quamuis enim inueniatur in Conſtitutionibus Societatis prohibitio Generali facta de non conſentiendo niſi coactè electioni etiam non ſolemniter profeſſi, ſi tamen Generalis conſentiret non coactus, electio illa ſubſiſteret, impleta per talem conſenſum conditione requiſita à iure communi: conſulendi ſunt de hac re Scriptores Societatis, qui in ſuis Conſtitutionibus verſati, eruditè de his, quę dixi, pertractant, inter ipſos legendus Suarez *tomo 4. de Rel. tomo 10. lib. 6. cap. 9. num.* 20. Hac facultate Pręlati Regularis conſentiendi electioni de ſe factę non indigent Regulares, qui iam ſunt Epiſcopi, ſi ad alium Epiſcopatum eſſent poſtulati, quia Religioſus iam Epiſcopus non habet Pręlatos Regulares ſibi ſuperiores, à iugo enim regulę Monaſticę profeſſionis eſt abſolutus 18. *quæſt.* 1. *cap. Statutum.* verum indigent Summi Pontificis aſſenſu, qui vltra tranſlationem, quam admittit, deberet inſuper & in poſtulationem conſentire, quod ſi deeſſet, poſtulatio illa cenſeretur nulla, patet hoc, quia in ſacris Canonibus exigitur ſuperioris conſenſus ad validitatem poſtulationis perſonę Regularis, ſed iſta perſona, etiamſi Epiſcopus, eſt Regularis; ergo indiget conſenſu ſuperioris; ſed regulariter loquendo nullum habet alium Superiorem præter Pontificem, vt infra dicetur; ergo indiget vltra tranſlationis facultatem, etiam eius conſenſu, vt poſtulatio ſuum ſortiatur effectum; iſte autem Summi Pontificis conſenſus ſufficeret quod eſſet præſumptus, vel implicitus, aut tacitus, & interpretatus; nam Papa intendit ſuos actus eſſe efficaces, dum alicui aliquod beneficium confert, vt infra num. 216. copioſius dicam.

Nota, cum Vrbanus Octauus in ſua Conſtitutione, quę incipit, *Cum ſicut accepimus*, data 21. Maij 1638. decreuiſſet per tranſlationem Regularis ad Congregationem dignitatum extra Monaſterium incapacem, non ceſſare votum emiſſum in alia Congregatione de non acceptando, vel procurando Epiſcopatum,

tum, adinuenta fuit quędam interpretatio, quòd, ſcilicet, ille Regularis poſſet acceptare Epiſcopatum, ſi à Generali Congregationis, ad quam tranſierat, hoc illi præciperetur, vel votum illud relaxaretur, hanc interpretationem Vrbanus excludere volens, 26. Febr. 1643. in alia edita Conſtitutione, quæ incipit *Honorum*, decreuit dictum votum relaxari non poſſe niſi tantum à Sede Apoſtolica, declarando quòd per authoritatem generalem relaxandi vota à Sede Apoſtolica conceſſa nunquam intelligatur huius voti relaxatio permiſſa, niſi de ea ſpecifica mentio fiat. His poſitis patet nullum ſuperiorem Summo Pontifice inferiorem poſſe conſentire electioni factæ de Regulari, qui in aliquo Ordine emiſit votum de nō acceptando Epiſcopatum, niſi à Summo Pontifice illi ſpecialiter concederetur, quod conſentire poſſet.

81 Iſte conſenſus, qui Prælato attribuitur, regulariter concedi poteſt ab ipſo ſine Capitulo, *cap. Si Religioſus in 6.* attamen ſi eſſet quo ad hoc Prælatus ſolum ille, qui deſignaretur ſecundum regulam, tunc, quando conſentiret cum participatione Capituli, & non aliter, indigeret Capitulo, tanquam diſpoſitione præuia, ſine qua non eſſet quantum ad hoc Prælatus, ſicut Generalis Societatis, ſi Apoſtolica authoritate non coactus præberet conſenſum quod ſolemniter profeſſus poſſet electioni aſſentire, iſte conſenſus eſſet irritus, nam quantum ad hoc Generalis non cenſetur à Societate Prælatus, niſi quando ad eius aſſenſum præceſſit Apoſtolicæ Sedis compulſio. Eugenius IV. quibuſdam Religionibus conceſſit, vt earum Religioſi non poſſent electioni prędictę conſentire ſine Capituli, vel Generalis licentia, ſecus agentibus grauibus pęnis punitis, vt refert Rodericus *in ſuis Reſol. regul. reſ. 15. num. 7.*

Iſte conſenſus à legitimo Prælato negari non debet ſine iuſta cauſa, quæ *in gloſ. ad cap. Quorundam, & Quam ſit neceſſarium 18. q. 2.* dicitur eſſe ſola neceſſitas Eccleſię, tamē extenditur ab alijs hęc iuſta cauſa etiā ad eiuſdē Eccleſię vtilitatem, vt refert Barb. in eodē *cap. num. 2.* ſi verò à Prælato talis conſenſus negaretur, poteſt ille Prælatus compelli à ſuperiore ad conſentiendum, ita Silueſter *verbo Religio 7. quæſt. 9.* & alij allegati à Barboſa ſuper idem *cap. Quam ſit neceſſarium*, vbi ſupra *num. 2.* per Superiorem verò hic communiter intelligitur tantum Summus Pontifex, ita *gl. in illo cap. Si Religioſus*, & docet *Leſſ. de iuſt. lib. 2. cap. 41. dub. 11. num. 97.*

Sed

Sed contra nam *diſt.85.cap. Archidiaconus.* dicit *gloſſ.* non eſſe cogendum Prælatum ad præſtandum hunc aſſenſum.

Reſpondetur cum eadem *gloſſ.* id non eſſe intelligendũ de coactione ſuperioris Prælati ad conſenſum præſtandum, ſed de coactione, quæ tollit in Prælato moraliter voluntarium, debet enim iſte conſenſus Prçlati eſſe omnino liber, & non extortus *ex gloſſ. cap. Quorundam de elect. in 6.* non autem diceretur extortus, ſi precibus impetraretur. coactio enim iſta non tollit, quin eſſet in poteſtate concedentis petitum conſenſum negare æquè ac concedere. nam Prælatus ex negatione ſibi non metueret malum aliquod euenturum, nec ex conceſſione aliquod magnum bonum acceſſurum. Si vero ita conſenſus eius impetraretur, vt ſi illum negaret, poſſet Prçlatus ſibi aliquod graue malum pertimeſcere, vel ſi concederet, temporale aliquod bonum conſiderabile ſibi ſperare, tunc conſenſus diceretur extortus, & nullus, ac nullius effectus, & inde electio etiam cum tali conſenſu eſſet irrita, & nulla iudicanda.

82 Dico tertiò Prçlatum Regularem cogere non poſſe ſuum ſubditum ad aſſentiendum electioni factæ de ſua perſona ad Epiſcopatum, dixi *Prælatum Regularem*, quo nomine venit quicumque etiam non Regularis, vt eſſet ſecularis Epiſcopus, vel Cardinalis Protector, aut Legatus de latere, &c. qui eſſent delegati à Sede Apoſtolica Religionis Prælati, Recolendum eſt quòd ſupra *num.* 18 dicebam, ſcilicet, ſolum Summum Pontificem poſſe Regularem cogere ad acceptandum dictam electionem ſua ſuprema iurisdictione quàm delegare itidem poſſet, ſed modo loquor de coactione in virtute voti obedientię, vltra quam nulla eſt in Prçlato Regulari ſupra ſubditos ordinaria poteſtas, vnde cùm S. Thoma 22. *quæſt.* 85. *artic.* 2. *ad tertium* docet votum emittentem teneri obedire Superiori Prælato obliganti ad acceptandum Epiſcopatum, nomine Prælati intellexit Summum Pontificem per ſemet, vel delegatum id prçcipientem, non in vim voti obedientię, ſed in vim ſupremę iuriſdictionis; in hoc ſenſu concluſio eſt Soti *de Iuſt. lib.* 10. *quæſt.* 2. *artic.* 2. Card. Lugo *Reſp. moral. lib.* 3. *dub.* 4. & communis inter Doctores, quos adducit, & ſequitur Sanchez *Decal. tomo* 1, *libr* 4. *cap.* 8, *num.* 38. & *tomo* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 42. Diana quoque *parte* 6. *Tract.* 8. *Miſcell. Reſol.* 33. qui pro vtraque ſententia pluribus Doctoribus productis, inquit, ſine fundamento aliquos his diebus circa pręſens dubium aliter loquutos eſſe, & meritò;

nam

nam ſupradicta concluſio veluti certa ſupponitur ab Vrbano VIII. in ſupra citata Conſtitutione, vbi ait *aliquos Superiores Regulares perperàm prætendere poſſe præcipere ſuo Religioſo vt Epiſcopatum acceptet, licet per præcepta huiuſmodi à debita obedientia eximatur*, ac ſi diceret, non poteſt Superior Regularis præcipere ſuo Religioſo quòd acceptet dignitatem, per quam eximitur à debita obedientia, hæc autem eſt, inter alias, dignitas Epiſcopatus, per quam tollitur iugum Regulæ Monaſticæ ex illo *cap. Statutum*, & conſequenter in ordine ad Prælatos Regulares obedientia, vt infra patebit. Vnde rectè dicit Lugo vbi ſupra num. 19. *Si quando aliter in hoc puncto ſenſiendi facultas fuit, iam nunc poſt Sedis Apoſtolicæ declarationem nemini fas eſt aliter opinari.*

Probatur modò concluſio ratione: Prælati iuriſdictio limitatur à regula, itaut quod eſt circa regulam, excedat obedientiæ votum; ſed ſtatus Epiſcopalis eſt circa regulam, non enim inuenitur in aliqua Religione ſancitum, quòd ad præceptum Prælati acceptetur Epiſcopatus, immo, vt ſupra dicebam §. 1. & inferius iterum dicam, Religioſi mētem in ingreſſu Monaſterij non aliam ſuſpicandam eſſe, quàm perſeuerandi in humili Religionis ſtatu per totam vitam; ergo à Prælato cogi non poteſt Regularis ad acceptandum Epiſcopatum.

83 Inde rectè colligit Sanchez *vbi ſupra num. 69. & 70.* Superiorem non poſſe nomine ſui ſubditi conſentire in ius acquiſitum ex eius electione, & conſequenter nec illi renunciare inuito ſubdito ſuo, quia in hoc non habet facultatem diſponendi de voluntate ſubditi, & quamuis ſubditus eius non habeat neque velle, neque nolle ex *cap. Si Religioſus de elect. in 6.* habet tamen velle, & nolle in his, quæ ad obedientiam non pertinent, & non ſunt ſecundum regulam, vt ex S. Th. ſupra probaui; quapropter ſi Prælatus velit denegando conſenſum impedire, quòd electio ſui Regularis non habeat effectum, poteſt Regularis agere apud Superiorem, quo nomine ſolum venit Sum. Pontifex, vt ſupra dixi num. 81. qualiter examinata cauſa denegationis, ſi iuſta non ſit, cogat Prælatum ad præſtandum conſenſum, & ſic habet velle, ſi verò Prælatus velit illum cogere vt electioni conſentiat, poteſt non velle, vt probatum eſt, & ita habet nolle.

Limitandum tamen hoc eſt in caſu, quo eſſet aliqua regula, vbi decerneretur Regularem poſſe cogi à Superiore Regulari ad acceptandum Epiſcopatum, vel ipſe Religioſus emiſiſſet votum ad arbitrium dicti ſui Prælati in idem conſentiendi, tunc enim poſ-

Digitized by Google

poſſet Prælatus Regularis illum cogere, cum id ad regulam pertineret, & eſſet emiſſi voti materia, ſed nulla adhuc regula condita eſt, quę rem hanc decernat, & fortaſſe nec inueniri poterit aliquando, cum probabilior exiſtimetur ſententia illorum, qui tenent Epiſcopatum non eſſe materiam voti, vt dicam *numero* 105.

84 Opponere poſſem contra ſupradictam concluſionem, quòd narrat noſter Ludouicus Granatenſis *in Epiſtola*, quæ præficitur ſuæ Concioni impreſſæ Romæ 1571. ſe ſcilicet, Luſitaniæ Prouincialem præcepiſſe ſub interminatione anathematis Bartholomæo de Martyribus ſuo ſubdito, vt acceptaret Archiepiſcopatum Bracharenſem, ad quem à Regina Sedi Apoſtolicæ præſentabatur; ergo poteſt Prælatus cogere ſuum ſubditum ad acceptandum Epiſcopatum, ſi enim Bartholomæus non peccaſſet recuſando, quia non teneretur obedire, non potuiſſet à Ludouico excommunicari. At Ludouicus doctiſſimus erat, Bartholomęus æquè doctus; igitur præſupponedum eſt Ludouicum præcipiendo non exceſſiſſe ſuę iuriſdictionis fines, & Bartholomęum obediſſe territum anathematis interminatione, quia ſe poſſe cogi à ſuo Prouinciali ad Epiſcopatum iudicabat, idem accidiſſe Beato Thomę de Villanoua Ordinis Hęremitarum S. Auguſtini patet ex eius Epiſtola ſcripta ſuo Generali, quam per extenſum refert Pater Michael Salon in eius vita *lib.* 1. *cap.* 14. vbi ſic ait: *nondimeno il Padre Prouinciale mi commandò con cenſure, che ſubito in termine di* 20. *hore accettaſſi l'elettione, come ſua Maeſtà commandaua: laonde non potei far altro, che acettarla, ſforzato dal commandamento del mio maggiore.*

Reſpondet Acugna *in par.* 1. *dec cap. Archidiaconus diſtinct.* 85. humilem, & mirę obedientię fuiſſe Bartholomęum, certum eſt, quem vel vmbra pręcepti deterrebat, vt iuſſis alioqui non obligantibus, vt veris, & efficacibus acquieſceret, idem certè dicere debuiſſet de Beato Thoma de Villanoua, & ſuum dictum potuiſſet confirmare ex illa ſententia Gregorij, quæ habetur *diſt.* 5. *cap. fin.* videlicet *Bonarum mentium eſt ibi etiam aliquo modo culpas ſuas agnoſcere, vbi culpa non eſt*, in quibus verbis idem Acugna *vbi ſupra* aduertit, Gregorium non dixiſſe *bonæ mentis eſſe credere*, ſed *agnoſcere* peccatum eſſe, vbi peccatum non eſt, id enim credere, vt ipſe dicit cum Antonino, & pluribus alijs, ſtultę mentis eſſet; verum ex dictis ab Acugna, ſubditorum extollitur obedientia, ſed deprimitur Pręlatorum peritia, cum

audent

Digitized by Google

audent excõmunicare innocentes, quapropter aliter dici poſſet, ſcilicet, Prælatos ſub anathemate ſuis ſubditis præcipientes cõſentire electioni de eorum perſona factæ ad Epiſcopatum, probabilẽ exiſtimare aliquorum opinionem, qua ſuſtinent poſſe Prælatos cogere ſuis præceptis ſubditos ad huiuſmodi electionibus aſſentiendum, ad cuius opinionis fauorem facit, quod narrat Surius de S. Malachia in eius vita, quæ eſt *in tomo 6. die 3. Nouembris*, videlicet, hunc Sanctum virum electoribus, à quibus ad Archiepiſcopatum fuerat euectus, anathema minitantibus paruiſſe: ſed quia ſupradictorum opinionem ratio non probat, & Vrbani Cõſtitutio euertit; aliam ſolutionem ad eadem exempla declinanda affert Card. de Lugo vbi ſupra *num.* 17. *& ſeq.* ego dicerem Prælatos iſtos non rigoroſi præcepti vi, neque neceſſitatem imponendo, ſed ſuaſione morali hortari velle ſubditos ſuos ad aſſentiendum illo rigore præcepti, ad oſtendendum ex eorum aſſumptione ad Epiſcopatum optimè prouideri imminenti neceſſitati, & vtilitati illius Eccleſiæ; & ideò eis non licere ex præcepto Charitatis recuſare ipſius gubernacula, hunc modum cogendi fuiſſe antiquitus vſitatum in Eccleſia ꝟ. poſtremo huius Capitis probabo, eoque viros Sanctiſſimos deuinctos fuiſſe, ac è Monaſterijs inuitos extractos, eligentium voluntati ſe ſubieciſſe demonſtrabo; præfatum verò anathema Prælatorum explicari poteſt comminatum eſſe ſub hac hypotheſi; Regularis attende, ſi recuſaueris Epiſcopatum, dignus eſſes anathematizari, in quo ſenſu exponit S. Thom. *in 4. d. 18. quæſt. 2. art. 3. q. 1. ad primum*, S. Paulum *Gal. cap.* 1. anathema comminatum fuiſſe Angelis, quorum nec Superior, nec Prælatus erat, & hoc anathemate ſic explicato territos fuiſſe puto viros doctiſſimos, & Sanctiſſimos, de quibus mentio facta eſt in argumento.

85 *In extrauag. de Poſtulat. Prælatorum cap.* 1. prohibetur, ne Mendicantes Religioſi poſtulentur ad Eccleſias Cathedralibus inferiores extra Ordines ſuos, ſi ſint minores 27. annis; text. huius extrauag. obſcurus cenſetur à Theſauro *de pænis par.* 2. *Verbo Electio* 3. à quo tamen ſic elucidatur: voluit inquit, Pontifex Mendicantes ad Eccleſias Cathedrales extra ſuos Ordines poſtulari non poſſe ſi 27. annum non attigiſſent, ad inferiores verò, ſi 27. annum non exceſſiſſent.

86 *In Clem. cap. In pleriſque de elect.* Statuitur quòd nullus Religioſus ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ facultate præficiatur alicui

Eccleſiæ, quæ Clero caret, & populo Chriſtiano, de quo Statuto agam infra *cap*, 3. §. 1.

§. V.

An Regularis petere poſſit, vel procurare ſuam ad Epiſcopatum promotionem.

SVMMARIVM.

Appetentes, & procurantes Epiſcopatum reijciuntur ab eius acquiſitione. 92 100.
Diſtinguuntur tria in Epiſcopatu. 93
Appetere Epiſcopatum propter eius circunſtantias illicitum. 94
Propter altitudinem gradus præſumptuoſum. 95
Quando laudabiliter appetatur Epiſcopatus.
Bellarmini obſeruanda ſententia.
Appetere opera Epiſcopo digna licet. 96 106
Votum, de non procurando Epiſcopatum expenditur. 97
Hypocrita ſimulans ſe dignum eſſe Epiſcopatu. 98
Appetitus Epiſcopatus in Regulari habet maiorem malitiam. 99
Vrbani VIII. Conſtitutio.
Diſcrimen inter appetitum ingreſſus Religionis, & Epiſcopatus. 101
Bonum publicum quomodo præferendum bono priuato. 102
Per Epiſcopatum non ſatisfit vota ingrediendi ſtrictiorem. 103 104
Epiſcopatus non eſt materia voti. 105
Iudith aſſumitur in exemplum. 106

87 VIdetur *primò* quòd Regularis poſſit appetere, vel procurare ſuam ad Epiſcopatum promotionem; dicit enim *Apoſtolus 1. ad Tim. 3. qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*; ergo Epiſcopatus, cum ſit opus bonum, laudabiliter appetitur, & procuratur.

Secundò. Status Epiſcopalis eſt perfectior ſtatu Religionis, vt probat S. Th. 22. *quæſt.* 184. *artic.* 7. Sed poteſt quis appetere, & procurare ad ſtatum Religionis tranſire; ergo poteſt etiam Epiſcopatum appetere, & procurare.

Ter-

88 *Tertiò*. Quiſque poteſt appetere, & procurare ſtatum, in quo ſuum bonum priuatum poſtponere poſſit bono publico; ſed in ſtatu Epiſcopali poſtponitur bonum priuatum bono publico, ergo ſtatus Epiſcopalis poteſt deſiderari, & procurari.

89 *Quartò*. Poteſt, qui iam eſt Religioſus, procurare tranſitum ad ſtrictiorem, quia ſtrictior eſt perfectior laxiore: ergo poteſt procurare Epiſcopatum; nam Epiſcopatus eſt ſtatus perfectior ſtatu Religioſo, etiam in ſtrictiori Religione, cuius ſignum eſt, quòd Religioſus, ſi vouiſſet tranſire ad ſtrictiorem, factus Epiſcopus, cenſeri poſſet ab obligatione illa iam ſolutus, quia per perfectius bonum impletur votum de bono minus perfecto, qua de cauſa, ſi quis vouiſſet fieri Religioſus in laxiore, implet votum ſuum ſi fiat Religioſus in ſtrictiore, vt dicitur *in gloſſ. cap. Qui poſt votum, de Regular. in 6.* & communiter à Doctoribus, qui ſcripſerunt ſuper *cap. Licet de Regul.*

90 *Quintò*. Non licet vouere niſi, quod licet appetere, vel procurare, ſed licet vouere ſtatum Epiſcopalem, ergo licet appetere, & procurare ſtatum Epiſcopalem: minor probatur, nam Epiſcopalis ſtatus eſt de meliori bono, ergo licet vouere ſtatum Epiſcopalem.

91 *Sextò*. Licet appetere, & procurare virtutes, quibus aliquis redditur aptus promoueri ad altiorem gradum; ergo licet appetere, & procurare Epiſcopatum; probatur conſequentia, nam licet appetere finem, ſi licet appetere media ad talem finem; ergo cum liceat appetere, & procurare virtutes Epiſcopo debitas, licet etiam appetere, & procurare Epiſcopatum. *Confirmatur* demus virum, qui peruenerit ad aſſecutionem virtutum, quæ in Epiſcopo requiruntur, quas appetierat, & procurauerat, tunc ſic argumentor, licet appetere, & procurare id, quod ſibi quis acquiſiuit; Sed qui habet virtutes Epiſcopo dignas, acquiſiuit ſibi Epiſcopatum; ergo huic viro licet appetere, & procurare Epiſcopatum; probatur minor ex Apoſtolo 1. Tim. 3. vbi ſic ait: *qui benè miniſtrauerit, gradum bonum ſibi acquiret*; pro gradu autem bono S. Th. ibi *lect.* 3. intelligit Epiſcopatum.

92 In contrarium tamen eſt omnium iurium diſpoſitio, in quibus primò indigni, & qui tales ſe eſſe ſciunt, ab Altari repelluntur, vnde iſti nedum Epiſcopatum appetere, & procurare non debent, ſed etiam ſi conſentiant, & permittant ordinari, vel eligi, peccant, & deponi poſſunt, ita Acugna *in cap. Priuſquam, diſt.* 23. *num.* 3. deinde etiam illi, qui digni ſunt, appetentes, &

Digitized by Google

procurantes Epiſcopatum reijciuntur ab eius acquiſitione, tanquam ex hoc cap. indigni. Leges Ciuiles C. *de Epiſcopis & Clericis* ita pronunciant: *indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus inuitus*:leges Canonicę ſæpe idem decernunt,ſed præcipue *cap. Sicut is* 1, *q.* 6. vbi ſic dicitur, *Si quis vltro ambit*, ſcilicet Epiſcopatum, *vel importunè ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus* Accedit omnium Sanctorum vnanimis ſententia, qua ambitum ad Epiſcopatum improbant, ac illum procurantes ex quocumque titulo acriter reprehęndunt: S. Aug. *lib.* 19. *de Ciu. Dei cap.* 19. & habetur *cap. Qui Epiſcopatum* 8. *quæſt.* 1. ita dicit: *locus ſuperior, ſine quo regi Populus non poteſt, & ſi ita teneatur, atque adminiſtretur, vt decet, tamen indecenter appetitur.* S. Bernardus *in lib.* 4. *de Conſid. cap.* 6. ita ſcribit Eugenio IV. Sum Pontifici. *Alius pro alio, alius forte pro ſe rogat, pro quo rogaris, ſit ſuſpectus; qui pro ſe rogat, iam iudicatus eſt*: Et iterum *cap.* 5. *Non volentes, neque currentes aſſumito, ſed cunctantes, ſed renuentes, etiam coge illos, & compelle intrare.* S. Io. Chriſoſtomus *relatus diſt.* 40. *cap. Multi*, ſic loquitur: *quicumque deſiderauerit Primatum in terra, inueniet confuſionem in Cœlo*,& ſuper Math. *cap.* 20. dicit: *Primatus Eccleſiaſticos concupiſcere nec iuſtum nec vtile.* Doctores omnes hunc appetitum ad Epiſcopatum ſimpliciter, & abſolutè loquendo, non eſſe laudabilem iudicant poſt S. Thomam *quodlib.* 2. *ar.* 11. *& quodlib.* 12. *ar.* 17. 1. *Tim.* 3. *lec.* 3. *&* 22. *quæſt.* 185. *art.* 1. vbi egregiè id proſequuntur grauiſſimis authoritatibus Caiet. & Siluius, cæterique, qui ſcripſerunt ſupra eundem articulum: item Sanctus Antoninus *in Sum. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 5. §. 3. Sot. *de iuſt. lib.* 10. *q.* 2. *art.* 1. Siluester *verbo. Epiſcopus quæſt.* 3. *&* Bellarm. *Concione* 38. *quæ eſt de B. Iacobo, & in Opuſculo de off. Epiſcopi, controu.* 1. vbi adducit in hanc ſententiam optimam coniecturam, ſcilicet, ſe legiſſe plures Sanctos, qui Epiſcopatum fugerint, nullum verò, qui petierit, vel appatierit, exempla autem Sanctorum ſunt, quibus actus noſtros componere debemus: eruditè tractat hanc materiam etiam Caſſaneus *in Catal. par.* 1. *conſid.* 60.

93 Antequam quæſito reſpondeam, prænotanda eſt diſtinctio eorum, quæ in Epiſcopatu conſiderari poſſunt, quam tradit S. Th. 22. *vbi ſupra*: tria, inquit, S. Doctor, poſſunt in Epiſcopatu conſiderari, quorum vnum eſt principale, & finale, ſcilicet, Epiſcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur, iuxta illud Io. vltimo, videlicet, *Paſce oues meas*, Aliud eſt altitudo gradus, quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur, ſecundum illud Math.

Digitized by Google

Iud Math. 25. *fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam,* Tertium autem eſt, quod conſequenter ſe habet ad iſta, ſcilicet, reuerentia, & honor, & ſufficientia temporalium, ſecundùm illud 1. *ad* Tim. 5. *qui bene præſunt Præsbyteri, duplici honore digni habeantur*; hac ſuppoſita diſtinctione, S. Th. dicit tria, quæ ſequuntur.

94 *Primum*; appetere Epiſcopatum ratione huiuſmodi circumſtantium bonorum, manifeſtum eſſe, quòd eſt illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem; notat Caiet. quòd non dicit S. Th. eſt peccatum mortale: Sed *illicitum*; poteſt enim quis appetere iſta circumſtantia bona, vt tamen ipſis acquiſitis non negligeret intendere principaliter curæ animarum, & proximorum ſaluti, vnde illa appeteret, vt concomitantia Epiſcopalem operationem, ſeu vt conducentia ad finem, non vt finem appetitus; ſi enim inuerteretur ordo, & Epiſcopalis operatio, quæ eſt vt principale, & finale in Epiſcopatu appetendum, fieret medium, quo temporalia conſequi deſiderarentur, eſſet peccatum mortale; ſi autem primo modo procederet, eſſet veniale, dum, ſcilicet, aliquatenus appetitus iſte inordinatè inclinaret in illa temporalia, vel etiam culpa careret, quando, ſcilicet, ita regulatus eſſet, vt bona temporalia deſiderarentur tantum ad congruè ſuſtinenda onera temporalia Epiſcopali dignitati connexa, & ad illis fruendum eo modo debito, quo cuicumque iam Epiſcopo frui conceduntur; ſed quia vt in pluribus appetitus iſte non ità regulatur; ſed frequentius priori modo procedit, dicitur appetitus ſimpliciter illicitus.

95 *Secundò* dicit S. Th. appetere Epiſcopatum ratione altitudinis gradus, eſſe præſumptuoſum, etiam ſi quis intenderet præeſſe, vt prodeſſet, quia Populis prodeſſe per opus Epiſcopale habet gradus celſitudinem annexam; videtur autem eſſe præſumptuoſum, quòd quis appeteret alijs præſſe, vt ſubditis prodeſſet.

Hic etiam Caiet. aduertit, quòd S. Th. non dixit, eſt præſumptuoſum, ſed *videtur eſſe præſumptuoſum*, nam ſi quis appeteret celſitudinem Epiſcopalem vt finem, inuertendo ordinem, vt ſupra dictum eſt de bonis temporalibus, peccaret mortaliter, nam appeteret celſitudinem gradus ſupra dignitatem; ſi verò hanc celſitudinem non appeteret vt finem, ſed vt id, quod eſt ad finem, vel eſt fini connexum, nulla eſſet culpa; cum enim ſit debitus honor, & gradus celſitudo Epiſcopali dignitati vt ſic, non intenderet niſi honorem debitum, ſi verò in hoc appetendo inordinatus tantùm eſſet,

tùm eſſet, & nimis propenſus, peccaret venialiter, & hoc peccatum haberet quamdam ſpeciem præſumptionis, cum ſe alijs appeteret præfici, vt tamen prodeſſet, veluti dictum eſt; S. Thomas ab hoc ſuo ſecundo dicto excipit caſum manifeſtę neceſſitatis,& dum charitatis zelo ad Epiſcopatum quis diuinitus incitaretur, tunc enim, inquit, Epiſcopatus laudabiliter appeteretur: Vnde conſtat appetitum Epiſcopatus non eſſe ex ſuo genere illicitum, cùm his exceptionibus veſtitus licitus fiat, ità Caiet 22. *vbi ſupra & quæſt.* 100. *art.* 5. Sed idem Caietan. monet, ne quis ſe ipſum ſeducat, exiſtimando neceſſitatem imminere, vbi neceſſitas fortè non eſt, & ideo S. Th. dixit neceſſitatem debere eſſe manifeſtam. Item notat Caiet. dixiſſe S. Th. incitationem zelo charitatis ad Epiſcopatum debere eſſe diuinitus, quod cum nonniſi diuinitus cognoſci poſſit, niſi adſit ſpecialis reuelatio, prout facta eſt pluribus Sanctis, monet hanc ſecundam exceptionem acceptandam non eſſe, nec amplectendam; Primam vero exceptionem Caiet. ſic modificat locis ſupra citatis: Appetitus Epiſcopatus imminente illa neceſſitate licitus erit in viro irreprehenſibili, ſobrio, ornato, prudente, pudico, hoſpitali, doctore, non vinolento, non percuſſore, modeſto, non litigioſo, non cupido, domui ſuæ bene præpoſito, nec alijs impedito, ſi talis inueniretur, qui Epiſcopatum appeteret, vel quæreret, dum Eccleſia talibus viris caret, vel iſti non petunt, neque quæruntur, & eſt periculum, quòd indigni promoueantur, licitè appeteret, & quæreret Epiſcopatum; ſi verò adeſſet quidem neceſſitas, ſed vir ille non haberet oculum ad talem neceſſitatem, nec cogitaret, quòd fortè melius per alios, quàm per ipſum locus Epiſcopalis occuparetur; tenet Caiet. quòd peccaret venialiter, eſſet enim ibi aliqua præſumptio, dum in animo ſuo ſe præferret alijs, & appeteret præeſſe fortè ſe melioribus; Verum dum à Caietano dicitur, *nec cogitaret, quòd melius per alium Epiſcopalis locus occuparetur*, datur intelligi, quòd ſi id cogitaret, & tamen appeteret Epiſcopatum; peccaret mortaliter. Ita *Reginaldus tomo* 2. *lib.* 3. *trac.* 3. *Cap.* 14. *nu.* 198. Vbi pro ſe adducit *Nauarrum*, quamuis non deſint, qui doceant oppoſitum.

Abſoluta, & prudentiſſima Cardinalis Bellarmini cautela eſſet inculcanda appetentibus, & quærentibus Epiſcopatum, etiam in caſu, quo ſupradictam neceſſitatem imminere ſupponerent; ipſe enim in *d. Opuſc. de off. Epiſcopi cont. cit.* dum loquitur de imminente neceſſitate, in qua S. Th. dixit licere appetere, & quærere

Epiſcopa-

Epiſcopatum, ſic ait, *Reſpondeo admonendos eſſe ambitioſos, vt manifeſtam neceſſitatem expectent, quæ ſi tempore ſuo non aduenerit, vt temporibus noſtris, & temporibus Patrum noſtrorum non aduenit, quieſcant, nec ſolum petere non audeant, ſed nec vllo modo appetere.*

Attamen ſunt quidam Epiſcopatus in partibus parum aut nihil habentes certi prouentus, ad quos non de facili dignus inuenitur, qui ire velit. vel ob aeris inclementiam, vel ob diſtantiam, vel ob pericula mortis: Poterunt ne iſti Epiſcopatus procurari laudabiliter? Reſpondeo ſi excluderetur appetitus honoris, & celſitudinis gradus, exiſtimo quòd ſic, nam appetitus totus eſſet Epiſcopalis operationis, quæ optima eſt; verum in appetitu horum Epiſcopatuum adhuc poteſt eſſe ambitio, & inanis gloriæ cupiditas, ſicut fuit in Nouatiano Hæreſiarcha, qui appetijt Epiſcopatum Romanum, dum vigeret perſecutio Galli, & Voluſiani Imper. in qua Epiſcopi, & præcipue Romanus maiori ſolicitudine quærebantur ad mortem, quapropter nec iſtos Epiſcopatus appetendos, nec quærendos eſſe iudico à viro, qui laudabiliter ſuos actus regulatur, etiamſi ſe Epiſcopatu dignum reputaret.

96 *Tertio* Dicit S.Th. vbi ſupra, quòd poteſt abſque præſumptione quilibet appetere talia opera facere, ſi eum contingeret in Epiſcopali officio eſſe, vel poteſt appetere dignum fieri ad talia opera exequenda, ita quòd Epiſcopatus opus bonum cadat ſub deſiderio, non autem primatus Dignitatis; videtur id contigiſſe in Gregorio XI. qui vouit, dum eſſet Cardinalis, Romam petere, ſi Pontifex crearetur, non enim Gregorius appetijt Pontificatum, ſed opus illud bonum perſonaliter accedendi ad ſedem ſuam Romanam, ſi in tali dignitate collocatus fuiſſet, Probat S. Tho. ſuum dictum breuiter hac S. Io: Chriſoſtomi authoritate: *opus deſiderare bonum, bonum eſt, Primatum autem honoris concupiſcere, vanitas eſt: Primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe horret.* Sed ad hoc tertium dictum elucidandum notare oportet, ſemper iudicandum eſſe illicitum deſiderium finis operantis illa opera, quibus dignus redderetur Epiſcopatu idoneus, ſi in hoc officio collocaretur, ad Epiſcopalia opera exercenda, finis enim iſte connectitur cum primatu dignitatis, quem nunquam licet appetere, vel procurare; Vnde S. Th. 1. *Tim.* 3. *lec.* 3. quamuis admittat Diaconos poſſe appetere bene exercere officium ſuum, vt mereantur promoueri ad altiorem gradum, ſed, inquit, *nec tamen in hoc eſt eorum finis:* Poteſt igitur quis ſtudio Theologiæ, & Sacrorum Canonum feruentius incumbere, in ſuæ Religionis

muneri-

Digitized by Google

muneribus demandatis ſe diligentem, & prouidum, ac fidelem, præ cæteris oſtendere, quærere bonam famam in doctrina, & moribus, ac regiminis peritia apud ſuperiores, præcipuè apud Sum. Pontificem, & huiuſmodi facere, quæ, quamuis mouere poſſint animum eius ad illum epiſcopandum, attamen iſte debet eſſe finis operis, non operantis, nec enim ille, qui comparat ſibi ſumptus ſufficientes ad emendam villam, neceſſariò debet villam appetere, nam etiamſi habeat ſumptus ad emendam villam, poteſt tamen etiam oblatam reijcere, & nolle ad eius poſſeſſionem peruenire; ita Ieſuita v. g. cui ex voto emiſſo non licet appetere, nec procurare Epiſcopatum; ſi libros de officio Epiſcopi edat, & coram Sanctiſſimo appetat, immo & procuret ſcriptis, & voce haberi pro idoneo ad officium Epiſcopi exercendum, non ideo dicimus eſſe voti reum, ſi ex illis actionibus non intendit mouere animum Pontificis ad illum epiſcopandum, vtrum verò Ieſuita
97 eſſet voti reus, ſi id intenderet, ſed exterius non manifeſtaret, vel ſi manifeſtaret, probari tamen non poſſet, cùm adhuc eſſet moraliter occultum, dubitant ipſi Societatis Doctores, aſſerit Suarez. quòd eſſet voti reus, tamen coram Deo, coram quo eſt ambitioſus, probat, quia non eſt alia efficacior via, qua procuretur Epiſcopatus, niſi oſtendendo ſuam idoneitatem coram Superiore, qui hanc dignitatem idoneis conferre debet, ità *tom.* 4. *de Relig. trac.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *nu.* 10. negat Sanchez. *Decal. lib.* 6. *Cap.* 18. *nu.* 19. & probat, quia aliàs omnia opera externa, & eruditę actiones, quæ redolent bonitatem, & idoneitatem ad Epiſcopatum, quas appeteret Ieſuita, & quæreret, quòd Papæ innoteſcerent, poſſent interpretari factæ hac intentione, vt illi conferant ad obtinendum Epiſcopatum; debent igitur iſta opera, vt voto opponantur, eſſe cum aliqua negotiatione facta, itaut exterius ſic manifeſtetur interior appetitus, & procurationis modus, vt ille, qui appetit, ſeu procurat, denunciari poſſit, & debeat à conſocijs eius Prælatis, prout ipſi Religioſi Sacramento præſtito profitentur.

98 Si verò quis ſimularet ſe bonum, & Epiſcopatu dignum, cùm aliàs certè non eſſet, & affectaret hypocriſim, etiam nulla cum intentione mouendi animum Superioris ad illum epiſcopandum, ſed ſola illa vanitate contentus, peccaret quidem peccato hypocriſis; ſed hoc non ſemper eſt mortale, vt patet, attamen ſi inde poſtea fieret Epiſcopus, timeri poſſet exitus infælix, quia factus eſſet Paſtor, qui ſub veſte ouina contexit rabiem lupinam;

ſi verò

Digitized by Google

ſi verò iſte ſua hypocriſi ad hunc finem Prælatum decepiſſet, cum iſta deceptio eſſet in re graui, & probabiliter futura Eccleſiæ perniciosa, talis culpa poſſet etiam mortalis iudicari, veluti illam indicauit Acugna *diſt. 27. cap. Quod interrogaſti*; & colligitur ex S. Th. 22. *quæſt.* 111. *artic.* 4. *& in 4. diſtinct. 16. quæſt. 4. artic. 1. quæſtiunc. 3.*

99 Hæc ferè communia ſunt omnibus Epiſcopis, ſed prætermittenda non erant, etiamſi meum propoſitum ſit ſolum de Epiſcopis Regularibus diſſerere, vt ſuppoſito nunquam, aut raro licere cuicumque viro appetere, ſeu procurare Epiſcopatum ſine ambitionis, auaritiæ, vel præſumptionis ſuſpicione; concluderem in Regulari huiuſmodi appetitum habere ſpecialem malitiam, vt inſinuat S. Bonauentura *in Exp. Reg. cap.* 2. quia opponitur ſpecialiter ſuæ profeſſioni, qua abſolutè promiſit viuere vſque ad mortem in Monaſterio, & in humili religioſæ conſuetudinis ſtatu perſeuerare, quem ſtatum elegit vt ſecuriorem ad animæ ſuæ ſalutem conſequendam, quamuis enim ſit actus perfectioris virtutis euitare pericula in ſtatu Epiſcopali, quàm in Religioſa ſolitudine abſque huiuſmodi periculis permanere; tamen vitium ſpeciale eſt in Religioſo Epiſcopatum procurare, cum procurare non debeat ſtatum ſecuriorem deſerere; vt periculoſiorem aſſumat, vnde S. Th. *op. de Perf. vit. ſpir. cap.* 20. dixit *quamuis quilibet Sapiens magis eligeret eſſe tantæ virtutis, vt etiam inter pericula quæcunque illæſus poſſet perſiſtere, nullus tamen niſi inſipiens ſtatum periculoſiorem ex hoc ipſo ſtatui ſecuriori præferret*; Habet etiam ambitio, ex qua vt in pluribus ille appetitus oritur, ſpecialem malitiam in Regulari, quod ſanctorum authoritatibus, & exemplis adductis, probat Lezana *de reformat. Regularium cap.* 13. Vnde conſtat vituperabile in omnibus eſſe, regulariter loquendo, appetere, ſeu procurare Epiſcopatum; ſed in Religioſo viro vituperabilius: Vrbanus VIII. in ſupra citata conſtitutione dicit, Regularem procurantem Epiſcopatum retro aſpicere, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, non eſſe aptum Regno Dei, quam ſententiam ſumpſit ex *cap. Quorundam de elect. in* 6. declarat tamen hoc præcipuè verificari de illis Regularibus, qui emiſſo voto de non appetendo, vel procurando Epiſcopatum, tranſeunt ad aliam Religionem capacem dignitatum, vt ab hoc voto ſe ſubtrahant, hos inquit Vrbanus, *Honorum, dignitatumque vana ambitio excæcat, & inanis gloriæ cupiditate ducti, ab eo, quod abnegantes ſemetipſos ſponte vouerunt, re-*

H ſilire

ſilire conantur; Reſpondetur modo ad Argumenta.

100 Ad *primum* reſpondet S. Th. 22. *vbi ſupra ad primum, & ſupra caput tertium prima ad Tim. lect.* 3. vbi propoſita illa diſtinctione; Epiſcopatus, vt eſt opus, & vt habet circumſtantia bona temporalia, & honoris, & celſitudinis gradum; dicit, quæ Epiſcopatum circumſtant, certum eſt appeti non poſſe, quia Epiſcopatus eſt nomen operis, non honoris; quamuis honorem non excludat in ſenſu, quo ſectarij loquuntur, vt eſt videre apud Azor *Inſt. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 27. §. *quinto quæritur*; Vnde Apoſtolus dixit, *Si quis Epiſcopus* hoc eſt, *Si quis Superintendens plebis vtilitati, bonum opus deſiderat*, non bonum deſiderium habet ad opus perueniẽdi; ſed ſi deſideretur opus tantum, bonum opus deſiderat: S. Doctor adducit S. Greg. *in Paſtor. par.* 1. *cap.* 8. vbi narrat illo tempore dixiſſe Apoſtolum, *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, quo ille, qui plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur, & ſic nihil erat in Epiſcopatu, quod appeti poſſet, niſi bonum opus, attamen proſequitur S. Th. qui hoc opus bonum deſiderare vult, prout Apoſtolus intendit, debet habere qualitates, quæ ſequuntur, ſcilicet, debet eſſe *irreprahenſibilis*; &c. Nemo enim debet appetere, quod eſt ſupra ſuas vires. Hor. *ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis*. Nemo autem præſumere de ſe debet, quod habeat vires Epiſcopatui proportionatas, hoc enim eſſet maximæ ſuperbiæ, ex his concludit Epiſcopatum non eſſe ab aliquo appetendum, neque ſecundum circumſtantias, quia neſciret quid eſſet Epiſcopatus, neque vt opus, quia hoc eſſet maximæ ſuperbiæ; & ideo non eſt accipiendum niſi impoſitum; huic Sancti Thomæ reſolutioni addi poteſt ſententia S. Gregorij, quę habetur 1. q. 1. *cap. Non eſt putanda*, vbi ſic dicitur, *quisquis ergo Sacerdotium non ad elationis pompam, ſed ad vtilitatem adipiſci deſiderat, prius vires ſuas cum hoc, quod eſt ſubiturus, onera metiatur, vt ſi impar eſt, abſtineat, & ad id cum metu etiam, qui ſe ſufficere exiſtimat, accedat*, vnde omnem appetitum Epiſcopatus excludit, & omnem procurationem eius euertit.

101 Ad *ſecundum*, Reſp. idem S. Thomas 22. *vbi ſupra, ad ſecundum*, & in illa *lec.* 3. *ad primum caput prima ad Tim.* perfectionem aliter conſiderari in Epiſcopo, aliter in Religioſo; in Religioſo conſideratur perfectio vt in via, & conſequenter non ſupponitur in eo, qui vult ingredi Religionem, quòd exiſtimet ſe eſſe perfectum, at in Epiſcopo conſideratur perfectio vt iam acquiſi-

acquiſita, & conſequenter: qui deſiderat Epiſcopus fieri, debet ſe exiſtimare perfectum; ergo ex duplici capite poteſt quis appetere Religionis ingreſſum, ſed non Epiſcopatum, *primò*; quià eſt præſumptuoſum quod aliquis perfectum ſe reputet, & ideo illicitè Epiſcopatum appetit, non autem quòd quis ad perfectionem tendere velit, vt illam aſſequatur; & ideo licitè appetit fieri Religioſus; *ſecundò* quia Religioſus ſubijcitur alijs vt diſcat, & ſpiritualia capiat, quod laudabiliter deſideratur; licet ergo appetere Religionis ingreſſum; Epiſcopus verò ſublimatur vt alijs prouideat, quod laudabile non eſt appetere, nemo enim debet præſumere ſe ad id idoneum eſſe.

102 Ad *tertium*. Reſp. Bonum publicum eſſe quidem præponendum bono priuato, ſi ſine priuato ſalutis animæ detrimento fiat, vt dicunt Theologi agendo de ordine Charitatis; At non cuicunque viro priuato pertinet procurare bonum publicum, hoc enim ſpectat ad eos, qui ſunt Prælati; Quapropter non debet priuatus Religioſus, etiamſi exiſtimaret ſe vtilem futurum Eccleſiæ, procurare Epiſcopus fieri, ſed debet ijs, ad quos ſpectat, relinquere ſolicitudinem prouidendi Eccleſiæ de Epiſcopo: Vnde Soto *Vbi ſupra q. 2. art. 2. concl. 3.* docet, quòd quamuis in caſu neceſſitatis melius eſſet Epiſcopatum acceptare in ordine ad proximorum vtilitatem, non tamen eſſet melius ex parte acceptantis, cui expedit declinare pericula ſtatus Epiſcopalis, & incumbere propriæ ſaluti; in Regulari verò eſt alia ratio, quam expendit Sanchez *Vbi ſupra, nu. 37* ſcilicet, Religioſum nedum oculum habere debere ad particulare bonum ſuum, ſed etiam ad bonum totius ſuæ Religionis, cuius bono publico, ſi non expediat, quòd ipſe ſit Epiſcopus, non debet Epiſcopatum procurare, etiamſi crederet ſibi vt perſonæ particulari expedire, ſicut Carthuſianus abſtinere debet ab æſu carnium, etiamſi per hoc ſuæ ſaluti corporali præiudicaretur, quia rigidam ſuæ Religionis abſtinentiam obſeruare tenetur, etiam cum propriæ ſanitatis detrimento, vt multi Doctores ſentiunt, ne ex eius neglectu bonum totius Religionis ſuæ deperiret.

103 Ad quartum reſpondetur negando, quod poſſit procurare quis Epiſcopatum, ſicut poteſt procurare tranſire de laxiori ad ſtrictiorem Religionem, & quòd ſatisfacere poſſit voto tranſeundi ad ſtrictiorem acceptando Epiſcopatum, ſicut ſatisfacit voto Religionis ſi ingrediatur Religionem ſtrictiorem, omiſſa laxiori, quam ingredi promiſerat, Diſparitas conſiſtit in hoc, vt recte Caiet. 22.

 quæſt.

quaſt. 189. art. 3. quia Religio ſtrictior clauditur in laxiori, at Epiſcopatus non clauditur in Religione, Religiones enim ſe inuicem includunt, ſunt enim vnius generis, & ideo ſatisfacit voto, qui ſtrictiorem ingreditur, vel ad ſtrictiorem tranſit, cum laxiorem vouiſſet; Epiſcopatus autem eſt alterius generis à Religione, cum Religio ſit ſtatus quietus, & tutior, in quo propriæ perfectioni ſtudium adhibetur; Epiſcopatus vero laborioſus, & periculis redundans, in quo perfectio in ordine ad aliorum vtilitatem præcipuè procuratur, quapropter rectè docent Theologi, qui Apoſtolica authoritate poſſet commutare vota, non poſſet votum Religionis commutare in Epiſcopatum, commutatio enim debet fieri in melius: *Cap. Peruenit 2. de Iureiurando*: Vouenti autem non eſt melius Epiſcopus eſſe, quàm ſimplex Religioſus: Ita Suarez *tomo 3. de Relig. lib. 1. cap. 19. num. 23.* Vnde ſi quis vouiſſet Religionem, & poſtea Epiſcopus fieret, ſi ſuam vellet ſanare conſcientiam, deberet, Sum. Pontifice annuente renunciare Epiſcopatum, & ingredi Religionem, vt diſponitur *Cap. Per tuas de voto* cuius Capitis textus doctè expenditur à Suarez. *Vbi ſupra cap. 19. & 20.*

104 Sed dices, aliud eſſe loqui de ſæculari, qui ante Epiſcopatum promiſit Deo ingredi Religionem, aliud loqui de iam Religioſo, qui in ſtatu Religioſo promiſiſſet tranſire ad ſtrictiorem, ſi antequam tranſiret, fieret Epiſcopus. Nam ille quidem teneretur procurare a Sum. Pontifice licentiam renunciandi Epiſcopatui, vt redderet ſuum votum Deo ingrediendo Religionem, quia ipſe nullo modo in ſtatu Epiſcopali adimplet votum ſuum, cum in illo ſtatu perſeuerans, nunquam ſit futurus Religioſus, & ita non eſt reſpectu huius vouentis ſtatus Epiſcopalis quid melius ſtatu Religionis, vt enim dictum eſt, ſtatus Religionis eſt melior vouenti, quàm ſtatus Epiſcopalis; ſed ille Religioſus remaneret in ſtatu Epiſcopali adhuc eſſentialiter Religioſus, vt *Cap. ſequenti* probabo, & in hoc ſtatu Epiſcopali eſſet in maiori gradu perfectionis, quàm ſi eſſet in ſtatu ſtrictioris, non enim abſolueretur à regularibus votis, nec omnino ab obſeruantijs, quæ non pugnant cum ſtatu Epiſcopali, vt infra conſtabit; ergo votum ad ſtrictiorem iudicandum erit extinctum per aſſumptionem ad Epiſcopatum.

Reſp. quòd quamuis Religioſus addat ſtatui Epiſcopali vota, & obſeruantias illas, quas non addit Epiſcopus, qui nunquam fuit Religioſus, adhuc dicendum eſt per aſcenſum ad Epiſcopatum

tum non commutari votum tranſeundi ad ſtrictiorem, quia vt dicebam, ſtatus Epiſcopalis, & Religionis ſe inuicem non includunt, veluti duæ Religiones, vt enim rectè docet Caiet. *vbi ſupra*, Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis alienæ, Religio vero ſtatus perfectionis propriæ, cum ergo quis intendit tranſire ad ſtrictiorem, deſiderat eſſe in ſtatu, vbi poſſit ſibi acquirere maiorem perfectionem, iuxta regularem modum, qui curis Epiſcopalibus plurimum impeditur, & ideò non adimplet votum ſuum ſi Epiſcopus fiat, cum in Epiſcopatu hunc finem, quem vouit, potius detrectet, quàm aſſequatur; quòd infra clarius explicabo.

105 Ad quintum Reſp. Epiſcopalem ſtatum non eſſe materiam voti, quia non eſt de meliori bono vouenti, & præcipue Religioſo viro, vt ſæpius dictum eſt; & ita tenet Suarez. *Vbi ſupra num.* 21. cum *Maiore* & alijs. Si quis vouiſſet Epiſcopatum, qui eſt in Iapponia v. g. Vbi pauci apti volunt eſſe Epiſcopi, quia Epiſcopi in illis partibus nullis fruuntur temporalibus bonis, & in continuo ſunt vitæ amittendæ periculo, certè hunc exiſtimarem rectam intentionem habuiſſe exercendi operationem propriam Epiſcopatus, attamen eius votum nullum, & vanum iudicarem, ex illa ratione ſæpius repetita, quia, ſcilicet, nunquam eſt melius bonum vouenti, & præſertim Religioſo viro Epiſcopalis ſtatus, ſed ſi illud votum obligaret vna cum Epiſcopatu ad Martyrium, votum iudicarem optimum, & quòd aſtringeret vouentem ratione Martyrij adiuncti, Martyrium enim eſt de meliori bono quàm Religio, vt docet S. Th. 22. *quæſt.* 24. *art.* 3. Ita Nauarr. *Conſ. tomo* 1. *de Regul. conſ.* 4. *lib.* 3.

106 Ad ſextum Reſp. me iam dixiſſe, licere quidem Religioſo appetere, & procurare virtutes Epiſcopo dignas, non verò ea intentione, vt ad Epiſcopatum promoueatur, ſicut Iudith. appetijt ſingularem pulchritudinem ad finem bonum, & laudabilem, ſcilicet, liberandi Patriam ſuam, & ideo ornauit ſe, non verò appetijt vt ad procuratam pulchritudinem Holofernes in eius concupiſcentiam exardeſceret, id enim ex Holofernis malitia accidit; ſed ſanctæ viduæ opportuna occaſio fuit, in qua illum ex inſtinctu Spiritus Sancti interficeret, vt ipſo interfecto, Patriæ ſolueretur obſidio. Ita Religioſus poteſt dignis Epiſcopo virtutibus ornari, & ſic ornatus coram Superiore palam apparere, non vt moueat ſuperiorem ad illum epiſcopandum, ſed ad alium finem licitum, & honeſtum, prout ſupra explicatum eſt.

An Re-

§. VI.

An Regularis ad Epiſcopatum promotus debeat ſpontè, vel non niſi coactus ſuæ promotioni conſentire.

SVMMARIVM.

Præcepti coactio explicatur. 107
Obedientia perfecta. 110
In vrgenti Eccleſiæ neceſſitate laudabile eſt ſponte Epiſcopatum acceptare. 111
Etiamſi neceſſitas eſſet probabilis. 114
Dummodo non adſit aliquod impedimentum. 116
Et maximè votum de non acceptando niſi coactè. 117
Actus acceptandi Epiſcopatum ſpontè, vel coactè quando bonus, vel malus in indiuiduo. 118
Laudabilius eſt acceptare Epiſcopatum ſponte. 122. 125
Sed non in eo, qui vouit non acceptare niſi coactus. 123
Obedientiæ diſtinctio. 124
Locus ex Epiſtola ad Hebræos elucidatur. 129
Simplex Prælati verbum in imponendo Epiſcopatum quando efficax. 130
Etiam in ordine ad habentem votum non acceptandi. 131
Obedientiæ meritum. 133
Religioſus Epiſcopus non variat propoſitum ſuum. 134
S. Bonauenturæ ſententia exponitur. 135
Epiſcopatus pericula expenduntur. 136
S. Thomæ ſententia explicatur. 137
An acceptare Epiſcopatum coactè ſit opus melioris boni. 138
Sanctorum geſta perpenduntur. 139
Canones conciliantur. 140

107 NOmine coactionis hic intelligenda eſt omnimoda, & abſoluta coactio; hæc enim tollit omnino voluntarium, & conſequenter qui huiuſmodi coactione cogeretur ad acceptandum Epiſcopatum, eius acceptatio eſſet nulla, & inualida; ſed intelligenda eſt coactio illa, quæ oritur ex præcepto rigoroſo ſuperioris, cui ſubditus tenetur obedire, dum ſub tali præcepto rem aliquam iniungit, etiamſi obediret ex metu illato per pœnas comminatas

minatas ab intrinſeco, vel extrinſeco, à Superiore, nam metus iſte illatus non cadit in conſtantem virum, cum ratio dictet agendum eſſe, quod à Superiore iuſtè, etiam illato metu, præcipitur, nec cauſat inuoluntarium, cum ſubditus velle debeat quod illi iuſtè Superior iniungit, vnde metum illatum facilè à ſe depellere poteſt, ſi velit agere ſecundum rationem, ſicuti tenetur, & ſi non depellat, ipſe ſibi metum infert, cum iniuſtè renuit ſe conformare voluntati Superioris, cui debet libens, & volens obedire, ideoque ſi inuitus hoc agit, ſeu ſi ex metu ſibi aliquod damnum ſequatur, ſibi imputabit; ita ſolent Doctores dicere in materia de Matrimonio, & rectè explicat Baſilius *lib. 4. cap. 13. num. 4.* Vnde ſequitur Superiorem poſſe iuſtè excommunicare, & incarcerare renitentem ſibi iuſtè aliquod præcipienti obedire: eſt alia coactio quæ importat efficaces Prælati ſuaſiones ad aliquid agendum, de qua coactione ſermo eſt in Euangelio, dum narratur à Rege, qui conuiuiũ parauerat, miſſum fuiſſe ſeruum, qui quoſcumque inueniſſet intrare compelleret, de coactione in hoc ſenſu accepta loquuntur hiſtoriæ, dum narrant antiquitus in vſu fuiſſe aliquos Sanctitate inſignes coactos, & inuitos ordinare, prout refert Poſſidonius de ſancto Auguſtino *in eius vita cap. 2.* & Baronius *Anno 394. de S. Paulino Nolano.* Sed ſi Superior hac cogendi ratione vteretur, quod tunc præcipue accideret, cùm ad aliquid agendum ſubdito inuitato, mentem ſuam indicaret ſimplici tantùm verbo, & declararet nolle obligare ſubditum in conſcientia ad ſibi obtemperandum; in hoc caſu eſſet in libertate ſubditi ſuperiori conſentire, & ſi conſentiret, id ſpõte ſua faceret, cum æque bene potuiſſet facere oppoſitum ſine culpa, videtur modo quòd Regularis Superiori iniungenti Epiſcopatum debeat nonniſi præceptis ipſius coactus conſentire.

108 Primò. Nam S.Th. *quodl. 5. ar. 22. ad ſecundum* reſpondendo S. Gregorij authoritati deſumptæ *ex 28. Moral.* quæ talis eſt; *Prælatio per meliorem intentionem fugienda eſt*: ſic ait. *Melior eſt intentio prælationem fugientium ſecundum proprium deſiderium, dummodo non adſit neceſſitas ex parte imponentis hoc onus*; ergo Sanctus Thomas vult melius eſſe expectare neceſſitatem præcepti, dum Epiſcopatus imponitur.

Secundò. Quia Religioſus acceptãdo Epiſcopatũ variat propoſitum, quod habuit vouendo Religionem, in quo propoſito includitur voluntas intra Monaſterium perpetuo permanendi, vt ſupra §. 1. dictum eſt; Ergo debet non niſi coactus hoc propoſi-

tum.

Digitized by Google

tum variare, & promotus ad Epiſcopatum Monaſterium egredi, quod cõfirmatur authoritate S. Bonauenturę, qui ſuper Regulam *Cap. 2.* ita dicit, *ſi coacti ab Eccleſia, huiſmodi ineuitabili neceſſitate ſuſcipiunt regimen animarum, non ſunt reputãdi ab ordine egreſſi, ſi quantum in ipſis eſt, ſemper appetant in ſinu ordinis confoueri, quòd ſi non vocati ad Epiſcopalem gradum, nec coacti ad eundum aſpirant, vt fugiant ærumnas Pauperum, & Ordinis regimen, Credo eos in illius partem ceſſuros, qui dixit; ſedebo in monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis*, ex his verbis Suarez *de Relig. tomo* 4. *trac.* 10. *lib. 6. cap.* 8. *num.* 8. deducit S. Bonauenturam voluiſſe, nedum eos, qui affectant, & quærunt Epiſcopatum, ſed etiam eos, qui cùm Epiſcopatum nec quærant, nec affectent, tamen liberi à præceptorum coactione, & ſine vlla ineuitabili neceſſitate, oblatum acceptant, à Religionis affectu aliquo modo deuiare.

109 *Tertiò*. Religioſus non debet ſponte acceptare ſtatum, in quo illi occurrent multa ſalutis pericula; ſed in ſtatu Epiſcopali occurrunt multa ſalutis pericula, quę cum perpendiſſet S. Io: Chryſoſtomus *Hom.* 3. *ſuper Acta*, in hęc verba prorupit. *Dicam, quod ſentio, non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſalui ſiant, ſed multo plures, qui pereant*; hoc idem confirmat, quod narratur in libro *magni ſpeculi Exemplorum*, verbo *Prælatus; exemp.* 13. de quodam iuuene, qui in vita Epiſcopatum recuſauerat; iſte cum extinctus apparuiſſet amico ſuo, dixit: *ſcio quod nunc eſſem de numero damnatorum, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum*: Ergo Religioſus non debet acceptare ſponte Epiſcopatum; quod confirmari inſuper poteſt illis S. Hieronymi verbis, quæ habentur *in Regula ad Virgines*, ſcilicet, *rarò per dignitatis gradus aſcendit homo, quin multo grauius deſcẽdat.* Hoc autẽ Religioſum magis tangit, cui, vt ſupra probaui, melius eſt continuare humilem Religionis ſtatum, quam ad Epiſcopatum aſcendere, in illa enim humili conditione facilius ſaluari poſſet; hinc eſt quod in quibuſdam Religionibus voto, ſeu iuramento ſe neceſſitant Religioſi, non niſi coactos Epiſcopatum accepturos, cum autem votum ſit ſemper de meliori bono, fit conſequens, vt melius bonum ſit acceptare Epiſcopatum coactè, quàm ſponte; quod tandem conuincit Sanctorum Religioſorum exemplum, qui totis viribus Epiſcopatum declinauerunt, & non niſi coacti Dignitates acceperunt.

110 Contrarium videtur docere S. Th. *in 2. diſt.* 44. *q.* 2. *artic.* 3. vbi ait, obedientiam perfectam illam tantum eſſe, qua ſubditus ſimpliciter

Digitized by Google

pliciter obedit omnibus, quę non ſunt contraria legi diuinæ, vel regulæ, quam eſt profeſſus, quod probat auctoritate Sancti Benedicti, cuius eſt illa ſententia; *Subditus obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam*, & ad hanc, inquit S. Thomas, profitentes ex neceſſitate coguntur; ergo Regularis vt ſit perfectè obediens, debet ſponte, & liber ab omni pręceptorum coactione acceptare Epiſcopatum ſibi ſimplici Superioris verbo impoſitum, & non debet expectare præceptum, quo ex neceſſitate ad obedientiam cogatur.

111 Dico *primò*, vbi euidens vrgeret Eccleſiæ neceſſitas, ita vt non eſſet præter iſtum Regularem idoneus, qui poſſet, ſeu vellet ad Epiſcopatum promoueri; laudabile eſſet, & forte etiam neceſſarium, quod ille Regularis oblatum Epiſcopatum ſponte acceptaret.

112 Ita Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 8. *num* 15. Sanchez *Decal. lib* 6. *cap.* 18. *num.* 31. *&* 36. & alij apud ipſos, videtur etiam concluſio hæc euidenter deduci ex ſupradictis de modo, quo licet appetere, & procurare Epiſcopatum; ſi enim in vrgenti Eccleſiæ neceſſitate licet appetere, & procurare Epiſcopatum; ergo etiam oblatum in tali neceſſitate, nedum licet, verum etiam neceſſarium eſt acceptare, cum ad id cogat pręceptum charitatis, quod eſt diuinum; vnde *gloſſ.* 8. *quæſt.* 1. *cap. In ſcripturis*, dicit, *dignus ſi recuſaret Epiſcopatum, peccat mortaliter*, quod eſt ſaltem verum in caſu huius neceſſitatis.

113 Sed probatur vlterius concluſio ex ſententia Sancti Gregorij *par.* 1. *Paſtoralis Regulæ cap.* 5. *& lib.* 6. *Ep.* 5. relata in eodem *cap. in Scripturis*, Videlicet, *ſi is, qui valet, omnipotentis Dei oues renuit paſcere, oſtendit ſe Paſtorem Summum minimè amare*, & poſt pauca ſequitur, *ſi deſit, qui prædicet, occupationis onus libenti neceſſe eſt humero ſubire*, & S. Auguſtinus relatus *cap. vos autem* 16. *quæſt.* 1. ait ad quoſdam Religioſos, *at ſi operam veſtram mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo*; ergo miti corde, libenti humero, quod idem eſt ac ſponte, acceptare Epiſcopatum vrgente ſupradicta neceſſitate, eſt laudabile.

114 Dico *Secundò*. Si Regularis probabiliter exiſtimaret vrgere ſupradictam neceſſitatem, & tūc ad Epiſcopatum poſtularetur, ſi illi non obſtaret aliquod impedimentum, ſeu votum, maximè de non acceptando Epiſcopatum, laudabiliter ſpontaneus Epiſcopatum acceptaret.

115 Ita Silueſter *verbo Epiſcopus, quæſt. 3. in fin.* & *verbo Electio 1. quæſt. 19.* vbi ex Rich. vult peccare mortaliter illum, qui in tali probabili neceſſitate recuſaret Epiſcopatum. Poſita concluſio ſequitur ex Superiori, nam inſtat nobis diuino præcepto charitatis ſubuenire cuiuſcumque periculo ſalutis animæ proximi, adhibendo probabilia remedia, vt eius ſalutem ſaltem probabiliter in tuto conſtituamus: Ita dicitur communiter de Baptiſmo exhibendo ei, qui aliquam partem emiſit ex vtero matris, quæ non eſt caput; & vt aliqui opinantur, de abſolutione ſacramentali danda in articulo mortis illi, qui nullum coram Confeſſario oſtendit pœnitentiæ ſignum, & ſimilibus. Demus modo quòd vrgente probabili neceſſitate acceptandi Epiſcopatum, Prælatus nollet deuenire ad rigoroſum præceptum, tunc ſponte teneretur Regularis conſentire ex vi diuini præcepti Prælato iniungenti Epiſcopatum, vt illarum animarum ſaluti quatenus per ipſum ſtat, & quoquomodo ſibi poſſibili proſpiceret.

116 Dixi, *ſi Religioſo non obſtaret aliquod impedimentum*, quod tunc accideret, quando adeſſet aliquod obſtaculum, quod eum arceret ab acceptanda ſponte Epiſcopali dignitate, inter hæc obſtacula numeratur votum, igitur non poſſet Religioſus in ſupradicto caſu ſponte acceptare iniunctum Epiſcopatum, ſi vouiſſet non acceptare niſi coactus, tunc enim voti obligatio prævaleret probabili neceſſitati, quæ vigeret.

117 Nam & ſi adeſſet probabile ſalutis proximi periculum, eſſet etiam probabile quod tale periculum non adeſſet, & quamuis ille, qui nullum tale votum emiſit, inclinare deberet in partem proximo fauorabilem, tunc enim poſſeſſio ſtaret pro proximo, qui eſt in ſua poſſeſſione manutenendus, tamen qui dicto voto conſtrictus eſſet, deberet in partem fauorabilem voto omnino inclinare, tunc enim poſſeſſio ſtaret pro voto, & ideo votum eſſet manutenendum in ſua poſſeſſione, niſi aliud conſtaret euidenter in contrarium. Ita Sanchez *vbi ſupra lib. 6. cap. 3. num. 6. & cap. 8. num. 37.*

118 Dico *Tertiò*. Nulla vrgente neceſſitate, Actus ſponte, vel coactè conſentiendi in Epiſcopatum, ſi conſideretur ſecundum ſe, eſt indifferens; vnde penſari debet eius bonitas, vel malitia in Religioſo, qui voto non obligatur ad non acceptandum niſi coactus, ex circumſtantijs, ſub quibus conſideratur iſte actus in indiuiduo.

Hæc concluſio eſt contra *gl cap. In Scripturis 8. quæſt. 1.* Ver-

bo

bo *minimè*, vbi dicit, *eum, qui ſe credit dignum & prelaturam ſibi oblatam non recipit, peccare mortaliter*; Sed hoc citra caſum neceſſitatis ſaltem probabilis, non videtur verum, maximè cum vitium ſit præſumptionis ſe dignum credere, vt docet S. Thomas 22. *quaſt.* 185. *art.* 1. & 2. Sancti, vt Bernardus, & Thomas; qui à Pontifice Summo digni habiti ſunt Epiſcopalis gradus celſitudine, cum ab eodem Pontifice citra neceſſitatem ſupradictam Epiſcopi deſignarentur, abſque culpa, immò cum merito recuſauere, nam de hac recuſatione in diuini Officij lectionibus ab Eccleſia commendantur.

119 Concluſio eſt S. Tho. *quodlib. ſupracitatis, & quodlib.* 5. *art.* 22. vbi ſic dicit, *poteſt ergò aliquis laudabiliter conſiderans propriũ defectum, ex humilitate officium prælationis recuſare, poteſt etiam laudabiliter conſentire ex charitate fraterna, vt ſaltem proximorum ſalutem procuret*, eſt etiam Caiet. 22. *quaſt.* 185. *art.* 1. Siueſter verbo *Electio* 1. q. 2. & communis ferè inter Doctores.

120 Probatur, ſi Religioſus zelo exercendi opus epiſcopale, quod eſt ſaluti animarum inſiſtere, ac doctrina, & exemplo populos inſtruere, vel ad prompte ſimplici verbo Superioris obtemperandum, ſponte acceptaret Epiſcopatum, eſſet laudabilis, nam inſiſtere animarum ſaluti, & promptè obedire Superiori eſt laudabile, ſi verò ex humilitate, putando ſe illa dignitate indignũ, vellet expectare rigoroſum Superioris præceptum, quo cogeretur; tunc etiam eſſet laudabilis, nam ille actus humilitatis eſſet meritorius: Item Religioſus peccaret, & conſequenter laudabiliter non ageret, ſi ex pigritia, vel ex defectu obedientiæ ſaltim perfectæ hanc coactionem expectaret. Preterea male ageret ſi, intendendo præeſſe magis, quàm prodeſſe, & gradus celſitudini, vel temporalibus bonis inhiando, ſponte Epiſcopatum acceptaret; Ergo ſpontanea, vel coacta acceptatio Epiſcopatus, quantum ad bonitatem, vel malitiam, penſanda eſt ex circumſtantijs, quæ huic actui in indiuiduo connectuntur, & conſequenter hic actus ſecundum ſe eſt indifferens.

121 *Gloſ. cap. In ſcripturis* innuit in acceptando Epiſcopatum ſemper ſimulandam ſaltem eſſe quandam repugnantiam, dicitur enim ibi verbo *fugientibus*, *nullus eligendus eſt niſi ab initio diſſentiat, prima quaſt. 6. cap. fin. tepidè tamen*, inquit *gloſ. debet diſſentire, ſicut fœmina*, 32. *quaſt.* 2. *cap. Honorantur.* Hugo etiam ibidem relatus dixit, *Simulandam eſſe repugnantiam ab electo, quam verè nullo modo habet*, ſed hæc iudico non eſſe ad praxim

Digitized by Google

reducenda, cum in re tam graui non deceat ſimulare, nec deſunt, qui hanc ſimulationem velint eſſe peccatum, mortale, quamuis oppoſitum dicant alij *in gl. ſupradicti cap. fin. 1. quaeſt. 6. verbo refugit*,

122 Dico *quartò*. Si excludamus Religioſos, qui vouerunt non acceptare Epiſcopatum niſi cogantur, illi, qui Papæ ſimplici verbo Epiſcopatum iniungenti ſpontè conſentiunt, regulariter loquendo, melius faciunt, quàm illi, qui expectant eius formale præceptum, quo ad acceptandum ſub culpa mortali compellantur.

Hæc Concluſio eſt contra Suarez, qui *de Rel. tomo* 4. *tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 8. tenet ſimpliciter loquendo ſemper melius eſſe non accipere Epiſcopatum niſi coacte.

123 Excluſimus Religioſos voto aſtrictos, nam ſi aliunde, & certo iudicio prudentum non conſtaret hic, & nunc præceptum charitatis obligare ad ſuſcipiendum Epiſcopatum in bonum proximorum, propter aliquam vrgentem neceſſitatem, vt loquitur Suarez *vbi ſupra lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 15. illi Religioſi neceſſariò expectare deberent rigoroſum præceptum, & aliàs agendo peccarent contra votum, nec ideo minus obedientes eſſent, quàm illi, qui ſimplici verbo Papæ iniungenti Epiſcopatum conſentiunt, tale enim votum Summus Pontifex approbauit, dum eorum Religionis regulas confirmauit; & quamuis hoc votum non fuiſſet ſecundùm regulam emiſſum, adhuc penſandum eſſet Papam velle Religioſum exequi, quod Deo arbitrio ſuo ductus promiſerat, ſcilicet, non acceptare Epiſcopatum niſi coactus, cuius Papæ voluntatis indicium habemus in illo *cap. Per tuas* vbi Pontifex iudicauit Epiſcopum, qui ante Epiſcopatum vouerat ingredi Religionem, renunciare debuiſſe Epiſcopatum, vt ſuæ conſcientiæ conſuleret, exequendo, quod ante Epiſcopatum Deo promiſerat: Multo ergo magis iudicaret Religioſum exequi debere votum de non acceptando Epiſcopatum, ſi non eſſet coactus, cum iſte iam eſſet in ſtatu religioſo.

124 Loquendo modo de Religioſis, in quibus dictum votum non reperitur, vt concluſionis veritas clarius appareat, oportet prius diſtinguere cum S. Th. 22. *quaeſt.* 4. *artic.* 7. *ad tertium*, obedientiam in generalem, & ſpecialem, generalis eſt inclinatio voluntatis adimplendi mandata, ſpecialis eſt eadem inclinatio prout importat eandem mandatorum impletionem, ſecundum quod habet rationem debiti; reddit enim ſubditus ſuperiori debi-

debitum illi obediendo: Item S. Doctor 22. *quaeſt.* 104. *artic.* 2. diſtinguit præceptum, quod eſt obedientię obiectum, vt dicit ibidem *ad tertium*, in præceptum expreſſum, & pręceptum tacitum: Pręceptum tacitum eſt voluntas Superioris quocum que modo innoteſcat, quod in eadem reſponſione *ad tertium*, interpretatiuum pręceptum etiam nominatur, & hoc eſt ſimplex verbum Pręlati eius indicans voluntatem, cui obedit promptus obediens, ſecundùm illud *ad Tit.* 3. *dicto parere*, ex quo deducitur pręceptum expręſſum illud eſſe, quo voluntas Prælati innoteſcit per verba, quæ continent formam, ſeu modum quendam pręcipiendi, ſcilicet, in virtute ſanctę obedientię, & cum expreſſione, ſi ſubditus non exequatur, quod pręcipitur, lędet obedientię votum, non reddendo Superiori debitum, dum recuſat illi obedire, & conſequenter peccabit mortaliter, & incidet in adiunctam excommunicationem, ſeu alias pœnas in pręcepto comminatas. Hoc ſuppoſito, concludit S. Th. *tanto videtur obedientia promptior, quanto expreſſum praceptum obediendo praeuenit, voluntate tamen Superioris intellecta.*

125 Probatur modo concluſio. Religioſus tantò in ſuo actu eſt laudabilior, quantò eſt in illo exequendo perfectior obediens, ſed acceptando ſponte Epiſcopatum ſimplici Summi Pontificis verbo iniunctum, & expreſſum eius pręceptum pręueniendo, eſt in hoc exequendo perfectior obediens, quàm ſi ad illum actum expreſſo præcepto cogeretur; ergo laudabilior eſt in acceptan-
126 do ſponte Epiſcopatum, quam in acceptando coacte; quod euidentius probaretur ſuppoſita ſententia probabili, quam defendit Lorca 3. *par. q.* 10. *artic.* 4. *diſp.* 73. ſcilicet, Chriſtum Dominum obtemperaſſe Patri iniungenti mortem Crucis abſque rigoroſo præcepto; ſed tantum quia voluit ſe conformare voluntati Patris id optantis: quod fortaſſe ſenſit etiam S. Anſelmus *Medit cap.* 4. cum dixit de Chriſto Domino, *non enim illi homini pater vt moreretur cogendo præcepit, ſed ille, quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc ſponte fecit*: Ergo Religioſi obedientia ſimilis formæ erit perfectior, tunc enim eius obedientia magis aſſimilaretur obedientię Chriſti Domini, quam dicere oportet fuiſſe perfectiſſimam, quando non expectato rigoroſo pręcepto, obtemperaret ſponte Pontifici iniungenti Epiſcopatum, eligendo ſe conformare voluntati eius id optantis: vnde ſubiungit Sanctus Anſelmus. *Hac eſt enim perfecta, & liberrima humana natura obedientia, cum voluntatem*

ſuam

ſuam liberam ſponte voluntati Dei ſubdidit, & cum acceptam bonam voluntatem, ſine omni exactione, ſpontanea libertate opere perfecit.

127 Probatur *ſecundò* Concluſio; coacta Epiſcopatus acceptatio arguit in ſubdito quandam duritiem in obediendo Superiori, & inducit in eodem Superiore quandam maiorem difficultatem exigendi à ſubditis debitam obedientiam; ergo laudabilior eſt ſpontanea Epiſcopatus acceptatio, qua per promptam obedientiam, & à ſubdito tollitur illa durities, & in Superiore illa difficultas, quorum vtrumque malum eſſe nemo eſt, qui non videat, vt ſupra probatum fuit.

128 Confirmatur *primò*. Quia Pontifices conferendo idoneis Epiſcopatum, non ſolent eos ad accipiendum niſi rarò compellere, prout ſcripſit Vmbertus Generalis Ordinis Prædicatorum ad B. Albertum Magnum electum Archiepiſcopum Ratisponenſem in Epiſtola, quæ habetur in Chronicis huius Ordinis *lib. 3. par. 1. cap. 46.* vbi ita dicit Vmbertus, *ne meno deuono inclinarui à queſto i precetti del Papa, perche non ſono ſtati mai ſoliti i Pontefici di sforzare alcuno in ſimil caſo, quando l'habbino viſto efficacemente reſiſtere*; Ergo ſi electi ad Epiſcopatum laudabilius recuſarent non coacti Papæ conſentire, quàm ei ſponte obtemperare, Sum. Pontifex frequenter idoneos præteriret; iſti enim idonei ferè ſemper eligerent actum, qui eſt laudabilior, cum id ſupponẽdum ſit de viris, qui cum idonei ſint ad Epiſcopatum, erunt conſequenter actuum laudabiliorũ ſectatores; ſed ſi ſponte idonei Papæ conſentiant, hoc inconueniens ſequi non poteſt, ergo laudabilius eſt quòd idoneus ſponte quàm coacte Papæ iniungenti Epiſcopatum conſentiat.

129 Confirmatur *ſecundò* ex S. Th. ſuper illud *Apoſtoli Heb. 13. obedite Prepoſitis veſtris*, &c. *vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes*, vbi *lect. 3.* ſic ait, *ſcilicet, obedire, & non rebellare*, in quibus verbis videtur S. Doct. dum vult nos debere facere, quod in nobis eſt, ſcilicet, obedire, habuiſſe reſpectum ad ſpontaneam obedientiam, qua, vt ibidem dicit, gaudent Præpoſiti, dum poſtea ſubdit, nos non debere rebellare, videtur habuiſſe reſpectum ad obedientiam coactam, ad quam Præpoſitis denegatam ſequitur rebellio: Cum vero Præpoſiti arctantur rebellionem impedire coactione, & rigoroſo præcepto reſiſtentiam ſubditorum ſuperare, regiminis onus fit grauius, & ideo tunc dicit S. Tho. *ibidem*, *Præpoſiti ſub hoc onere gemunt*; ſed laudabi-

lius

lius eſt obedire Præpoſito de obedientia gaudenti, quæ eſt obedientia ſpontanea, quàm de obedientia gementi, quæ eſt obedientia coacta; ergo laudabilius eſt Pontifici iniungenti Epiſcoparum obedire ſponte, quam coactè.

Confirmatur Tertiò. Ex eodem S. Thoma, qui 22. *quæſt.* 89. *ar.* 7. *ad ſecundum* inquit, *Iuramentum poteſt vergere in deteriorem exitum dupliciter, vno modo, quia ab ipſo principio habet peiorem exitum, vel quia eſt ſecundum ſe malum, ſicut cum aliquis iurat ſe perpetraturum adulterium, ſiuè quia eſt maioris boni impeditiuum, puta cum aliquis iurat non intraturum religionem, vel quod non fiet clericus, aut quod non accipiet Prælaturam in caſu, in quo expedit eum accipere, huiuſmodi enim Iuramentum à principio eſt illicitum, differenter tamen, quia ſi quis iuret ſe facturum aliquod peccatum, & peccat iurando, & peccat iuramentum ſeruando; ſi quis autem iuret ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem iurando, in quantum ponit obicem Spiritui ſancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator; non tamen peccat iuramentum ſeruando, ſed multo melius facit ſi non ſeruet*; In his verbis clare patet S. Th. non loqui de eo, qui iurauit, vel vouit non accipere Prælaturam, niſi coactus, nam iſte non peccaſſet iurando, vel vouendo, & peccaret tale iuramentum, vel votum non ſeruando, eſt enim tale iuramentum, vel votum in aliquibus Religionibus conſuetum, in quibus laudabiliter ita iuratur, vel vouetur, ac id iuramentum, & votum meritoriè ſeruantur, nec ſine graui culpa frangerentur, igitur S. Doctor loquitur de eo, qui iurat non accipere Prælaturam, quando expedit, ſed non tenetur, ſicut loquitur ibidem ob eo qui iurat non intraturum religionem, & quod non fiet Clericus, ad quæ nemo tenetur, vt ipſemet S. Doctor explicat *quodlib.* 6. *art.* 27. & dicit illum, qui ita iurauit, peccare iurando, & non peccare iuramentum ſeruando, vel non ſeruando, ſed multo melius facere ſi tale iuramentum non ſeruet, vnde patet S. Doctorem loqui de eo, qui iurauit non accipere Prælaturam, etiam in caſu, in quo non tenetur, et cum nullo ad id Superioris præcepto cogeretur; iudicaret tamen expedire, vt ſpontè acciperet Prælaturam, quod certè tunc accideret, quando iſte liber ab omni præceptorum coactione, oblatam ſimplici verbo Superioris Prælaturam recuſaret, cum expediret illam acceptare, vt promptam, & perfectam ſuo Superiori redderet obedientiam, & iudicio ſui ſuperioris id indicantis ſibi opus de meliori bono ſe conformaret.

Digitized by Google

tum variare, & promotus ad Epiſcopatum Monaſterium egredi, quod cõfirmatur authoritate S. Bonauenturę, qui ſuper Regulam Cap. 2. ita dicit, *ſi coacti ab Eccleſia, huiſmodi ineuitabili neceſſitate ſuſcipiunt regimen animarum, non ſunt reputãdi ab ordine egreſſi, ſi quantum in ipſis eſt, ſemper appetant in ſinu ordinis confoueri; quòd ſi non vocati ad Epiſcopalem gradum, nec coacti ad eundum aſpirant, vt fugiant ærumnas Pauperum, & Ordinis regimen, Credo eos in illius partem ceſſuros, qui dixit; ſedebo in monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis*, ex his verbis Suarez *de Relig. tomo* 4. *trac.* 10. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 8. deducit S. Bonauenturam voluiſſe, nedum eos, qui affectant, & quærunt Epiſcopatum, ſed etiam eos, qui cùm Epiſcopatum nec quærant, nec affectent, tamen liberi à præceptorum coactione, & ſine vlla ineuitabili neceſſitate, oblatum acceptant, à Religionis affectu aliquo modo deuiare.

109 *Tertiò*. Religioſus non debet ſponte acceptare ſtatum, in quo illi occurrent multa ſalutis pericula; ſed in ſtatu Epiſcopali occurrunt multa ſalutis pericula, quę cum perpendiſſet S. Io. Chryſoſtomus *Hom.* 3. *ſuper Acta*, in hęc verba prorupit; *Dicam, quod ſentio, non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſaluiſiant, ſed multo plures, qui pereant*; hoc idem confirmat, quod narratur in libro *magni ſpeculi Exemplorum*, verbo *Prælatus, exemp.* 13. de quodam iuuene, qui in vita Epiſcopatum recuſauerat; iſte cum extinctus apparuiſſet amico ſuo, dixit, *ſcio quod nunc eſſem de numero damnatorum, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum*: Ergo Religioſus non debet acceptare ſponte Epiſcopatum; quod confirmari inſuper poteſt illis S. Hieronymi verbis, quæ habentur *in Regula ad Virgines*, ſcilicet, *rarò per dignitatis gradus aſcendit homo, quin multo grauius deſcẽdat.* Hoc autẽ Religioſum magis tangit, cui, vt ſupra probaui, melius eſt continuare humilem Religionis ſtatum, quam ad Epiſcopatum aſcendere, in illa enim humili conditione facilius ſaluari poſſet; hinc eſt quod in quibuſdam Religionibus voto, ſeu iuramento ſe neceſſitant Religioſi, non niſi coactos Epiſcopatum accepturos, cum autem votum ſit ſemper de meliori bono, fit conſequens, vt melius bonum ſit acceptare Epiſcopatum coactè, quàm ſponte; quod tandem conuincit Sanctorum Religioſorum exemplum, qui totis viribus Epiſcopatum declinauerunt, & non niſi coacti Dignitates acceperunt.

110 Contrarium videtur docere S. Th. *in* 2. *diſt.* 44. *q.* 2. *artic.* 3. vbi ait, obedientiam perfectam illam tantum eſſe, qua ſubditus ſimpliciter

plicitet obedit omnibus, quę non ſunt contraria legi diuinæ, vel regulæ, quam eſt profeſſus, quod probat auctoritate Sancti Benedicti, cuius eſt illa ſententia; *Subditus obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam*, & ad hanc, inquit S. Thomas, profitentes ex neceſſitate coguntur; ergo Regularis vt ſit perfectè obediens, debet ſponte, & liber ab omni præceptorum coactione acceptare Epiſcopatum ſibi ſimplici Superioris verbo impoſitum, & non debet expectare præceptum, quo ex neceſſitate ad obedientiam cogatur.

111 Dico *primò*, vbi euidens vrgeret Eccleſiæ neceſſitas, itaut non eſſet præter iſtum Regularem idoneus, qui poſſet, ſeu vellet ad Epiſcopatum promoueri; laudabile eſſet, & forte etiam neceſſarium, quod ille Regularis oblatum Epiſcopatum ſponte acceptaret.

112 Ita Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 8. *num* 15. Sanchez *Decal. lib* 6. *cap.* 18. *num.* 31. *&* 36. & alij apud ipſos, videtur etiam concluſio hæc euidenter deduci ex ſupradictis de modo, quo licet appetere, & procurare Epiſcopatum; ſi enim in vrgenti Eccleſiæ neceſſitate licet appetere, & procurare Epiſcopatum; ergo etiam oblatum in tali neceſſitate, nedum licet, verum etiam neceſſarium eſt acceptare, cum ad id cogat præceptum charitatis, quod eſt diuinum; vnde *gloſſ.* 8. *quæſt.* 1. *cap. In ſcripturis*, dicit, *dignus ſi recuſaret Epiſcopatum, peccat mortaliter*, quod eſt ſaltem verum in caſu huius neceſſitatis.

113 Sed probatur vlterius concluſio ex ſententia Sancti Gregorij *par.* 1. *Paſtoralis Regulæ cap.* 5. *& lib.* 6. *Ep.* 5. relata in eodem *cap. in Scripturis*, videlicet, *ſi is, qui valet, omnipotentis Dei oues renuit paſcere, oſtendit ſe Paſtorem Summum minimè amare*, & poſt pauca ſequitur, *ſi deſit, qui prædicet, occupationis onus libenti neceſſe eſt humero ſubire*, & S. Auguſtinus relatus *cap. vos autem* 16. *quæſt.* 1. ait ad quoſdam Religioſos, *at ſi operam veſtram mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo*; ergo miti corde, libenti humero, quod idem eſt ac ſponte, acceptare Epiſcopatum vrgente ſupradicta neceſſitate, eſt laudabile.

114 Dico *Secundò*. Si Regularis probabiliter exiſtimaret vrgere ſupradictam neceſſitatem, & tūc ad Epiſcopatum poſtularetur, ſi illi non obſtaret aliquod impedimentum, ſeu votum, maximè de non acceptando Epiſcopatum, laudabiliter ſpontaneus Epiſcopatum acceptaret.

Digitized by Google

115 Ita Siluester *verbo Epiſcopus, quaſt. 3. in fin. & verbo Electio 1. quaſt. 19.* vbi ex Rich. vult peccare mortaliter illum, qui in tali probabili neceſſitate recuſaret Epiſcopatum: Poſita concluſio ſequitur ex Superiori, nam inſtat nobis diuino præcepto charitatis ſubuenire cuiuſcumque periculo ſalutis animæ proximi, adhibendo probabilia remedia, vt eius ſalutem ſaltem probabiliter in tuto conſtituamus: Ita dicitur communiter de Baptiſmo exhibendo ei, qui aliquam partem emiſit ex vtero matris, quæ non eſt caput; & vt aliqui opinantur, de abſolutione ſacramentali danda in articulo mortis illi, qui nullum coram Confeſſario oſtendit pœnitentiæ ſignum, & ſimilibus. Demus modo quòd vrgente probabili neceſſitate acceptandi Epiſcopatum, Prælatus nollet deuenire ad rigoroſum præceptum, tunc ſponte teneretur Regularis conſentire ex vi diuini præcepti Prælato iniungenti Epiſcopatum, vt illarum animarum ſaluti quatenus per ipſum ſtat, & quoquomodo ſibi poſſibili proſpiceret.

116 Dixi, *ſi Religioſo non obſtaret aliquod impedimentum*, quod tunc accideret, quando adeſſet aliquod obſtaculum, quod eum arceret ab acceptanda ſponte, Epiſcopali dignitate, inter hæc obſtacula numeratur votum, igitur non poſſet Religioſus in ſupradicto caſu ſponte acceptare iniunctum Epiſcopatum, ſi vouiſſet non acceptare niſi coactus, tunc enim voti obligatio præualeret probabili neceſſitati, quæ vigeret.

117 Nam & ſi adeſſet probabile ſalutis proximi periculum, eſſet etiam probabile quod tale periculum non adeſſet, & quamuis ille, qui nullum tale votum emiſit, inclinare deberet in partem proximo fauorabilem, tunc enim poſſeſſio ſtaret pro proximo, qui eſt in ſua poſſeſſione manutenendus, tamen qui dicto voto conſtrictus eſſet, deberet in partem fauorabilem voto omnino inclinare, tunc enim poſſeſſio ſtaret pro voto, & ideo votum eſſet manutenendum in ſua poſſeſſione, niſi aliud conſtaret euidenter in contrarium. Ita Sanchez *vbi ſupra lib. 6. cap. 3. num. 6. & cap. 8. num. 37.*

118 Dico *Tertiò*. Nulla vrgente neceſſitate, Actus ſponte, vel coactè conſentiendi in Epiſcopatum, ſi conſideretur ſecundùm ſe, eſt indifferens; vnde penſari debet eius bonitas, vel malitia in Religioſo, qui voto non obligatur ad non acceptandum niſi coactus, ex circumſtantijs, ſub quibus conſideratur iſte actus in indiuiduo.

Hæc concluſio eſt contra *gl cap. In Scripturis 8. quaſt. 1.* Verbo

bo *minimè*, vbi dicit, *eum, qui ſe credit dignum & prelaturam ſibi oblatam non recipit, peccare mortaliter*; Sed hoc citra caſum neceſſitatis ſaltem probabilis, non videtur verum, maximè cum vitium ſit præſumptionis ſe dignum credere, vt docet S. Thomas 22. *quæſt.* 185. *art.* 1. & 2. Sancti, vt Bernardus, & Thomas, qui à Pontifice Summo digni habiti ſunt Epiſcopalis gradus celſitudine, cum ab eodem Pontifice citra neceſſitatem ſupradictam Epiſcopi deſignarentur, abſque culpa, immò cum merito recuſauere, nam de hac recuſatione in diuini Officij lectionibus ab Eccleſia commendantur.

119 Concluſio eſt S. Tho. *quodlib. ſupracitatis, & quodlib.* 5. *art.* 22. vbi ſic dicit, *poteſt ergò aliquis laudabiliter conſiderans propriū defectum, ex humilitate officium prælationis recuſare, poteſt etiam laudabiliter conſentire ex charitate fraterna, vt ſaltem proximorum ſalutem procuret*, eſt etiam Caiet. 22. *quæſt.* 185. *art.* 1. Silueſter verbo *Electio* 1. *q.* 2. & communis ferè inter Doctores.

120 Probatur, ſi Religioſus zelo exercendi opus epiſcopale, quod eſt ſaluti animarum inſiſtere, ac doctrina, & exemplo populos inſtruere, vel ad prompte ſimplici verbo Superioris obtemperandum, ſponte acceptaret Epiſcopatum, eſſet laudabilis, nam inſiſtere animarum ſaluti, & promptè obedire Superiori eſt laudabile, ſi verò ex humilitate, putando ſe illa dignitate indignū, vellet expectare rigoroſum Superioris præceptum, quo cogeretur; tunc etiam eſſet laudabilis, nam ille actus humilitatis eſſet meritorius. Item Religioſus peccaret, & conſequenter laudabiliter non ageret, ſi ex pigritia, vel ex defectu obedientiæ ſaltim perfectæ hanc coactionem expectaret. Prẹterea male ageret ſi, intendendo præeſſe magis, quàm prodeſſe, & gradus celſitudini, vel temporalibus bonis inhiando, ſponte Epiſcopatum acceptaret; Ergo ſpontanea, vel coacta acceptatio Epiſcopatus, quantum ad bonitatem, vel malitiam, penſanda eſt ex circumſtantijs, quæ huic actui in indiuiduo connectuntur, & conſequenter hic actus ſecundum ſe eſt indifferens.

121 *Gloſſ. cap. In ſcripturis* innuit in acceptando Epiſcopatum ſemper ſimulandam ſaltem eſſe quandam repugnantiam, dicitur enim ibi verbo *fugientibus*, *nullus eligendus eſt niſi ab initio diſſentiat, prima quæſt.* 6. *cap. fin. tepidè tamen*, inquit *gloſ. debet diſſentire, ſicut fœmina*, 32. *quæſt.* 2. *cap. Honorantur.* Hugo etiam ibidem relatus dixit, *Simulandam eſſe repugnantiam ab electo, quam verè nullo modo habet*, ſed hæc iudico non eſſe ad praxim

Digitized by Google

reducenda, cum in re tam graui non deceat ſimulare, nec deſunt, qui hanc ſimulationem velint eſſe peccatum mortale, quamuis oppoſitum dicant alij *in gl. ſupradicti cap. fin. 1. quæſt. 6. verbo refugit*,

122 Dico *quartò*. Si excludamus Religioſos, qui vouerunt non acceptare Epiſcopatum niſi cogantur, illi, qui Papæ ſimplici verbo Epiſcopatum iniungenti ſpontè conſentiunt, regulariter loquendo, melius faciunt, quàm illi, qui expectant eius formale præceptum, quo ad acceptandum ſub culpa mortali compellantur.

Hæc Concluſio eſt contra Suarez, qui *de Rel. tomo 4. tract. 10. lib. 6. cap. 8. num. 8.* tenet ſimpliciter loquendo ſemper melius eſſe non accipere Epiſcopatum niſi coactè.

123 Excluſimus Religioſos voto aſtrictos, nam ſi aliunde, & certo iudicio prudentum non conſtaret hic, & nunc præceptum charitatis obligare ad ſuſcipiendum Epiſcopatum in bonum proximorum, propter aliquam vrgentem neceſſitatem, vt loquitur Suarez *vbi ſupra lib. 6. cap. 8. num. 15.* illi Religioſi neceſſariò expectare deberent rigoroſum præceptum, & aliàs agendo peccarent contra votum, nec ideo minus obedientes eſſent, quàm illi, qui ſimplici verbo Papæ iniungenti Epiſcopatum conſentiunt, tale enim votum Summus Pontifex approbauit, dum eorum Religionis regulas confirmauit; & quamuis hoc votum non fuiſſet ſecundùm regulam emiſſum, adhuc penſandum eſſet Papam velle Religioſum exequi, quod Deo arbitrio ſuo ductus promiſerat, ſcilicet, non acceptare Epiſcopatum niſi coactus, cuius Papæ voluntatis indicium habemus in illo *cap. Per tuas* vbi Pontifex iudicauit Epiſcopum, qui ante Epiſcopatum vouerat ingredi Religionem, renunciare debuiſſe Epiſcopatum, vt ſuæ conſcientiæ conſuleret, exequendo, quod ante Epiſcopatum Deo promiſerat: Multo ergo magis iudicaret Religioſum exequi debere votum de non acceptando Epiſcopatum, ſi non eſſet coactus, cum iſte iam eſſet in ſtatu religioſo.

124 Loquendo modo de Religioſis, in quibus dictum votum non reperitur, vt concluſionis veritas clarius appareat, oportet prius diſtinguere cum S. Th. *22. quæſt. 4. artic. 7. ad tertium*, obedientiam in generalem, & ſpecialem, generalis eſt inclinatio voluntatis adimplendi mandata, ſpecialis eſt eadem inclinatio prout importat eandem mandatorum impletionem, ſecundum quod habet rationem debiti; reddit enim ſubditus ſuperiori debi-

debitum illi obediendo: Item S. Doctor 22. *quæſt.* 104. *artic.* 2. diſtinguit præceptum, quod eſt obedientię obiectum, vt dicit ibidem *ad tertium*, in præceptum expreſſum, & pręceptum tacitum: Pręceptum tacitum eſt voluntas Superioris quocumque modo innoteſcat, quod in eadem reſponſione *ad tertium*, interpretatiuum pręceptum etiam nominatur, & hoc eſt ſimplex verbum Pręlati eius indicans voluntatem, cui obedit promptus obediens, ſecundùm illud *ad Tit.* 3. *dicto parere*, ex quo deducitur pręceptum expręſſum illud eſſe, quo voluntas Prælati innoteſcit per verba, quæ continent formam, ſeu modum quendam pręcipiendi, ſcilicet, in virtute ſanctę obedientię, & cum expreſſione, ſi ſubditus non exequatur, quod pręcipitur, lędet obedientię votum, non reddendo Superiori debitum, dum recuſat illi obedire, & conſequenter peccabit mortaliter, & incidet in adiunctam excommunicationem, ſeu alias pœnas in pręcepto comminatas. Hoc ſuppoſito, concludit S. Th. *tanto videtur obedientia promptior, quanto expreſſum præceptum obediendo præuenit, voluntate tamen Superioris intellecta.*

125 Probatur modo concluſio. Religioſus tantò in ſuo actu eſt laudabilior, quantò eſt in illo exequendo perfectior obediens, ſed acceptando ſponte Epiſcopatum ſimplici Summi Pontificis verbo iniunctum, & expreſſum eius pręceptum pręueniendo, eſt in hoc exequendo perfectior obediens, quàm ſi ad illum actum expreſſo præcepto cogeretur; ergo laudabilior eſt in acceptan-

126 do ſponte Epiſcopatum, quam in acceptando coacte; quod euidentius probaretur ſuppoſita ſententia probabili, quam defendit Lorca 3. *par. q.* 10. *artic.* 4. *diſp.* 73. ſcilicet, Chriſtum Dominum obtemperaſſe Patri iniungenti mortem Crucis abſque rigoroſo præcepto; ſed tantum quia voluit ſe conformare voluntati Patris id optantis: quod fortaſſe ſenſit etiam S. Anſelmus *Medit cap.* 4. cum dixit de Chriſto Domino, *non enim illi homini pater vt moreretur cogendo præcepit, ſed ille, quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc ſponte fecit*: Ergo Religioſi obedientia ſimilis formæ erit perfectior, tunc enim eius obedientia magis aſſimilaretur obedientię Chriſti Domini, quam dicere oportet fuiſſe perfectiſſimam, quando non expectato rigoroſo pręcepto, obtemperaret ſponte Pontifici iniungenti Epiſcopatum, eligendo ſe conformare voluntati eius id optantis: vnde ſubiungit Sanctus Anſelmus. *Hæc eſt enim perfecta, & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem*

ſuam

Digitized by Google

ſuam liberam ſponte voluntati Dei ſubdidit, & cum acceptam bonam voluntatem, ſine omni exactione, ſpontanea libertate opere perfecit.

127 Probatur *ſecundò* Concluſio; coacta Epiſcopatus acceptatio arguit in ſubdito quandam duritiem in obediendo Superiori, & inducit in eodem Superiore quandam maiorem difficultatem exigendi à ſubditis debitam obedientiam; ergo laudabilior eſt ſpontanea Epiſcopatus acceptatio, qua per promptam obedientiam, & à ſubdito tollitur illa durities, & in Superiore illa difficultas, quorum vtrumque malum eſſe nemo eſt, qui non videat, vt ſupra probatum fuit.

128 Confirmatur *primò*. Quia Pontifices conferendo idoneis Epiſcopatum, non ſolent eos ad accipiendum niſi rarò compellere, prout ſcripſit Vmbertus Generalis Ordinis Prædicatorum ad B. Albertum Magnum electum Archiepiſcopum Ratiſponenſem in Epiſtola, quæ habetur in Chronicis huius Ordinis *lib. 3. par. 1. cap. 46.* vbi ita dicit Vmbertus, *ne meno deuono inclinarui à queſto i precetti del Papa, perche non ſono ſtati mai ſoliti i Pontefici di sforzare alcuno in ſimil caſo, quando l'habbino viſto efficacemente reſiſtere*; Ergo ſi electi ad Epiſcopatum laudabilius recuſarent non coacti Papæ conſentire, quàm ei ſponte obtemperare, Sum. Pontifex frequenter idoneos præteriret; iſti enim idonei ferè ſemper eligerent actum, qui eſt laudabilior, cum id ſupponēdum ſit de viris, qui cum idonei ſint ad Epiſcopatum, erunt conſequenter actuum laudabiliorū ſectatores; ſed ſi ſponte idonei Papæ conſentiant, hoc inconueniens ſequi non poteſt, ergo laudabilius eſt quòd idoneus ſponte quàm coacte Papæ iniungenti Epiſcopatum conſentiat.

129 Confirmatur *ſecundò* ex S. Th. ſuper illud *Apoſtoli Heb. 13. obedite Prepoſitis veſtris, &c. vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes*, vbi *lect. 3.* ſic ait, *ſcilicet, obedire, & non rebellare*, in quibus verbis videtur S. Doct. dum vult nos debere facere, quod in nobis eſt, ſcilicet, obedire, habuiſſe reſpectum ad ſpontaneam obedientiam, qua, vt ibidem dicit, gaudent Præpoſiti, dum poſtea ſubdit, nos non debere rebellare, videtur habuiſſe reſpectum ad obedientiam coactam, ad quam Præpoſitis denegatam ſequitur rebellio: Cum vero Præpoſiti arctantur rebellionem impedire coactione, & rigoroſo præcepto reſiſtentiam ſubditorum ſuperare, regiminis onus fit grauius, & ideo tunc dicit S. Tho. *ibidem*, *Præpoſiti ſub hoc onere gemunt*; ſed laudabilius

ſius eſt obedire Præpoſito de obedientia gaudenti, quæ eſt obedientia ſpontanea, quàm de obedientia gementi, quæ eſt obedientia coacta; ergo laudabilius eſt Pontifici iniungenti Epiſcopatum obedire ſponte, quam coactè.

Confirmatur Tertiò. Ex eodem S. Thoma, qui 22. *quæſt.* 89. *ar.* 7. *ad ſecundum* inquit, *Iuramentum poteſt vergere in deteriorem exitum dupliciter, vno modo, quia ab ipſo principio habet peiorem exitum, vel quia eſt ſecundum ſe malum, ſicut cum aliquis iurat ſe perpetraturum adulterium, ſiuè quia eſt maioris boni impeditiuum, puta cum aliquis iurat non intraturum religionem, vel quod non fiet clericus, aut quod non accipiet Prælaturam in caſu, in quo expedit eum accipere, huiuſmodi enim Iuramentum à principio eſt illicitum, differenter tamen, quia ſi quis iuret ſe facturum aliquod peccatum, & peccat iurando, & peccat iuramentum ſeruando; ſi quis autem iuret ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem iurando, in quantum ponit obicem Spiritui ſancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator; non tamen peccat iuramentum ſeruando, ſed multo melius facit ſi non ſeruet*; In his verbis clare patet S. Th. non loqui de eo, qui iurauit, vel vouit non accipere Prælaturam niſi coactus, nam iſte non peccaſſet iurando, vel vouendo, & peccaret tale iuramentum, vel votum, non ſeruando, eſt enim tale iuramentum, vel votum in aliquibus Religionibus conſuetum, in quibus laudabiliter ita iuratur, vel vouetur, ac id iuramentum, & votum meritoriè ſeruantur, nec ſine graui culpa frangerentur, igitur S. Doctor loquitur de eo, qui iurat non accipere Prælaturam, quando expedit, ſed non tenetur, ſicut loquitur ibidem ob eo qui iurat non intraturum religionem, & quod non fiet Clericus, ad quæ nemo tenetur, vt ipſemet S. Doctor explicat *quodlib.* 6. *art.* 27. & dicit illum, qui ita iurauit, peccare iurando, & non peccare iuramentum ſeruando, vel non ſeruando, ſed multo melius facere ſi tale iuramentum non ſeruet, vnde patet S. Doctorem loqui de eo, qui iurauit non accipere Prælaturam, etiam in caſu, in quo non tenetur, et cum nullo ad id Superioris præcepto cogeretur; iudicaret tamen expedire, vt ſponte acciperet Prælaturam, quod certè tunc accideret, quando iſte liber ab omni præceptorum coactione, oblatam ſimplici verbo Superioris Prælaturam recuſaret, cum expediret illam acceptare, vt promptam, & perfectam ſuo Superiori redderet obedientiam, & iudicio ſui Superioris id iudicantis ethic opus de meliori bono ſe conformaret.

Digitized by Google

ret. In hoc caſu dicit S. Th. eum, qui iurauit non accipere Prælaturam, non peccare ſuum Iuramentum ſeruando, quia ſcilicet, non tenetur, dum non cogitur rigoroſo præcepto, Prælaturam accipere; Sed nec peccaret, inquit, non ſeruando Iuramentum, ſed multo melius faceret ſi non ſeruato Iuramento, Prælaturam, ad quam non tenetur, ſponte acceptaret, ergo in ſententia Sancti Thomæ, ille, qui iurauit non accipere Prælaturam modo explicato, non obſtante iuramento, melius faceret ſi ſponte Prælaturam acciperet, quàm ſi expectaret præceptum, quo eandem accipere cogeretur; ex quo ſequitur hoc ipſum euidentius verificari in illo, qui nullo facto iuramento, nec voto emiſſo, ſponte Prælaturam acceptaret, ſi modo ſupra explicato id iudicaret expedire.

130 Nota quòd quamuis reſiſtere voluntati Pontificis iniungentis ſimplici verbo Epiſcopatum, non ſit ex ſuo genere peccatum, attamen eſt tantæ efficaciæ hoc ſimplex verbum, vt probabile ſit quòd Religioſus, etiam qui vouit nó acceptare Epiſcopatum niſi coactus, ſi comprehendat Pontificem de ſuo Voto informatũ ita iniungeret Epiſcopatũ, vt declaret ſibi gratum fore, quòd acceptet, & quod illi diſplicebit arctari ad tale præceptum deuenire, quibus indicijs oſtendat ſe iudicare eſſe tunc melius bonum acceptare, poſſit abſque voti præuaricatione Epiſcopatum acceptare nullo expectato rigoroſo præcepto, & hoc ego exiſtimo indicaſſe S. Thomam, dum dixit vbi ſupra, non licere Epiſcopatum recuſare *finaliter oblatum*, & dum dixit *in 4. ſententiarum* loco ſupracit. idoneos aliquando nolle acceptare Epiſcopatum niſi coactos, hæc enim eſt quædam benigna coactio in ordine ad perfectam obedientiam, qua Religioſus abdicato à ſe velle, & nolle, vult conformari in omnibus actibus ſuis voluntati ſui Prælati, vt docet Siluius *22. queſt.* 104. *artic.* 2. Vnde Religioſus cognita Summi Pontificis voluntate, qua efficaciter intendit illum epiſcopare, ſed non vult eum cogere rigoroſo præcepto, laudabilior erit ſi promptè conſentit rigoroſum præceptum præueniendo, nec ideo votum ſuum frangit de non acceptando niſi coactus, nam in voto iſto ſubintelligitur hæc exceptio; *dummodo ſub hac benigna coactione Epiſcopatus non iniungeretur*, tunc enim Religioſus dicere poſſet, vt dixit Mutinen. relatus *in gloſſ. cap. In ſcripturis*, verbo *plenè*, *nolens volo*, & *volens nolo*, ſeu vti poſſet illo verſu relato *in cap. Turbat, diſt.* 37. *odero ſi potero, ſi non, inuitus amabo*. Præterea Religioſus cum

ma-

magno præmio, & obedientiæ laude vincit ſeipſum, dum non expectat Superioris præceptum, à quo vincatur inuitus, nam vt dicitur Prouerb. 21. 28. *vir obediens loquetur victorias*, quòd exponens Greg. *lib. 34. moral. cap. 34.* ait, *dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus*, ſignanter dixit Greg. voci, non præcepto, fauens doctrinę, quam trado.

131 Confirmatur, nam cum Papa iniungit alicui Religioſo motu proprio ſine præcepto, ſed ſolo ſimplici verbo Epiſcopatum, indicat ſe iudicare melius eſſe illi acceptare Epiſcopatum, & declarat id ceſſurum in maius Dei obſequium, ac peculiare animarum bonum; ergo in isto caſu acceptare ſponte Epiſcopatum erit opus melioris boni, & conſequenter non obligabit votum non acceptandi niſi coactè, nam votum non obligat ſi ſit melioris boni impeditiuum, vnde dicitur *cap. Scripturæ de voto* in *gloſſ. non frangit votum, qui illud in melius commutat*: & hoc docere voluiſſe puto Greg. *in Paſtor. par. 1. cap. 5.* cum dixit *neque enim verè humilis eſt, qui Superni nutus arbitrium, vt debeat præeſſe intelligit, & tamē preeſſe contemnit.* Superni enim nutus arbitrium intelligere debet adeſſe ille, cui Papa motu proprio Epiſcopatum iniungit, quamuis ad acceptandum non cogat, & tunc debet exequi, quod Greg. ibidem ſibi exequendum conſulit, ſcilicet, *diuinis diſpoſitionibus ſubditus, atque à vitio obſtinationis alienus, cum ſibi regiminis culmen imperatur, ſi iam donis præuentus eſt, quibus, & alys praſit, & ex corde debet fugere, & inuitus obedire*, quod eſt idem ac ſi dixiſſet, agnito in Papæ iniunctione diuino præcepto, illud culmen, quod ex corde fugere debet, & non niſi inuitus acceptare, vt ſuperni nutus arbitrio non repugnet, & diuinis diſpoſitionibus ſubſit, nullo alio expectato Papæ præcepto, per ſolum eius ſimplex verbum de ſuperno arbitrio, & diuina diſpoſitione monitus, iniunctum regiminis culmen aſcendat, *declinari enim pertinaciter non debet, cum ad ſuſcipiendum hoc diuina voluntas agnoſcitur*: vt idem Greg. dicit ibidem *cap. 7.* Inde ſequitur in voto prædicto non acceptandi, &c. Semper ſubintelligendam eſſe hanc conditionem, *dummodo non ſit melioris boni impeditiuum*, & conſequenter etiam iſtam, *dummodo Pontifex non declaret id opus eſſe melioris boni, etiamſi ad expreſſum præceptum non deueniat*, & quamuis Papa diſertis verbis non declararet illam Epiſcopatus acceptationem eſſe opus de meliori bono, hoc ex ſola eius iniunctione prudenter inferri poſſemus, maxime ſi audita vna vel alia excuſatione,

Digitized by Google

adhuc in voluntate Epiſcopatum iniungendi perſeueret, in quo caſu attentè conſiderandum eſt, quòd, cum præceptum expreſſum in hac materia rarò à Pontificibus ponatur, vt dicebam, ſequeretur illud votum eſſe Pontifici onus graue in promouendo quotidiè idoneos ad Epiſcopatum, cum vel illos deberet prӕterire, vel præceptis fere ſemper cogere ad acceptandum, quod eſſe maximum inconueniens ſupra oſtendebam, & in hoc caſu exiſtimo Palud. *in 4. diſt. 38. diſp.* 1. improbaſſe votum de non acceptando Epiſcopatum niſi coactè.

132 Supradictis conſentit Suarez *tomo 4. de Relig. tract.* 10. *lib. 6. cap. 8. num.* 6. excluſo voto, quod emittitur in ſua Societate, nam, inquit, adeſt in ea quædam declaratio, quę cenſetur ab Apoſtolica Sede approbata, per quam ſtatuitur nunquam licere Ieſuitæ ſolemniter profeſſo acceptare Epiſcopatum, etiam, vt ſupra iniunctum, niſi ad id ſub culpa mortali rigoroſo præcepto cogatur à Summo Pontifice, quę doctrina non eſt extendenda ad caſum, in quo obligaret preceptum charitatis, nam tunc intercederet pręceptum Dei, qui ſuo reatu culpę hoc pręciperet, vt dixit idem Suarez *vbi ſupra*.

In cęteris autem Religionibus, in quibus idem votum, vel ex pręcepto regulę, vel ex peculiari ſpiritu eſſet emiſſum, iſta declaratio locum non habet, vnde ſupradicta ſpontanea acceptatio Epiſcopatus à Sum. Pontifice voti conſcio non eſſet voto illorum Religioſorum contraria; quamuis eſſet emiſſum ſub his verbis: *non acceptabo niſi aſtringar præcepto*, cum ſpontanea acceptatio ſupra explicata pręceptum tacitum, ſeù interpretatiuum includat, de quo dixi *num.* 124. quod tamen intelligendũ eſt dũmodo nomine pręcepti non ſignificaretur pręceptum obligans ſub mortali, in quo caſu etiam ſine huiuſmodi pręcepto acceptari poſſet Epiſcopatus in ſenſu explicato: Ex his, apparet quomodo relucere poſſint in indiuiduo varię virtutum perfectiones, quę diuerſis circumſtantijs penſatis, oriantur ex contrarijs actibus, nam Ieſuita, verbi gratia, laudabiliter agit non pręueniendo ſua obedientia pręceptum, & alius Religioſus laudabiliter agit pręueniendo pręceptum, hic, quia illa pręuentio pręcepti indicat eius promptam obedientiam, ille, quia operatur quod eius votum exigit, ſed Fagundez eiuſdem Societatis author *in 2. præcep. Decal. lib. 2. cap.* 31. *num.* 14. Videtur illam exceptionem à Suarez adductam non admittere, nam, inquit, Religioſus Societatis non faceret contra votum, nec eſ-

ſet

ſet periurus, ſi abſque Papę precepto acceptaret Epiſcopatum in caſu, in quo illud votum, vel iuramentum eſſet maioris boni impeditiuum; vt ſi non adeſſet ęquè idoneus, qui poſſet hęreſibus hanc inficientibus Dięceſim reſiſtere: ex his ego colligo dicendum eſſe in huius authoris ſententia, quod ſi Papa offerret Ieſuitę Epiſcopatum, non cogendo, ſed ſolum declarando tacitè, vel expreſſè modo ſupradicto ſe iudicare id opus eſſe melioris boni, poſſet inoffenſo voto emiſſo de non conſentiendo niſi cogatur, precepto non expectato, ſpontè Epiſcopatum acceptare, & ita de Ieſuita, & de alijs Religioſis eiuſdem voti eſſet eodem modo philoſophandum.

133 Sed contra hanc ſpontaneam acceptationem Epiſcopatus vrget authoritas S. Gregorij, quam in 3. argumento ſibi oppoſuit S. Th. 22. *q.* 104. *ar.* 2. nam Greg. dicit *in lib. moral.* quod obedientia tanto magis eſt meritoria, & laudabilis, quanto minus habet de ſuo; ergo obedientia Regularis, qui coactus acceptat Epiſcopatum, eſt magis meritoria, & laudabilis, quam illa Religioſi ſponte acceptantis Epiſcopatum; Nam hæc obedientia ſpontanea habet magis de ſuo, quàm coacta, vt patet.

Reſp. Ex doctrina Diui Thomæ *in reſponſ. ad illud tertium Argumentum* S. Gregorium loqui de eo, quod exterius apparet, qui enim implet Superioris voluntatem ſponte, & liberà coactione præcepti, videtur tendere in rem volitam à Superiore propter ſe, & non ratione præcepti, itaut impleat voluntatem Prælati propter voluntatem propriam, non propter præceptum, & ſic eius obedientia habet aliquid de ſuo; ſed qui implet Superioris voluntatem coactus ex vi præcepti, tunc manifeſtum eſt ipſum tendere in rem volitam à Superiore ſola ratione præcepti, itaut non impleret voluntatem Superioris, niſi adeſſet præceptum, & ſic eius obedientia nihil habet de ſuo; verum ſecundum Dei Iudicium, qui corda rimatur, poteſt contingere, quòd obedientia ſpontanea, & quæ videtur habere aliquod de ſuo, non ſit minus laudabilis, quàm obedientia coacta, nam obedientiæ laus deſumitur ex promptitudine voluntatis ad implendum voluntatem Superioris præcipientis; ſi ergo quis non minus deuotè, & promptè tendat ad impletionem præcepti taciti, ſeu interpretatiui, quod non cogit, quàm ille, qui tendit ad impletionem præcepti rigoroſi, & formalis, quod cogit, & neceſſitat, eius obedientia non erit minus laudabilis, & conſequenter Religioſus, qui ſponte Papę verbo ſimplici iniungenti Epi-

ti Epiſcopatum aſſentitur; tamquam tacitè pręcipienti, & ſi in aſſentiendo habeat aliquid de ſuo, cum non videatur aſſentiri tantum ratione pręcepti, non erit minus laudabilis Religioſo, qui in aſſentiendo eidem Papę cogenti, nihil habet de ſuo, & videtur id facere tantum ratione pręcepti.

Ad argumenta in principio poſita reſpondetur,

134 Ad primum deſumptum ex authoritate S. Thomæ dico S. Doct. ibi euidenter loqui de religioſo, qui fugit quidem Epiſcopatum; ſed non quæſitum, ſi à Superiore imponatur, acceptat, vnde adducit S. Auguſt. 19. *de Ciu. Dei*, vbi dixit, *Superior locus, ſine quo populus regi non poteſt, & ſi ita teneatur, vt decet, tamen indecenter appetitur*, & inquit, meliorem eſſe intentionem non appetentis Epiſcopatum, quod idem eſt ac Epiſcopatum *fugere ſecundum proprium deſiderium*, ſed non in caſu, in quo adeſſet neceſſitas ex parte imponentis, tunc enim innuit non eſſe meliorem intentionem Epiſcopatum fugiendi, quod de benigna illa neceſſitate intelligendum eſt, quam inducit Prælatus dum ſimplici verbo ſub expreſſione melioris boni Epiſcopatum non quæſitum, nec deſideratum imponit, vt ſupra explicatum eſt, & dicebat S. Doct. *in corp. artic.* dum decernit laudabile eſſe conſentire electioni Canonicæ, ſicut Iſaias conſenſit officio ſibi impoſito, Iſaiam autem non pręceptis coactum, ſed ſponte conſenſiſſe certum eſt.

Ad ſecundum dico negandum eſſe Religioſum factum Epiſcopum variare ſuum propoſitum, profitendo enim Religionem, proposuit quidem perpetuo intra Monaſterium permanere, cum hac tamen limitatione, quæ ſemper in illo propoſito manet incluſa, & innuitur in ſententia S. Auguſtini, quam ſupradicto §. 1. dedi, ſcilicet, *niſi Eccleſia illius opera indigeret, propter quam deberet de Monaſterio egredi*, qua indigentia ſibi manifeſtata ſimplici Superioris verbo, ſi aliud nō obſtet, vt dictum eſt, laudabiliter liber ab omni præcepti coactione Superioris voluntatem impleret acceptando iniunctum Epiſcopatum, cum in hac forma obediendo, Religioſus eſſentialiter permaneat, prout primo, & per ſe in Religioſa profeſſione promiſerat. Item promptè voluntatem Superioris implendo, ſingulare obedientiæ meritum lucratur, quod, nedum non opponitur propoſito religioſo verum etiam maxime ad eius perfectionem pertinet, vt patet.

135 Ad confirmationem reſpondeo S. Bonauenturam voluiſſe in illis

Digitized by Google

illis verbis tantum includere Religioſos, qui Epiſcopatum oblatũ acceptãt ad Religionis humilẽ vitã, & regulę ſeueritatem declinãdam, quod etiã S.Th. dicit *quodl. 5. ar. 22.* in his verbis, *qui electioni canonicæ de ſe factę conſentit, conſiderare præcipue debet quod intendit. Si enim intendit aliqua temporalia, puta honorem, diuitias, excutere ſe à iugo Religionis, aut aliquid huiuſmodi, manifeſtum eſt quod eſt praua intentio. Vnde melius faceret ſi non aſſentiret*, qui vero ſine præceptorum coactione Epiſcopatum oblatum, quem nec quæſierunt, nec appetierunt, ſponte acceptant, id non faciunt ex illo fine, per quem à Religionis affectu deuiatur, ſed ad promptè obediendum Superiori ſuo, præueniendo eius præceptum, quod ad obedientiæ perfectionem pertinet, quamuis enim Superior, ſi non præcipiat expreſsè, non cogat ſubditum, nec ei immineat tunc ineuitabilis neceſſitas obediendi, itaut peccet mortaliter recuſando Epiſcopatum ſimplici Superioris verbo iniunctum; attamen aliqua moralis coactio, & ineuitabilis neceſſitas etiam dici poteſt interuenire, cum Superior ita imponit Epiſcopatum, vt iudicet illum acceptare eſſe opus melioris boni, & ſubditus attendat virtuti obedientiæ congruum eſſe ſponte ſuo Superiori conſentire, quamuis enim id ad votum regularis obedientiæ non pertineat, vt dictum eſt, tamen dum regularem vouit obedientiam, ſibi hanc intentionem propoſuit, vt ſemper vellet eſſe in obediendo perfectus, & conſequenter noluit velle ſemper obedire præceptorum vi coactus, quod ſi aliud non obſtet, ad obedientiæ imperfectionem pertinet, vt ſupra probatum eſt, quando ergo promiſit obedientiam, voluit conſequenter etiam dicto parère, & quaſi finaliter induci ad implendam voluntatem ſui Prælati ſtatim ac illi cognita fieret, quod eſt præcepto tacito, ſeu interpretatiuo obtemperare, vnde ſequitur voluiſſe Summi Pontificis dicto parère, ſi ex ſuprema ſua authoritate ei Epiſcopatum iniungeret.

136 Ad *ſecundum* concedo in ſtatu Epiſcopali occurrere Religioſo multa ſalutis pericula, vnde dictum eſt ſupra, melius eſſe Religioſo perſeuerare in ſuo humili ſtatu, quàm ad Epiſcopalem conſcendere; verum hoc ſolum inducit, quòd Religioſus non debet appetere, nec procurare Epiſcopatum, ſed illum fugere in ſenſu tradito *in gloſſ. cap. fin. 1. quæſt. 6.* verbo *refugit*, hoc eſt, ſe non ingerere, non quærere, ſed quæri, non vero quòd non debeat ſibi iniunctum ſponte acceptare, ſed expectare debere quòd præceptis, & diris ad id cogatur, maximè cum ea-

dem

dem pericula immineant acceptanti etiam coactè, & vi præceptorum neceſſitato. vnde Greg *lib. 1. Ep. Ep. 31. dixit quòd electus in Epiſcopum, nec ad appetendum locum procax inſiſtere, nec ad repellendum contumax debet inueniri*: cui conſonat S. Tho. 22. *quæſt.* 185. *art.* 2. vbi dicit, ad inordinationem voluntatis pertinere, quòd quis motu proprio feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur; & ideo reprobat appetitum, & procurationem Epiſcopatus, ſed ſubdit, etiam ad inordinationem voluntatis pertinere, quòd aliquis contra Superioris iniunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuſet, hoc eſt contra voluntatem Superioris, ſi non præcipientis, attamen enixè id optantis modo ſupra expreſſo; ex his conſtat metum illorum periculorum in ſtatu Epiſcopali occurrentium retardare non poſſe, nec debere prædictam Religioſi obedientiam ad ſponte aſſentiendum Superiori iniungenti Epiſcopatum, nam pericula ſupradicta timere non debent vocati tamquam Aaron, dixit enim Deus Moyſi, dum recuſabat officium, ad quod ipſum elegerat, *ego ero tecum*, & Ieremiæ idem officium detrectanti; *ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum*, & Valerianus dixit Ambroſio dum Epiſcopatum recuſaret, vt habetur *diſtinct. 63. cap. Valerianus, quia Deus, qui te elegit, ſemper te adiuuabit*, ſcilicet, ad ita exercendum Epiſcopale opus, vt non ſalutis iacturam in Epiſcopatu facias, ſed potius eandem ſalutem fælicius, & beatius merearis, ſi terrent verba Chryſoſtomi, in argumento adducta, ſolentur illa Greg. *lib. 4. Epiſtola* 8. vbi ſic ait. *Sicut igitur laborantes, & circa animarum ſalutem ſolicitos hoc nomen Epiſcopi ante Deum æternam ducit ad Gloriam: ita deſides, & torpentes vrget ad pœnam*, & illa Auguſtini relata *diſt. 40. cap. ante omnia* quibus faſſus eſt *nihil eſſe in hac vita difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, &c. Officio, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet*; in quo caſu dixit idẽ Gregorius *in Paſtor. par. 2. cap. 5.* Epiſcopum, qui miſerijs ſubditorum condeſcendit, facile occurrentia ſibi in ſuo munere pericula poſſe ſuperare; ſic enim ait: *Sed hæc nequaquam Paſtori timenda ſunt, quia Deo ſubtiliter cuncta penſante, tanto facilius à ſua*, ſcilicet, tentatione, *eripitur, quanto miſericordius ex aliena tentatione fatigatur*. Sancta Catharina Senenſis refert in Epiſtola, quam cuidam Nicolao Epiſcopo miſit, Dominum de viro in paſtorali cura perſiſtente hæc reuelaſſe: *Onde io dico, che non ſarà alcuno, il quale con riuerenza ſi po-*

Digitized by Google

ſi poco la ſerua (Scilicet Eccleſiam cui præſidet) *che ne reſti irre-*
137 *munerato, & nõ ſarà all'eterna morte ſoggetto.* Perpẽdo in ſupradicta authoritate in argumento ex S. Thoma adducta, illud ſincathegorema; *finaliter*, Sanctũ Thomam adiunxiſſe verbo *recuſare*, quod ſe tenet ex parte eius, cui iniungitur Epiſcopatus, quod non adiunxit iniunctioni, quę ſe tenet ex parte Superioris Epiſcopatum iniungentis, exiſtimo enim, vt ſupra attingebam, voluiſſe S. Doct. ex hoc indicare, quòd nemini, & ſpecialiter Religioſo liceat finaliter recuſare Epiſcopatum, ſi iniungatur a Superiore, manifeſtando ſibi omnino gratum fore, quòd ipſe non recuſet, quamuis ad rigoroſum præceptum non deueniat, quod eſſet ex parte Superioris finaliter Epiſcopatum iniungere; Nam quamuis formaliter tunc Religioſus non faciat contra obedientiam, ad quandam tamen voluntatis inordinationem hóc pertinere Sanctum Tho. docuiſſe mihi certum eſt, cum ordinata voluntas Religioſi illa ſit, quæ agnita voluntate Superioris, illam implere non detrectat, ſed promptè illi quocumque præcepto aliquid iniungenti obedit, præueniendo eius præceptum expreſſum, vt alibi S. Doct. dixit. Ad exemplum adductum in argumento patet reſponſio ex ſupradictis *num.* 30. vbi aliud ſimile oppoſitum fuit; ad authoritatem Hieronymi patet etiam ex dictis.

138 Ad illud quod ſubiungitur, plures Religioſos vouere nonniſi coactos acceptaturos Epiſcopatum, ergo acceptare Epiſcopatum coactè eſt opus de meliori bono, iam etiam ſupra reſponſum eſt, hoc, ſcilicet, eſſe verum reſpectu Religioſorum quarundam Religionum, quas Papa approbando, voluit quod illi Religioſi ſibi non obedirent, niſi ſub illa forma neceſſitati ad obediendum, attamen quando tacito præcepto Epiſcopatum iniungit, indicando acceptationem Epiſcopatus eſſe opus de meliori bono, vt ſupra explicatum eſt, ei obediendum eſſet, nec in ſententia probabili obſtaret quidem votum, quin poſſit ille, qui vouit nonniſi coactus acceptare, eius rigoroſum præceptum præuenire, vt ex dictis patet. Ieſuitis tamen exceptis ob rationes adductas à Suarez: quos tamen Fagundez non
139 excipit, vt latius ſupra num. 132. dictum eſt. Tandem non obſtat quod dicebatur, ſanctos Regulares omnes nonniſi compulſos Epiſcopatum acceptaſſe, nam Gregorius, & Auguſtinus, pluresque alij ſancti Monachi Epiſcopi coacti non fuere rigoroſo Superioris pręcepto, vt conſtat in hiſtorijs geſtorum ipſorum,

Grego-

Gregorius enim *lib.* 1. *Epiſtolarum Epiſtola* 31. dixit ſe ſubdidiſſe voluntati Philippi Comitis *Excubitorum*, acceptando Pontificatum, ne repellendo contumax inueniretur, & Auguſtinus *Epiſt.* 148. ad Valerium Epiſcopum dixit, ſe conſenſiſſe in Epiſcopatum, ne ſeruus Domino contradiceret, verùm nec ille Philippus, nec Valerius, nec Populus Hipponenſis poterant cogere ſupradictos Sanctos ad acceptandum Epiſcopatum, neque vllam incurriſſent recuſando contumaciam, niſi extrinſecam, vt patet; cognita igitur ardenti Cleri, & Populi voluntate, qua ſupradicti ſancti Regulares ad Epiſcopatum vocabantur, ipſi aſſenſum ſpontaneè, & liberi à coactione præceptorum prębuerunt, exiſtimantes illam voluntatem eſſe voluntatem Dei, ſicùt exiſtimare debet quilibet Religioſus, cui nihil tale procuranti Papa Epiſcopatum iniungit; ſi vero fuere aliqui Sancti, qui noluerunt pręuenire rigoroſum pręceptum, ſed vel nolente Pontifice ad tale pręceptum deuenire, Epiſcopatum recuſarunt, vt D. Bernardus, & D. Thomas; vel nonniſi tali pręcepto coacti acceptarunt, vt D. Albertus Magnus, S. Andreas Corſinus, Beatus Laurentius Iuſtinianus, S. Antoninus, & alij innumeri, hoc non obſtat, nam exempla Sanctorum, quędam ſunt imitanda, quędam vero miranda; S. Bernardus memorata S. Malachię valida Epiſcopatus oblati recuſatione, ac de huiuſmodi actu iudicium proferens, dum eiuſdem vitę geſta refert, ſic inquit, *Ego vero iſtud in Sancto redarguendum, nec vſurpandum conſulo ei, qui Sanctus non fuerit*, quapropter dicendum eſt, cum legimus Sanctos alios coactos, alios verò ſpontaneè Epiſcopalem Cathedram aſcendiſſe, nos in iſtis laudare debere promptam obedientiam, in illis verò eximiam humilitatem, in vtriſque autem exaltare oportere inſcrutabilem modum agendi omnipotentis Dei, quo ſanctorum ſuorum heroicas virtutes multipliciter manifeſtat, vt inde à nobis glorificetur, & mirabilis in ſanctis ſuis agnoſcatur.

140 Ad complementum huius §. conciliandi ſunt quidam Canones, qui videntur inter ſe pugnare, dum eorum aliqui ſtatuunt nonniſi eos, qui inuiti, & reluctantes ad Epiſcopatum trahuntur, eſſe Epiſcopos ordinandos, alij vero prohibent inuitos, & reluctantes ordinare.

Diſt. 74. *cap. Geſta*, dicit Gregorius, *iuſtum eſt vt nemo creſcere compellatur inuitus*, & ibidem *cap. Vbi iſta*: *Simplicius Papa* repręhendit *Ioannem Epiſcopum Rauennaten*, qui Apoſtolica

authori-

authoritate quendam Gregoriu m inuitum in Epiſcopum conſecrauerat his verbis, *denunciamus autem quod ſi poſtac quicquam tale præſumpſeris, & aliquem, ſeu Epiſcopum, &c. inuitum facere fortè credideris, ordinationes tibi Rauennatis Eccleſia, vel Aemilienſis noueris auferendas:* in Concilio Aurelianenſi V. *Can.* 12. ſic dicitur, *iuxta quod antiqui Canones decreuerunt, nullus inuitus detur Epiſcopus, ſed nec per oppreſſionem potentium perſonarum ad conſenſum faciendum Ciues, aut Clerici, quod nefas eſt, inclinentur,* Contrarium dicitur 1. *quaſt.* 6. *cap. Sicut is*. Vbi narratur Gregorium ita ſcripſiſſe *Siragio Epiſcopo Auguſtudonenſi, ſicut is, qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, Sacris eſt Altaribus admouendus: ſic qui vltro ambit, vel importunè ſe ingerit: eſt proculdubio repellendus*; & 8. *quaſt.* 1. *cap. In ſcripturis* dicitur, *ſicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus*.

Et 23, *quaſt*. 4. *cap. Diſplicet*, dicitur, *multi vt Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur, quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni*.

Iſti Canones inter ſe non pugnant, ſed rectè intellecti idem prorſus decernunt, Coactio enim poteſt conſiderari dupliciter, vel prout in Superiore infert voluntatem neceſſitandi expreſſo præcepto ſubditum ad ſibi conſentiendum, vel prout importat in ſubdito voluntatem non obediendi Superiori præcipienti niſi, vel ex neceſſitate illata ex tali præcepto cogatur, vel niſi cognouerit Superiorem id, quod iniungit, tanquam opus melioris boni proponere, quamuis à præceptis abſtineat.

141 Coactio ſupradicta ex parte Superioris, ſi fiat bono zelo, eſt laudabilis, & hæc commendatur vbi ſupra in *cap. Sicut is*; *cap. In ſcripturis, & cap. Diſplicet*. Si verò fiat malo zelo, reijcitur in *cap. Vndeiſta*, & ita ſentit gloſ. in *cap. Diſplicet*; ſed cum ex ſupradictis conſtet nullum alium Superiorem cogere poſſet de iure ad Epiſcopatum, niſi Papam, omiſſo quocunque examine zeli ipſius, eius coactio, nedum orta ex rigoroſo præcepto, ſed ex illato etiam metu ab intrinſeco, vel ab extrinſeco, vt ſi vellet renitentem excommunicare, vel incarcerare, laudari deberet, & ſubditus coactus nullo modo excuſaretur a metu illato, ſi vellet de validitate ſui conſenſus reclamare; cum ex ſupradictis conſtet hunc metum non cauſare inuoluntarium; ſed cogere ſubditum ad voluntatem ſuam, vti rationabiliter debet, ſuo Superiori iuſta præcipienti conformare.

Coactio verò ex parte ſubditi, quæ importat rigoroſi præcepti neceſſitatem, ſine qua obedire non intendit, eſt quidem commendabilis, ſi hæc intentio procedat ex voto, ſeu humilitate; tamen poteſt etiam eſſe repræhenſibilis, ſi procederet ex pigritia, vel ex pertinacia, vt ſupra dixi, ſed coactio, quæ ex prompta ſubditi obediendi voluntate oritur, dum ex perfectæ obedientiæ propoſito vult ferè cogi velle ad faciendum omnia, quæ ſuum Superiorem velle cognouerit, etiamſi nulla ab eo præcepti expreſſi neceſſitate cogatur, commendatur in ſacris Canonibus, & de hac coactione ſunt intelligendi, dum eam in promouendis ad Epiſcopatum exigunt, quam opponunt ſpontaneæ voluntati eorum, qui ex ambitione, vel auaritia volunt Epiſcopi fieri, vt dicit *gloſ. in cap. Sicut is*, vbi etiam reluctantes, & fugientes Epiſcopatum declarauit eſſe eos, qui quæruntur, & non quærunt; qui timent ne fortè non ſint ſufficientes, vel intelliguntur fugere, qui digni ſunt, ſi ſe non ingerant, ſed qui præueniunt rigoroſi præcepti neceſſitatem, etiamſi quodammodo coacti, & inuiti dicantur acceptare Epiſcopatum, cum non fuerit ab ipſis deſideratus, nec procuratus; attamen ſpontaneè illum acceptant, quia præcepto expreſſo ad id non compelluntur; & hæc coactio poſterior dicitur adeſſe, cum quis, nullo exiſtente præcepto, miti corde, vt dicitur *diſt. 40. cap. Ante omnia*, & libenti animo, vt dicitur *cap. In ſcripturis*, Epiſcopatum acceptat. Totum hoc confirmauit Origenes *Hom. 1. in Cant.* hac pulcherrima ſententia: *Beatæ ſunt illæ animæ, quæ dorſum ſuum curuauerunt, vt ſuſcipiant ſeſſorem verbum Dei ſuper ſe, & fræna eius patiuntur, vt quocumque ipſe voluerit, flectat, & agat habenis præceptorum ſuorum, quia iam non propria voluntate inceduat, ſed ad omnia ducuntur, & reducuntur voluntate ſeſſoris.*

Sic ergo Canones concordantur; loquuntur enim de coactione poſteriori modo accepta, quæ non excludit liberum, & ſpontaneum aſſenſum, inquantum tamen manifeſtatam Superioris voluntatem, ex qua ingeritur ſubdito voluntas illi obtemperandi.

Coactio, quæ habetur *cap. Diſplicet*, tota eſt extrinſeca, & in ordine ad corpus, non vero in ordine ad animam, nec puto vnquam in via fuiſſe, vt electi ad Epiſcopatum illis macerationibus d. fatigati, & afflicti, ad acceptandum arctarentur, ſed vt amica quadam violentia ad hoc inducerentur, ſicut dicitur in Euangelio *Lucæ 24.* Diſcipulos coegiſſe Dominum cum ipſis manere in Emaus, dum ſingebat longius ire; ſępe enim amicus pri-

uato

uato quodam carcere detinet alium amicum, vt ſecum in Domo permaneat, amicus verò iſte bene nouit, quòd ſi recuſauerit, ab amico tandem dimittetur, ſed ne de ſuo diſceſſu amicus triſtetur, mutat voluntatem diſcedendi, & cum ipſo benigna hac coactione fere neceſſitatus permanere conſentit; eodem modo, ſuſpicor, antiquitus electos ad Epiſcopatum incluſos fuiſſe, & paſſos, quod nolebant, vt populorum feruenti voluntate habendi eos Epiſcopos benignè coacti, amicè conſentirent; quamuis aliàs talem voluntatem conſentiendi nunquam habuiſſent; & ideo Gloſ. ibidem ait, *quod ſi aliquis ſemper eſſet nolens, non deberet cogi*, coactione, ſcilicet, rigoroſa. Claudat hunc § Sancti Gregorij ſententia, quæ habetur in eius Paſtoral. & in cap. *In ſcripturis, & talis eſt, is qui recuſauit*, loquitur de Ieremia, *plenè non reſiſtat, & is, qui mitti voluit*, loquitur de Iſaia, *ante ſe per altaris calculum purgatum vidit, ne aut non purgatus adire quiſquam ſacra miſteria audeat, aut quem ſuperna gratia elegit, ſub humilitatis ſpecie ſuperbe contradicat, quia ergo valde difficile eſt purgatum ſe quemlibet poſſe agnoſcere, prælationis officium tutius declinatur, non tamen pertinaciter, cum ad ſuſcipiendum hoc ſuperna voluntas agnoſcitur.*

§. 7.

An liceat Regulari ponere impedimenta, quæ prohibeant ipſius promotionem ad Epiſcopatum.

SVMMARIVM.

Regularis quæ impedimenta opponere poſſit ſuæ ad Epiſcopatum promotioni, 145

Impedimenta licita opponere poteſt ante expreſſum præceptum. 149

Diſparitas inter præcepta Eccleſiæ, & acceptationem Epiſcopatus. 152

Impedimentum transitus ad ſtrictiorem. 153

Poſito expreſſo præcepto, ſunt remouenda impedimenta. 154

An Prælatus Regularis poſſit irritare votum de non acceptando Epiſcopatum. 155

An hoc impedimentum ſit Pontifici manifeſtandum. 156

Votum, ſeu iuramentum de non acceptando Epiſcopatum quomodo impediat. 157
Archidiaconi iuramentum relatum diſt. 85. 158
Impedimenta à Sanctis excogitata ne Epiſcopi fierent. 159
Forma obſeruanda in promotione Regularis ad Epiſcopatum. 160

VIdetur licere Regulari ponere impedimenta, quæ prohibeant ipſius promotionem ad Epiſcopatum. *Primò*. Licet iurare, & vouere non acceptare Epiſcopatum; ergo licet ſibi procurare impedimenta, vt non poſſit ad Epiſcopatum promoueri; Antecedens eſt indubitatum; Conſequentia patet. Nam iuramentum, & votum impediunt iurantem, & vouentem, vt quantum eſt in ſe, nunquam ad Epiſcopatum promoueatur; vnde *cap. Archidiaconus diſt.* 85. repellitur ab Epiſcopatu, qui iurauerat ſe illum nunquam accepturum.

143 *Secundò* licet fugere, ſe occultare, & alia media procurare ad declinandum Epiſcopatum, ita feciſſe legimus Gregorium, & Auguſtinum, aliosque ſanctiſſimos Regulares, qui ab eodem Gregorio de his adhibitis medijs commendantur 1. *quaſt. 6. cap. Sicut is*. Præterea plures Sancti, ne ad Epiſcopatum acceptandum arctarentur, impetrarunt à Deo, alij diuturnas febres, vt de ſancto Goare narrat Vincentius *lib.* 22. *cap.* 16. alij autem mortem, vt refert Suarez *de Relig. tomo* 4. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 11. & Barboſa *de officio Epiſcopi par.* 1. *tit.* 2. gloſſ. 1. *num.* 15. Præterea Sancti quidam, vt reſiſtere poſſent Epiſcopatum iniungentibus, in ſeipſos ſæuientes, inhabilitatem irregularitatis ad Epiſcopatum ſibi procurauere. Marcus, ſiue Euangeliſta, ſiue alius Anachoreta, vt vult Baron. *anno* 45. ad hunc effectum amputauit ſibi pollicem, vt refert ex Hieronymo S. Th. 22. *quaſt.* 185. *art.* 2. *in tertio arg.* & habetur in gloſſ. *diſt.* 55. *cap. Si quis abſcidit*. Antonius, ſeu Ammonius ſecuit ſibi aurem, vt legitur in Sozomeno *lib.* 6. *cap.* 30. eundem refert idem Author iuraſſe abſciſſurum ſibi linguam, ſi alius non occurriſſet modus refugiendi Epiſcopatum.

Tandem narrat ex Paulino, ac alijs Hiſtoricis Baronius *anno* 374. S. Ambroſium audita electione de ſe facta in Epiſcopum Mediolanenſem, Tribunal ſibi parari iuſſiſſe, erat enim Prouinciæ Præfectus, trucesque carnifices aſſiſtere, tormenta congerere, vinctosque catenis miſeros reos torqueri; tum vocaſſe ad ſe mulieres impudicas, vt inde Populus Mediolan. qui validè

cum

eum premebat, vt prædictæ electioni conſentiret, eius crudelitatem, & impudicitiam ſuſpicans, Epiſcopatu indignum haberet, & à coactione deſiſteret.

144 In contrarium tamen eſt, quia dicto *cap. Archidiaconus*, iurare nunquam ad Epiſcopatum accedere, improbatur, vt enim gloſſa dicit ibi verbo *Sacroſanctis*, illius Archidiaconi iuramentum fuit à Pontifice incautum, & temerarium iudicatum, & ideo ſtatuit, vt de tali iuramento inquireretur, antequam electio in perſona illius facta confirmaretur; nam propter hoc iuramentum veluti delictum ab Epiſcopatu repellendum eſſe credebat: S. Th. 3. *diſt. 39. quæſt. 1. ar. 3. q. 1. ad tertium* idem iuramentum vocat incautum, quia huiuſmodi iuramento præiudicatur diuinæ prouidentię, & excluditur ſuperiorum obedientia, quibus in hoc obediendum eſt; non ergo licet Regulari ponere impedimenta prohibentia Epiſcopatus adeptionem.

145 Dico *primò*, non licet Regulari ſe impedire ne ad Epiſcopatum promoueatur medijs, quæ de iure naturali, & diuino, ſeu lege humana aſſumi prohibentur.

Ita Silueſter verbo *Electio* 1. *quæſt*. 19. vbi damnat per quamcunque viam illicitam refugere Epiſcopatum.

146 Probatur, nemo naturali, vel diuino iure ſeruato, poteſt dare pecuniam, vel munera Electoribus, vt omittant eum ad Epiſcopatum eligere, præſentare, &c. *ex cap. Nemo, de ſimonia in fine*. Item nemo poteſt in ſe ipſum ſæuire; ergo non poteſt Regularis dare munera, ſe mutilare, nec procurare ſibi febrim, aut mortem, ne Epiſcopus fiat; Præterea eodem iure prohibetur, ne quis in oculis hominum ſe exhibeat, etiam ſimulata actione, furem, inhoneſtum, vinolentum, turpis lucri cupidum, vt indignus Epiſcopatu habeatur. Nam iſtis actionibus ſcandalizaret proximum, ſunt enim de ſe malæ, & præbentes alijs occaſionem ruinę: At de iure diuino ſunt pręcauenda ſcandala actiua, iuxta illud Matth. 18. *væ mundo à ſcandalis, væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Pręterea non poſſet Regularis exercere aliquam artem humana lege ſibi prohibitam, vt eius exercitio ab Epiſcopatu repelleretur; vnde non poſſet ad hunc effectum ſine graui culpa exercere Cirurgiam, vel Medicinam à iure Canonico Regularibus interdictam, etiam ſi eſſet in artibus iſtis peritus, & diligens, idque faceret cauſa pietatis; nam ſi ex exercitio huiuſmodi mors ſequeretur, fieret irregularis *ex cap. Tua nos, extra de homicidio, & ex cap. Sententiam ſanguinis*: ne

Chri-

Cleri; *vel Monachi*, & conſequenter euaderet inhabilis ad Epiſcopatum, non enim facienda ſunt mala, vt veniant bona, prout dicitur *Rom.* 3. ergo etiamſi quis bonum iudicaret ſibi non eſſe Epiſcopum; non poſſet per hæc media ſe ad Epiſcopatum inhabilitare.

147 Dico *ſecundo*. Licet Regulari præuenire Superioris præceptũ impedimento permiſſo ne Epiſcopatum acceptare cogatur, ſecus vero poſtquam Superior deuenit ad præceptum expreſſum.

Concluſio eſt S. Th. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 2. *ad tertium*, vbi docet acceptare Epiſcopatum non eſſe de neceſſitate ſalutis, ſed fieri neceſſarium ex Superioris præcepto: illis autem, quæ ſic ſunt neceſſaria ad ſalutem, poteſt aliquis impedimentum licitè apponere antequam fiat præceptum, non autem hoc liceret, inquit S. Doctor, in his, quæ per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſcilicet, quando neceſſitas inducitur per præceptum vt Superiori aſſentiamur: Impedimentum ante præceptum exemplificat in eo, qui ne fiat Epiſcopus, tranſit ad ſecundas nuptias, & ſic fit bigamus, & cõſequenter irregularis. Loquẽdo de Regulari dico licitè poſſe Regularem vouere, ſeu iurare non aſſentiri Superiori iniungenti Epiſcopatum, niſi vi præcepti obligantis ad mortale coactus; Item ſeruatis ſeruandis licet eidem tranſire ad Religionem, in qua huiuſmodi votum emittitur, vt ex hoc voto impediatur ne Epiſcopus fiat, poſſet etiam fugere, ſe occultare, à conſpectu Superioris longè recedere, cum debitis tamen licentijs, vt auerteret à ſe Pontificis præceptum expreſſum, nam
148 totum hoc culpa caret, vt patet. Conſultò dixi *vt auerteret à ſe præceptum expreſſum*, de quo etiam in concluſione loquor; Nam puto Regularem etiam poſt ſimplex verbum Prælati, quo indicauit velle illum Epiſcopum facere, in quo conſiſtit præceptum tacitum, poſſe permiſſa adhibere impedimenta Epiſcopatus, non enim adhuc eius acceptatio eſt de neceſſitate ſalutis; vt dictum eſt; Ergo poteſt Epiſcopatum declinare dictis adhibitis impedimentis.

Quæres, an poſſit Regularis antequam per expreſſum præceptum ſibi imponatur Epiſcopatus, ſimulare ſe illitteratum, vel ſtultum, ſeu negligere poſſe propriam famam, vel infamiam, vt inde Epiſcopatu indignus iudicaretur.

Suppono iſtas actiones permiſſas eſſe Regulari viro priuato, ſcilicet, cuius opera Eccleſia non vtitur, nec ei eſt admodum fructuoſus; Item cuius infamia ſuo Ordini vel proximorum

Congrega-

Congregationi non præiudicat, vnde Regularis priuatus poterit illas actiones exercere, dummodo ſint permiſſæ, vel culpam non inducant; cum ergo talis Religioſus ſit Dominus ſuæ famę, inquit S. Th. *quodlib.* 10. *artic.* 13. ſuæ humilitati prouidens, poteſt famam, vel infamiam contemnere, quem ſequitur Soto *de Iuſt. lib.* 4. *quæſt.* 6. *artic.* 3. *conc.* 2. & *lib.* 5. *quæſt.* 10. *artic.* 2. alijque non pauci.

Nunc reſpondeo ad quæſitum, poſſe priuatum Religioſum ante præceptum expreſſum ponere ſupradicta impedimenta, ne Epiſcopus fiat, nam ſunt illæ actiones in Religioſi arbitrio, & nec ſibi grauiter nocent, nec alijs ſunt detrimento, vnde æquiparantur fugę, occultationi, & ſimilibus; Narrat Sozomenus *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 15. S. Ephrem furorem ſimulaſſe, ne Epiſcopus fieret; ergo licet Regulari ſimulare ad hunc effectum ſtultitiam; item Leſſio authore *de iuſt: lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 6. *num.* 31. licet Prelato ſe infamare, ſi velit officium deponere, ergo multò magis licebit viro priuato ſe infamare modo pręmiſſo, ſcilicet, ſine culpa, vt officium Epiſcopale ei non committeretur; ſed nego cum communi Regularem quocunque modo conſideratum poſſe ſe infamare in ijs, quę ſapiunt hęreſim, vel aliquod grauiſſimum ſcelus, ſeu quę ſine ſcandalo actio eſſe non poſſent; ſed in in alijs caſibus poteſt ſuam famam negligere, veluti neglexere S. Gregorius Nazianzenus, & B. Albertus Magnus ambo Regulares, qui prętermiſerunt veras defenſiones, quas opponere poterant falſis criminibus, de quibus incuſabantur, vt ad ſua Monaſteria renunciatis Infulis redire permitterentur.

150 Modo probatur Concluſio quantum ad *primam partem*, Religioſus non tenetur acceptare Epiſcopatum ante Superioris prępceptum expreſſum; ergo poteſt ponere impedimenta ſibi permiſſa, quę ab Epiſcopatu illum arcere poſſunt, patet conſequentia; nam poſſumus impedire ne nobis ſuccedant, quę acceptare non tenemur, vt patet. Probatur antecedens, nam Epiſcopatus non eſt de ijs, quę ſunt ad ſalutem Religioſi neceſſaria, ergo non tenetur Religioſus Epiſcopatum acceptare ante expreſſum pręceptum, quę ſemper limitanda ſunt, niſi adſit caſus neceſſitatis manifeſtę, vel detrimenti charitatis fraternæ, in quo caſu, ſi deeſſet ſuperioris viſibilis pręceptum, inſtaret diuinum, quod nec pręueniri poteſt, nec vnquam licet ſine graui culpa declinare.

151 Probatur quo ad *ſecundam partem*, Poſito expreſſo præcepto;

Epi-

Epiſcopatus acceptatio fit de neceſſitate ſalutis; ergo non poteſt impediri à Religioſo, ſi illi ſub tali præcepto imponatur.

Nam, vt ſupra dicebam, tenetur Religioſus obedire ſub culpa læthali Prælato ſub expreſſo præcepto Epiſcopatum iniungenti, ſi verò liceret impedimenta opponere, liceret deludere Superioris præceptum, quod eſt falſum.

152 Sed contra poteſt quis, in ſententia aliquorum doctorum, ponere impedimenta expreſſis Eccleſiæ præceptis, v. g. eſt hodie ieiunandum, Petrus pro ſua oblectatione tota die ludit pila, quo exercitio ponit ſciens, & volens, impedimentum ieiunio, quod Eccleſia præcipit; nam inde redditur inhabilis ad ieiunandũ, & tamen non peccat ſi non ieiunat, ita plures Doctores apud Dianam *par. 1. tract. 9. reſol. 40. & par. 10. tract. 14. reſol. 11.* Ergo poſito præcepto expreſſo de acceptando Epiſcopatum, poteſt Religioſus interponere actionem, quam ſcit ſibi futuram obſtaculum ne Epiſcopus fiat.

Reſp. Admiſſa, & non conceſſa ſententia de priori caſu, eſſe manifeſtam diſparitatem inter illum, & poſteriorem, nam dici poteſt cum præcitatis Doctoribus, eſſe quidem præceptum expreſſum de ieiunando illa die, ſed nullum extare præceptum, quo prohibeatur, vel fiat illicitus illa die ludus pilæ: vnde illud exercitium, etiam ſtante præcepto ieiunandi, dici poterit licitum, quod verò ex illo exercitio ſequatur impotentia ad ieiunandum, cenſetur eſſe per accidens, quod tamen veriſimiliter tollit debitum ieiunandi, quia qui non poteſt ieiunare, non tenetur, nec tenetur procurare ſibi vires, quibus poſſit ieiunare, verùm poſito præcepto facto viro Religioſo de acceptando Epiſcopatum, eodem præcepto prohibentur omnia, quæ eius aſſecutionem impediunt, & quę prius erant licita impedimenta, tunc euadunt illicita; Vnde ſi quis tunc eligeret fugere, ſe abſcondere, & huiuſmodi, peccaret mortaliter, per viam enim illicitam fugeret Epiſcopatum, vt dicit Silueſter verbo *Electio 1. quæſt. 19.*

153 Vnicum inuenio impedimentum, quod ſtante pręcepto, poſſet Regularis opponere, ſcilicet, dum Regularis Ordinis, qui eſt dignitatum capax, habito pręcepto tranſiret ſeruatis ſeruandis ad Religionem Dignitatum incapacem, & in eã profeſſionem & votum conſuetum emitteret, in illo caſu peccaret quidem contra pręceptum, ſed poneret impedimentũ ſuę promotioni, cũ ſemper liceat ſimplici Religioſo tranſire ad ſtrictiorem, quę ſimul

mul eſſe poteſt dignitatum incapax, & in ea, vota conſueta pnuncupare; ſi aliqua ſpecialis conſtitutio illi non obſtet, vt patet *ex cap. licet de Regularibus & tranſ. ad Relig.* Pontifex vero, qui imponit Epiſcopatum, deberet tunc ſpecialiter ſuper hoc impedimento diſpenſare, & ſi diſpenſare nollet, ſuum præceptum ſine effectu remaneret, Nam *Vrbani conſtitutio* exigit ſpecialem diſpenſationem in dicto voto, vt promotionem ad Epiſcopatum non impediat.

Dico *Tertiò*. Regularis, poſito expreſſo præcepto, quo ei iniungitur Epiſcopatus; tenetur remouere impedimenta, quæ poteſt, vt habilis fiat ad Epiſcopatum.

Hic notandum eſt cum S. Thoma 22. *quæſt.* 185. *art.* 2. *ad ſecundum*; Impedimenta, quę obſtant ſubdito, ne obediat Prælato iniungenti Epiſcopatum, quęque ego modo conſiderabo tantum in ordine ad Regularem, poſſe remoueri dupliciter, primo ab ipſo ſubdito, huiuſmodi ſunt, propoſitum peccandi, & vt dicebam ſupra, illa exiſtimatio, quam haberet ſe in Epiſcopatu peccaturum, ſunt autem quędam impedimenta, quę poſſunt quidem remoueri à ſubdito, ſed cum aliquo graui incommodo, vt litterarum ignorantia, verbi gratia, quę non niſi cum aſſiduo ſtudio remouetur, hęc poſteriora impedimenta non tenetur ſubditus remouere vt obediat, non enim ſolent præcepta etiam Papę cum adeo graui incommodo obligare; igitur tenetur Regularis remouere impedimenta priora; Tenetur enim deponere propoſitum peccandi, & exiſtimationem illam, non vero tenetur addiſcere litteras, quibus ad Epiſcopatum idoneus fiat: Alia ſunt impedimenta, quæ poſſunt à ſolo Prælato remoueri, vt Cenſura, vel Irregularitas, & hæc tenetur ſubditus in tali caſu Prælato manifeſtare, vt, ſi velit, illa remoueat, & ſic ei licitum fiat illi obedire.

Si vero impedimenta nec à ſubdito, nec à Prælato remoueri poſſint, non inducunt in ſubdito, etiam ſuppoſito rigoroſo præcepto, debitum obediendi.

Ex his remanet probata Concluſio, nam ſubditus tenetur facere quod in ſe eſt vt obediat Prælato ſub expreſſo præcepto iniungenti Epiſcopatum, Ergo tenetur impedimenta, quę illi obſtant, quantum in ſe eſt, remouere, vt poſſit obedire; ergo tenetur remouere per ſe ipſum, quę poteſt, & quę per ſe ipſum non poteſt, ſuo Prælato manifeſtare, vt, ſi velit, illa remoueat.

Digitized by Google

155 An Prælatus Regularis poſſit irritare, commutare, vel diſpenſare votum ſui ſubditi de non acceptando Epiſcopatum emiſſum peculiari ſpiritu, vel iuxta illius Religionis conſuetudinem, ſicque remouere impedimentum vt ſubditus poſſit eligi in Epiſcopum, dicam *cap. ſequenti, §. 2. punc. 4.*

156 Preterea. An Regularis, cuius votum de non acceptando Epiſcopatum ignoratur à Pontifice, ſi illi Pontifex Epiſcopatum iniungat ſub expreſſo præcepto, teneatur eidem Pontifici ſuum votum manifeſtare antequam acceptet, vt, ſi ei placuerit, hoc tollat impedimentum, ſicut dixi de impedimentis Irregularitatis, & Cenſuræ, in eodem *cap. §. & puncto num.* 300. diſputabitur.

157 Ad Argumenta in contrarium reſpondetur: ad *primum* dico quod ille, qui iurat vſque dum licite recuſari poteſt, non accipere Epiſcopatum, ad ſummum tenetur Votum, vel Iuramentum ſuum Pontifici manifeſtare, ad quem pertinet hoc impedimentum remouere, nam Iuramentum vel Votum illud habet annexam conditionem hanc, *niſi aliter Pontifici viſum fuerit*, dixi, *vſque dum licitè recuſari poteſt*, nam ſi vrgeret neceſſitas acceptandi, vel quia inſtat præceptum Superioris, vel charitatis, aut peculiaris Eccleſiæ vtilitas, Votum, vel Iuramentum præfatum non obligaret, vt ſupra dictum eſt.

158 De Iuramento illius Archidiaconi plura dicunt Theologi, & Canoniſtæ, in primis adduci ſolet Soto, qui *de iuſt. lib. 8. qu. 1. art. 7. in arg.* 2. tenet Archidiaconum illum fuiſſe coactum à Pontifice eius iuramentum infringente ad acceptandum Epiſcopatum, attamen id eſſe contra textum contendit Suarez *de Relig. Tomo 2. tract. de iuramento lib. 2. cap. 13. num.* 15. Alij dicunt Pontificem iuſſiſſe de eius iuramento de non acceptando Epiſcopatum inquiri, tamquam de graui crimine, vt eum repelleret in pœnam ab Epiſcopatu, ita Authores citati à Suarez ibidem *num.* 14. quod aliqui magis explicantes dicunt, Pontificem exiſtimaſſe Archidiaconum illum iuraſſe ſimpliciter, etiã in caſu, quo vrgeret Eccleſiæ neceſſitas, vel ad acceptandum à Pontifice cogeretur, ex quo iuramentum erat illicitum, incautum; ita enim præiudicaretur diuinæ prouidentiæ, & debitæ ſuperiorum obedientiæ, vt dicit S. Thomas *in quarto* loco ſupra adducto, & ideo videtur à Pontifice fuiſſe improbatum: Ita innuit Caiet. 2.2. *quæſt. 89. art. 8. §. in reſponſione ad ſecundum*, qui vult

hoc

hoc ſuppoſito, eundem Archidiaconum peccaſſe mortaliter; *gl.* vero, tantum venialiter, præfatum iuramentum emittendo: Alij tandem, quibus conſentit etiam Caietanus vbi ſupra; dicunt Archidiaconum nullo modo peccaſſe; quia iurando, hac moderatione vſus eſt, ſcilicet, dummodo non vrgeret charitatis neceſſitas, vel Eccleſiæ vtilitas, aut Superioris præceptum; Pontificem vero voluiſſe certiorari de dicto iuramento; quia nolebat relaxare, ſed iudicabat Archidiaconum relinquendum fuiſſe in ſuo propoſito, quod iuramento firmauerat, vtpote facto de opere regulariter loquendo meliori perſonę iuranti, vt pluribus adductis Canonibus, & Doctorum authoritatibus ſenſit Barboſa *in dicto cap. Archidiaconus*, ex quo deducitur Pontifices raro relaxare Vota; & Iuramenta de non acceptando Epiſcopatum, & nolle eos, qui talia Iuramenta, vel Vota emiſerunt, ad Epiſcopatum aſſumere, vt dixit idem Barboſa *de Off. Ep. par. 3 alleg. 53.*

159 Ad *ſecundum* Iam dictum eſt non licere illicita via ſe occultare ad Epiſcopatum declinandum, Sancti vero fugerunt, & latebras quæſierunt via licita, cum, ſcilicet, adhuc nec præcepti vi, nec charitatis fraternæ vrgente neceſſitate cogerentur Epiſcopatus onus ſubire; Illi, qui à Deo impetrarunt febres, & mortem, diuinitus etiam ſunt admoniti, hæc impedimenta precibus obtempta futura illis ſalutaria, dum ſic impediti, Epiſcopatum declinabant, & ipſum Deum approbaſſe melius illis fore ægrotare, vel mori, quam epiſcopari, dum febres, & mortem ipſis indulſit.

Sancti vero, qui ſibi manus iniecerunt, vel pollicem præcidendo, vel linguam, aut aurem ſecando, vt ad Epiſcopatum inhabilitarentur; ſi illæ hiſtoriæ antiquæ vera narrant, id ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu fecerunt, vt ait S. Thomas 2.2. *quæſt. 185. art. 2. ad tertium*, quæ autem in Sanctis contigerunt ex Spiritus ſancti motione ſpeciali, imitari non poſſunt; ſed reuerenter admirandi ſunt mirabiles effectus, quos citra curſum conſuetum Deus operatur in Sanctis ſuis; vnde in illis dicitur mirabilis *pſal. 67.* Samſon ſe ipſum peremit; Appolonia in ignem ſe proiecit; ſed iſta regulariter fieri non debent, nec trahi in exemplum, quod confirmatur ex Socrate *Hiſt. lib. 3. cap. 18.* vbi narrat Ammonium reprehenſum ab Euagrio, quod ſibi auriculam amputaſſet ne Epiſcopus fieret, cum poſtea vidiſſet eundem

Digitized by Google

155 An Pręlatus Regularis poſſit irritare, commutare, vel diſpenſare votum ſui ſubditi de non acceptando Epiſcopatum emiſſum peculiari ſpiritu, vel iuxta illius Religionis conſuetudinem, ſicque remouere impedimentum vt ſubditus poſſit eligi in Epiſcopum, dicam *cap. ſequenti*, §. 2. *punc.* 4.

156 Preterea. An Regularis, cuius votum de non acceptando Epiſcopatum ignoratur à Pontifice, ſi illi Pontifex Epiſcopatum iniungat ſub expreſſo pręcepto, teneatur eidem Pontifici ſuum votum manifeſtare antequam acceptet, vt, ſi ei placuerit, hoc tollat impedimentum, ſicut dixi de impedimentis Irregularitatis, & Cenſurę, in eodem *cap.* §. *& puncto num.* 300. diſputabitur.

157 Ad Argumenta in contrarium reſpondetur: ad *primum* dico quod ille, qui iurat vſque dum licite recuſari poteſt, non accipere Epiſcopatum, ad ſummum tenetur Votum, vel Iuramentum ſuum Pontifici manifeſtare, ad quem pertinet hoc impedimentum remouere, nam Iuramentum vel Votum illud habet annexam conditionem hanc, *niſi aliter Pontifici viſum fuerit*, dixi, *vſque dum licitè recuſari poteſt*, nam ſi vrgeret neceſſitas acceptandi, vel quia inſtat pręceptum Superioris, vel charitatis, aut peculiaris Eccleſię vtilitas, Votum, vel Iuramentum prefatum non obligaret, vt ſupra dictum eſt.

158 De Iuramento illius Archidiaconi plura dicunt Theologi, & Canoniſtę, in primis adduci ſolet Soto, qui *de iuſt. lib.* 8. *qu.* 1. *art.* 7. *in arg.* 2. tenet Archidiaconum illum fuiſſe coactum à Pontifice eius iuramentum infringente ad acceptandum Epiſcopatum, attamen id eſſe contra textum contendit Suarez *de Relig. Tomo* 2. *tract. de iuramento lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. Alij dicunt Pontificem inquiſiſſe de eius iuramento de non acceptando Epiſcopatum inquiri, tamquam de graui crimine, vt eum repelleret in pęnam ab Epiſcopatu, ita Authores citati à Suarez ibidem *num.* 14. quod aliqui magis explicantes dicunt, Pontificem exiſtimaſſe Archidiaconum illum iuraſſe ſimpliciter, etiã in caſu, quo vrgeret Eccleſiæ neceſſitas, vel ad acceptandum à Pontifice cogeretur, ex quo iuramentum euaſiſſet incautum; ita enim præiudicaretur diuinæ prouidentiæ, & debitæ ſuperiorum obedientiæ, vt dicit S. Thomas *in quarto* loco ſupra adducto, & ideo videtur à Pontifice fuiſſe improbatum. Ita innuit Caiet. 22 *quæſt.* 89. *art.* 8 §. *in reſponſione ad ſecundum*, qui vult, hoc

Digitized by Google

hoc ſuppoſito, eundem Archidiaconum peccaſſe mortaliter, *gl.* vero, tantum venialiter, præfatum iuramentum emittendo: Alij tandem, quibus conſentit etiam Caietanus vbi ſupra; dicunt Archidiaconum nullo modo peccaſſe, quia Iurando, hac moderatione vſus eſt, ſcilicet, dummodo non vrgeret charitatis neceſſitas, vel Eccleſiæ vtilitas, aut Superioris præceptum; Pontificem vero voluiſſe certiorati de dicto iuramento; quia nolebat relaxare, ſed iudicabat Archidiaconum relinquendum fuiſſe in ſuo propoſito, quod iuramento firmauerat, vtpote facto de opere regulariter loquendo meliori perſonę iuranti, vt pluribus adductis Canonibus, & Doctorum authoritatibus ſenſit Barboſa *in dicto cap. Archidiaconus*, ex quo deducitur Pontifices raro relaxare Vota, & Iuramenta de non acceptando Epiſcopatum, & nolle eos, qui talia Iuramenta, vel Vota emiſerunt, ad Epiſcopatum aſſumere, vt dixit idem Barboſa *de Off. Ep. par. 3. alleg. 58.*

159 Ad *ſecundum* dictum eſt non licere illicita via ſe occultare ad Epiſcopatum declinandum, Sancti vero fugerunt, & latebras quæſierunt via licita, cum, ſcilicet, adhuc nec præcepti vi, nec charitatis fraternæ vrgente neceſſitate cogerentur Epiſcopatus onus ſubire; Illi, qui à Deo impetrarunt febres, & mortem, diuinitus etiam ſunt admoniti, hæc impedimenta precibus obtempta futura illis ſalutaria, dum ſic impediti, Epiſcopatum declinabant, & ipſum Deum approbaſſe melius illis fore ægrotare, vel mori, quam epiſcopari, dum febres, & mortem ipſis indulſit.

Sancti vero, qui ſibi manus iniecerunt, vel pollicem præcidendo, vel linguam, aut aurem ſecando, vt ad Epiſcopatum inhabilitarentur, ſi illæ hiſtoriæ antiquæ vera narrant, id ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu fecerunt, vt ait S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 2. *ad tertium*, quæ autem in Sanctis contigerunt ex Spiritus ſancti motione ſpeciali, imitari non poſſunt; ſed reuerenter admirandi ſunt mirabiles effectus, quos citra curſum conſuetum Deus operatur in Sanctis ſuis; vnde in illis dicitur mirabilis *pſal.* 67. Samſon ſe ipſum peremit, Appolonia in ignem ſe proiecit, ſed iſta regulariter fieri non debent, nec trahi in exemplum, quod confirmatur ex Socrate *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 18. vbi narrat Ammonium reprehenſum ab Euagrio, quod ſibi auriculam amputaſſet ne Epiſcopus fieret, cum poſtea vidiſſet eund m

Euagrium Epiſcopatum fugientem, dixiſſe, Euagri, *dabis pœnas, nam lingua moraliter tibi exciſa, gratia, qua polles, Epiſcopatum recuſando, minimè vteris*; ex his patet non licere, dum inſtat neceſſitas acceptandi Epiſcopatum, nec quidem moralia opponere impedimenta, multo minus licebit vti phiſicis inhabilitatibus citra Spiritus ſancti ſpeciali dictamine.

Quod in argumento dicitur de Sancto Ambroſio, conceſſo prius illo crudelitatis apparatu, qui non excedebat rectæ iuſtitię debitum, & iuſtam in illos reos animaduerſionis menſuram, ideoque Sancto viro Iudicem agenti non incongruo, id, quod poſtea ſubiungitur, ſcilicet, etiam impudicas mulieres ad ſe publicè ingredi feciſſe, à multis non admittitur: quamuis enim S. Ambroſium ſe ipſum in ſuis ſcriptis diffamaſſe humilitatis ergo dicat Soto *de iuſt. lib. 4. quæſt. 6. art. 3.* attamen id accidiſſe in caſu relato in argumento videtur creditu difficile, nam ibidem Soto refert S. Auguſtinum repręhendiſſe quaſdam muliercułas, quæ humilitatem venditantes, admittebant ad ſe viros vt inde diffamarentur, quod certè, inquit, non erat licitum, nec ergo licitum fuiſſet Ambroſio impudicas ad ſe mulieres introducere, vt inde diffamaretur, & Epiſcopatu indignus reputaretur, dixi enim ſupra non licere ſe infamare in ijs, quæ dare poſſunt proximo occaſionem ruinę, ſicut in tali caſu daretur, inde enim veniret probabiliter ſcandalum actiuum; Verùm cum rem hanc geſtam de Ambroſio relatam Baronius author præcipuus, & in Sacris Hiſtorijs perſpicaciſſimus non reiecerit, de veritate hiſtoriæ prædictæ diſputare nolo; ſed ea gratis admiſſa, dico Sanctum Ambroſium huiuſmodi impedimenta excogitaſſe, & impudicas mulieres publicè ad ſe ingredi permiſiſſe, ijs tamen cautelis adhibitis, vt nullum ex hac actione ſcandalum actiuum inſurgere potuiſſet, dum ab ipſo aſſumebatur vt eſſet ſibi vtilis ad hunc tantum finem, vt Epiſcopatus onus declinaret, cuius euidens extitit indicium, cum non obſtantibus hiſce crudelitatis, & impudicitiæ fictis argumentis, ſtudium Mediolanenſium adeo feruens fuerit in poſtulando Ambroſium Epiſcopum, vt Imperatoris etiam excitauerit voluntatem ad Ambroſio perſuadendum, quod oblatum Epiſcopatus officium omnino acceptaret, prout de facto acceptauit.

160 Regularis antequam ad Epiſcopatum aſſumatur, debet teſtes habere examinatos formiter de ſua ad Epiſcopatum idoneitate,

de

Digitized by Google

de qua informatione late tractat Barboſa *de Off. Epiſcopi tit. 1. cap. 5. §. quid ſeruandum ſi promouendus ſit Regularis*, vbi aduerte quemlibet Pręlatum poſſe ſuo Religioſo ad Epiſcopatum promouendo dare litteras teſtimoniales de eius moribus, ſufficienti doctrina, & aptitudine ad docendum, & regendum, ac de alijs, de quibus informari debet ille, coram quo proceſſus fabricatur de ipſius idoneitate ad onus Epiſcopale, non verò cuilibet Prælato licet poteſtatem eidem Religioſo indulgere ad conſentiendum electioni de ſe factę in Epiſcopum, vt ſupra dicebam *num.* 80. iſta vero atteſtatio idoneitatis Regularis ad Epiſcopatum aſſumendi adeò neceſſarium eſt, vt exigatur à Pręlato Regulari de moribus, & idoneitate prędicta optimè informato, quodque ab eodem Prælato, non pro affectione, ſed pro merito tribuatur, vt venerabilis Iordanus *Ordinis Prædicatorum ſecundus Magiſter Generalis*, & immediatus Beati Patris Dominici ſucceſſor in hanc atteſtationis ad præfatam formam procuratæ omiſſionem reduxerit minus dignas aſſumptiones, quæ de perſonis Regularibus aliquando fiunt ad munus Epiſcopale: Ita narratur in *Chronicis eiuſdem Ordinis par. 1. lib. 6. cap. 6.*

Votum, ſeu iuramentum de non acceptando Epiſcopatum quomodo impediat. 157
Archidiaconi iuramentum relatum diſt. 85. 158
Impedimenta à Sanctis excogitata ne Epiſcopi fierent. 159
Forma obſeruanda in promotione Regularis ad Epiſcopatum. 160

VIdetur licere Regulari ponere impedimenta, quæ prohibeant ipſius promotionem ad Epiſcopatum. *Primò*. Licet iurare, & vouere non acceptare Epiſcopatum; ergo licet ſibi procurare impedimenta, vt non poſſit ad Epiſcopatum promoueri; Antecedens eſt indubitatum; Conſeqnentia patet, Nam iuramentum, & votum impediunt iurantem, & vouentem, vt quantum eſt in ſe, nunquam ad Epiſcopatum promoueatur; vnde *cap. Archidiaconus diſt.* 85. repellitur ab Epiſcopatu, qui iurauerat ſe illum nunquam accepturum.

143 *Secundò* licet fugere, ſe occultare, & alia media procurare ad declinandum Epiſcopatum, ita feciſſe legimus Gregorium, & Auguſtinum, aliosque ſanctiſſimos Regulares, qui ab eodem Gregorio de his adhibitis medijs commendantur 1. *quaſt.* 6. *cap. Sicut is*. Præterea plures Sancti, ne ad Epiſcopatum acceptandum arctarentur, impetrarunt à Deo, alij diuturnas febres, vt de ſancto Goare narrat Vincentius *lib.* 22. *cap.* 16. alij autem mortem, vt refert Suarez *de Relig. tomo* 4. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 11. & Barboſa *de officio Epiſcopi par.* 1. *tit.* 2. gloſſ. 1. *num.* 15. Præterea Sancti quidam, vt reſiſtere poſſent Epiſcopatum iniungentibus, in ſeipſos ſæuientes, inhabilitatem irregularitatis ad Epiſcopatum ſibi procurauere. Marcus, ſiue Euangeliſta, ſiue alius Anachoreta, vt vult Baron. *anno* 45. ad hunc effectum amputauit ſibi pollicem, vt refert ex Hieronymo S. Th. 22. *quaſt.* 185. *art.* 2. *in tertio arg.* & habetur in gloſſ. *diſt.* 55. *cap. Si quis abſcidit*. Antonius, ſeu Ammonius ſecuit ſibi aurem, vt legitur in Sozomeno *lib.* 6. *cap.* 30. eundem refert idem Author iuraſſe abſciſſurum ſibi linguam, ſi alius non occurriſſet modus refugiendi Epiſcopatum.

Tandem narrat ex Paulino, ac alijs Hiſtoricis Baronius *anno* 374. S. Ambroſium audita electione de ſe facta in Epiſcopum Mediolanenſem. Tribunal ſibi parari iuſſiſſe, erat enim Prouinciæ Præfectus, trucesque carnifices aſſiſtere, tormenta congerere, vinctosque catenis miſeros reos torqueri; tum vocaſſe ad ſe mulieres impudicas, vt inde Populus Mediolan. qui validè

cum

eum premebat, vt prædictæ electioni consentiret, eius crudelitatem, & impudicitiam ſuſpicans, Epiſcopatu indignum haberet, & à coactione deſiſteret.

144 In contrarium tamen eſt, quia dicto *cap. Archidiaconus*, iurare nunquam ad Epiſcopatum accedere, improbatur, vt enim gloſſa dicit ibi verbo *Sacroſanctis*, illius Archidiaconi iuramentum fuit à Pontifice incautum, & temerarium iudicatum, & ideo ſtatuit, vt de tali iuramento inquireretur, antequam electio in perſona illius facta confirmaretur; nam propter hoc iuramentum veluti delictum ab Epiſcopatu repellendum eſſe credebat: S. Th. 3. *diſt. 39. quæſt. 1. ar. 3. q. 1. ad tertium* idem iuramentum vocat incautum, quia huiuſmodi iuramento præiudicatur diuinæ prouidentię, & excluditur ſuperiorum obedientia, quibus in hoc obediendum eſt; non ergo licet Regulari ponere impedimenta prohibentia Epiſcopatus adeptionem.

145 Dico *primò*, non licet Regulari ſe impedire ne ad Epiſcopatum promoueatur medijs, quæ de iure naturali, & diuino, ſeu lege humana aſſumi prohibentur.

Ita Silueſter verbo *Electio 1. quæſt. 19.* vbi damnat per quamcunque viam illicitam refugere Epiſcopatum.

146 Probatur, nemo naturali, vel diuino iure ſeruato, poteſt dare pecuniam, vel munera Electoribus, vt omittant eum ad Epiſcopatum eligere, præſentare, &c. *ex cap. Nemo, de ſimonia in fine*. Item nemo poteſt in ſe ipſum ſæuire, ergo non poteſt Regularis dare munera, ſe mutilare, nec procurare ſibi febrim, aut mortem, ne Epiſcopus fiat; Præterea eodem iure prohibetur, ne quis in oculis hominum ſe exhibeat, etiam ſimulata actione, furem, inhoneſtum, vinolentum, turpis lucri cupidum, vt indignus Epiſcopatu habeatur. Nam iſtis actionibus ſcandalizaret proximum, ſunt enim de ſe malæ, & prębentes alijs occaſionem ruinę: At de iure diuino ſunt pręcauenda ſcandala actiua, iuxta illud Matth. 18. *væ mundo à ſcandalis, væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Pręterea non poſſet Regularis exercere aliquam artem humana lege ſibi prohibitam, vt eius exercitio ab Epiſcopatu repelleretur; vnde non poſſet ad hunc effectum ſine graui culpa exercere Cirurgiam, vel Medicinam à iure Canonico Regularibus interdictam, etiam ſi eſſet in artibus iſtis peritus, & diligens, idque faceret cauſa pietatis; nam ſi ex exercitio huiuſmodi mors ſequeretur, fieret irregularis *ex cap. Tua nos, extra de homicidio, & ex cap. Sententiam ſanguinis*: ne

Cleri,

Digitized by Google

Cleri; vel Monachi, & conſequenter euaderet inhabilis ad Epiſcopatum, non enim facienda ſunt mala, vt veniant bona, prout dicitur *Rom.* 3. ergo etiamſi quis bonum iudicaret ſibi non eſſe Epiſcopum; non poſſet per hæc media ſe ad Epiſcopatum inhabilitare.

147 Dico *ſecundo*. Licet Regulari præuenire Superioris præceptũ impedimento permiſſo ne Epiſcopatum acceptare cogatur, ſecus vero poſtquam Superior deuenit ad præceptum expreſſum. Concluſio eſt S. Th. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 2. *ad tertium*, vbi docet acceptare Epiſcopatum non eſſe de neceſſitate ſalutis, ſed fieri neceſſarium ex Superioris præcepto: illis autem, quæ ſic ſunt neceſſaria ad ſalutem, poteſt aliquis impedimentum licitè apponere antequam fiat præceptum, non autem hoc liceret, inquit S. Doctor, in his, quæ per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſcilicet, quando neceſſitas inducitur per præceptum vt Superiori aſſentiamur: Impedimentum ante præceptum exemplificat in eo, qui ne fiat Epiſcopus, tranſit ad ſecundas nuptias, & ſic fit bigamus, & cõſequenter irregularis. Loquẽdo de Regulari dico licitè poſſe Regularem vouere, ſeu iurare non aſſentiri Superiori iniungenti Epiſcopatum, niſi vi præcepti obligantis ad mortale coactus; Item ſeruatis ſeruandis licet eidem tranſire ad Religionem, in qua huiuſmodi votum emittitur, vt ex hoc voto impediatur ne Epiſcopus fiat, poſſet etiam fugere, ſe occultare, à conſpectu Superioris longè recedere, cum debitis tamen licentijs, vt auerteret à ſe Pontificis præceptum expreſſum, nam
148 totum hoc culpa caret, vt patet. Conſultò dixi *vt auerteret à ſe præceptum expreſſum*, de quo etiam in concluſione loquor; Nam puto Regularem etiam poſt ſimplex verbum Prælati, quo indicauit velle illum Epiſcopum facere, in quo conſiſtit præceptum tacitum, poſſe permiſſa adhibere impedimenta Epiſcopatus, non enim adhuc eius acceptatio eſt de neceſſitate ſalutis; vt dictum eſt; Ergo poteſt Epiſcopatum declinare dictis adhibitis impedimentis.

Quæres, an poſſit Regularis antequam per expreſſum præceptum ſibi imponatur Epiſcopatus, ſimulare ſe illitteratum, vel ſtultum, ſeu negligere poſſe propriam famam, vel infamiam, vt inde Epiſcopatu indignus iudicaretur.

Suppono iſtas actiones permiſſas eſſe Regulari viro priuato, ſcilicet, cuius opera Eccleſia non vtitur, nec ei eſt admodum fructuoſus; Item cuius infamia ſuo Ordini vel proximorum

Congrega-

Congregationi non præiudicat, vnde Regularis priuatus poterit iſtas actiones exercere, dummodo ſint permiſſæ, vel culpam non inducant; cum ergo talis Religioſus ſit Dominus ſuæ famę, inquit S. Th. *quodlib.* 10. *artic.* 13. ſuæ humilitati prouidens, poteſt famam, vel infamiam contemnere, quem ſequitur Soto *de Iuſt. lib.* 4. *quæſt.* 6. *artic.* 3. *conc.* 2. & *lib.* 5. *quæſt.* 10. *artic.* 2. alijque non pauci.

Nunc reſpondeo ad quæſitum, poſſe priuatum Religioſum, ante præceptum expreſſum ponere ſupradicta impedimenta, ne Epiſcopus fiat, nam ſunt iſtæ actiones in Religioſi arbitrio, & nec ſibi grauiter nocent, nec alijs ſunt detrimento, vnde æquiparantur fugę, occultationi, & ſimilibus; Narrat Sozomenus *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 15. S. Ephrem furorem ſimulaſſe, ne Epiſcopus fieret; ergo licet Regulari ſimulare ad hunc effectum ſtultitiam; item Leſſio authore *de iuſt: lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 6. *num.* 31. licet Prelato ſe infamare, ſi velit officium deponere, ergo multò magis licebit viro priuato ſe infamare modo premiſſo, ſcilicet, ſine culpa, vt officium Epiſcopale ei non committeretur; ſed nego cum communi Regularem quocunque modo conſideratum poſſe ſe infamare in ijs, quę ſapiunt hęreſim, vel aliquod grauiſſimum ſcelus, ſeu quę ſine ſcandalo actiones eſſe non poſſent; ſed in in alijs actionibus poteſt ſuam famam negligere, veluti neglexere S. Gregorius Nazianzenus, & B. Albertus Magnus ambo Regulares, qui prętermiſerunt veras defenſiones, quas opponere poterant falſis criminibus, de quibus inculabantur, vt ad ſua Monaſteria renunciatis Infulis redire permitterentur.

150 Modo probatur Concluſio quantum ad *primam partem*, Religioſus non tenetur acceptare Epiſcopatum ante Superioris pręceptum expreſſum; ergo poteſt ponere impedimenta ſibi permiſſa, quę ab Epiſcopatu illum arcere poſſunt, patet conſequentia; nam poſſumus impedire ne nobis ſuccedant, quę acceptare non tenemur, vt patet, Probatur antecedens, nam Epiſcopatus non eſt de ijs, quę ſunt ad ſalutem Religioſi neceſſaria, ergo non tenetur Religioſus Epiſcopatum acceptare ante expreſſum pręceptum, quę ſemper limitanda ſunt, niſi adſit caſus neceſſitatis manifeſtę, vel detrimenti charitatis fraternæ, in quo caſu, ſi deeſſet ſuperioris viſibilis pręceptum, inſtaret diuinum, quod nec pręueniri poteſt, nec vnquam ſidem ſine graui culpa declinare.

151 Probatur quo ad *ſecundam partem*, Poſito expreſſo præcepto:

Epi-

Epiſcopatus acceptatio fit de neceſſitate ſalutis; ergo non poteſt impediri à Religioſo, ſi illi ſub tali præcepto imponatur.

Nam, vt ſupra dicebam, tenetur Religioſus obedire ſub culpa læthali Prælato ſub expreſſo præcepto Epiſcopatum iniungenti, ſi verò liceret impedimenta opponere, liceret deludere Superioris præceptum, quod eſt falſum.

152 Sed contra poteſt quis, in ſententia aliquorum doctorum, ponere impedimenta expreſſis Eccleſiæ præceptis, v. g. eſt hodie ieiunandum, Petrus pro ſua oblectatione tota die ludit pila, quo exercitio ponit ſciens, & volens, impedimentum ieiunio, quod Eccleſia præcipit; nam inde redditur inhabilis ad ieiunandũ, & tamen non peccat ſi non ieiunat, ita plures Doctores apud Dianam *par. 1. tract. 9. reſol. 40. & par. 10. tract. 14. reſol. 11.* Ergo poſito præcepto expreſſo de acceptando Epiſcopatum poteſt Religioſus interponere actionem, quam ſcit ſibi futuram obſtaculum ne Epiſcopus fiat.

Reſp. Admiſſa, & non conceſſa ſententia de priori caſu, eſſe manifeſtam diſparitatem inter illum, & poſteriorem, nam dici poteſt cum præcitatis Doctoribus, eſſe quidem præceptum expreſſum de ieiunando illa die, ſed nullum extare præceptum, quo prohibeatur, vel fiat illicitus illa die ludus pilæ: vnde illud exercitium, etiam ſtante præcepto ieiunandi, dici poterit licitum, quod verò ex illo exercitio ſequatur impotentia ad ieiunandum, cenſetur eſſe per accidens, quod tamen veriſimiliter tollit debitum ieiunandi, quia qui non poteſt ieiunare, non tenetur, nec tenetur procurare ſibi vires, quibus poſſit ieiunare, verùm poſito præcepto facto viro Religioſo de acceptando Epiſcopatum, eodem præcepto prohibentur omnia, quæ eius aſſecutionem impediunt, & quę prius erant licita impedimenta, tunc euadunt illicita; Vnde ſi quis tunc eligeret fugere, ſe abſcondere, & huiuſmodi, peccaret mortaliter, per viam enim illicitam fugeret Epiſcopatum, vt dicit Silueſter verbo *Electio 1. quæſt. 19.*

153 Vnicum inuenio impedimentum, quod ſtante pręcepto, poſſet Regularis opponere, ſcilicet, dum Regularis Ordinis, qui eſt dignitatum capax, habito pręcepto tranſiret ſeruatis ſeruandis ad Religionem Dignitatum incapacem, & in ea profeſſionem & votum conſuetum emitteret, in illo caſu peccaret quidem contra pręceptum, ſed poneret impedimentũ ſuę promotioni, cũ ſemper liceat ſimplici Religioſo tranſire ad ſtrictiorem, quę ſimul

mul

mul eſſe poteſt dignitatum incapax, & in ea, vota conſueta nuncupare; ſi aliqua ſpecialis conſtitutio illi non obſtet, vt patet *ex cap. licet de Regularibus & tranſ. ad Relig.* Pontifex vero, qui imponit Epiſcopatum, deberet tunc ſpecialiter ſuper hoc impedimento diſpenſare, & ſi diſpenſare nollet, ſuum præceptum ſine effectu remaneret, Nam *Vrbani conſtitutio* exigit ſpecialem diſpenſationem in dicto voto, vt promotionem ad Epiſcopatum non impediat.

Dico *Tertiò*. Regularis, poſito expreſſo præcepto, quo ei iniungitur Epiſcopatus; tenetur remouere impedimenta, quę poteſt, vt habilis fiat ad Epiſcopatum.

Hic notandum eſt cum S. Thoma 22. *quæſt.* 185. *art.* 2. *ad ſecundum*; Impedimenta, quę obſtant ſubdito, ne obediat Prælato iniungenti Epiſcopatum, quęque ego modo conſiderabo tantum in ordine ad Regularem, poſſe remoueri dupliciter, primo ab ipſo ſubdito, huiuſmodi ſunt, propoſitum peccandi, & vt dicebam ſupra, illa exiſtimatio, quam haberet ſe in Epiſcopatu peccaturum, ſunt autem quędam impedimenta, quę poſſunt quidem remoueri à ſubdito, ſed cum aliquo graui incommodo, vt litterarum ignorantia, verbi gratia, quę non niſi cum aſſiduo ſtudio remouetur, hęc poſteriora impedimenta non tenetur ſubditus remouere vt obediat, non enim ſolent præcepta etiam Papę cum adeo graui incommodo obligare; igitur tenetur Regularis remouere impedimenta priora; Tenetur enim deponere propoſitum peccandi, & exiſtimationem illam, non vero tenetur addiſcere litteras, quibus ad Epiſcopatum idoneus fiat: Alia ſunt impedimenta, quæ poſſunt à ſolo Prælato remoueri, vt Cenſura, vel Irregularitas, & hæc tenetur ſubditus in tali caſu Pręlato manifeſtare, vt, ſi velit, illa remoueat, & ſic ei licitum fiat illi obedire.

Si vero impedimenta nec à ſubdito, nec à Pręlato remoueri poſſint, non inducunt in ſubdito, etiam ſuppoſito rigoroſo pręcepto, debitum obediendi.

Ex his remanet probata Concluſio, nam ſubditus tenetur facere quod in ſe eſt vt obediat Pręlato ſub expreſſo præcepto iniungenti Epiſcopatum, Ergo tenetur impedimenta, quę illi obſtant, quantum in ſe eſt, remouere, vt poſſit obedire; ergo tenetur remouere per ſe ipſum, quę poteſt, & quę per ſe ipſum non poteſt, ſuo Pręlato manifeſtare, vt, ſi velit, illa remoueat.

Digitized by Google

155 An Pręlatus Regularis poſſit irritare, commutare, vel diſpenſare votum ſui ſubditi de non acceptando Epiſcopatum emiſſum peculiari ſpiritu, vel iuxta illius Religionis conſuetudinem, ſicque remouere impedimentum vt ſubditus poſſit eligi in Epiſcopum, dicam *cap. ſequenti, §. 2. punc. 4.*

156 Preterea. An Regularis, cuius votum de non acceptando Epiſcopatum ignoratur à Pontifice, ſi illi Pontifex Epiſcopatum iniungat ſub expreſſo precepto, teneatur eidem Pontifici ſuum votum manifeſtare antequam acceptet, vt, ſi ei placuerit, hoc tollat impedimentum, ſicut dixi de impedimentis Irregularitatis, & Cenſurę, in eodem *cap. §. & puncto num.* 300. diſputabitur.

157 Ad Argumenta in contrarium reſpondetur: ad *primum* dico quod ille, qui iurat vſque dum licite recuſari poteſt, non accipere Epiſcopatum, ad ſummum tenetur Votum, vel Iuramentum ſuum Pontifici manifeſtare, ad quem pertinet hoc impedimentum remouere, nam Iuramentum vel Votum illud habet annexam conditionem hanc, *niſi aliter Pontifici viſum fuerit*, dixi, *vſque dum licitè recuſari poteſt*, nam ſi vrgeret neceſſitas acceptandi, vel quia inſtat pręceptum Superioris, vel charitatis, aut peculiaris Eccleſię vtilitas, Votum, vel Iuramentum prefatum non obligaret, vt ſupra dictum eſt.

158 De Iuramento illius Archidiaconi plura dicunt Theologi, & Canoniſtę, in primis adduci ſolet Soto, qui *de iuſt. lib. 8. qu. 1. art. 7. in arg. 2.* tenet Archidiaconum illum fuiſſe coactum à Pontifice eius iuramentum infringente ad acceptandum Epiſcopatum, attamen illeſſe contra textum contendit Suarez *de Relig. Tomo 2. tract. de iuramento lib. 2. cap. 13. num. 15.* Alij dicunt Pontificem iuſſiſſe de eius iuramento de non acceptando Epiſcopatum inquiri, tamquam de graui crimine, vt eum repelleret in penam ab Epiſcopatu, ita Authores citati à Suarez ibidem *num.* 14. quod aliqui magis explicantes dicunt, Pontificem exiſtimaſſe Archidiaconum illum iuraſſe ſimpliciter, etiã in caſu, quo vrgeret Eccleſiæ neceſſitas, vel ad acceptandum à Pontifice cogeretur, ex quo iuramentum cenſuiſſet incautum; ita enim præiudicaretur diuinæ prouidentiæ, & debitæ ſuperiorum obedientiæ, vt dicit S. Thomas *in quarto* loco ſupra adducto, & ideo videtur à Pontifice fuiſſe improbatum: Ita innuit Caiet. 22. *quæſt. 89. art. 8. §. in reſponſione ad ſecundum*, qui vult,

hoc

hoc ſuppoſito, eundem Archidiaconum peccaſſe mortaliter, *gl.* vero, tantum venialiter, præfatum iuramentum emittendo: Alij tandem, quibus conſentit etiam Caietanus vbi ſupra, dicunt Archidiaconum nullo modo peccaſſe, quia iurando, hac moderatione vſus eſt, ſcilicet, dummodo non vrgeret charitatis neceſſitas, vel Eccleſiæ vtilitas, aut Superioris præceptum; Pontificem vero voluiſſe certiorari de dicto iuramento; quia nolebat relaxare, ſed iudicabat Archidiaconum relinquendum fuiſſe in ſuo propoſito, quod iuramento firmauerat, vtpote facto de opere regulariter loquendo meliori perſonę iuranti, vt pluribus adductis Canonibus, & Doctorum authoritatibus ſenſit Barboſa *in dicto cap. Archidiaconus*, ex quo deducitur Pontifices rarò relaxare Vota, & Iuramenta de non acceptando Epiſcopatum, & nolle eos, qui talia Iuramenta, vel Vota emiſerunt, ad Epiſcopatum aſſumere, vt dixit idem Barboſa *de Off. Ep. par. 3. alleg. 53.*

159. Ad *ſecundum*. Iam dictum eſt non licere illicita via ſe occultare ad Epiſcopatum declinandum, Sancti vero fugerunt, & latebras quæſierunt via licita, cum, ſcilicet, adhuc nec præcepti vi, nec charitatis fraternæ vrgente neceſſitate cogerentur Epiſcopatus onus ſubire; Illi, qui à Deo impetrarunt febres, & mortem, diuinitus etiam ſunt admoniti, hæc impedimenta precibus obtempta futura illis ſalutaria, dum ſic impediti, Epiſcopatum declinabant, & ipſum Deum approbaſſe melius illis fore ægrotare, vel mori, quam epiſcopari, dum febres, & mortem ipſis indulſit.

Sancti vero, qui ſibi manus iniecerunt, vel pollicem præcidendo, vel linguam, aut aurem ſecando, vt ad Epiſcopatum inhabilitarentur; ſi illæ hiſtoriæ antiquæ vera narrant, id ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu fecerunt, vt ait S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *art. 2. ad tertium*, quæ autem in Sanctis contigerunt ex Spiritus ſancti motione ſpeciali, imitari non poſſunt; ſed reuerenter admirandi ſunt mirabiles effectus, quos citra curſum conſuetum Deus operatur in Sanctis ſuis; vnde in illis dicitur mirabilis *pſal. 67.* Samſon ſe ipſum peremit, Appolonia in ignem ſe proiecit, ſed iſta regulariter fieri non debent, nec trahi in exemplum, quod confirmatur ex Socrate *Hiſt. lib. 3. cap.* 18. vbi narrat Ammonium reprehenſum ab Euagrio, quod ſibi auriculam amputaſſet ne Epiſcopus fieret, cum poſtea vidiſſet eundem

 Eua-

Euagrium Epiſcopatum fugientem, dixiſſe, Euagri, *dabis pœnas, nam lingua moraliter tibi exciſa, gratia, qua polles, Epiſcopatum recuſando, minimè vteris*; ex his patet non licere, dum inſtat neceſſitas acceptandi Epiſcopatum, nec quidem moralia opponere impedimenta, multo minus licebit vti phiſicis inhabilitatibus citra Spiritus ſancti ſpeciali dictamine.

Quod in argumento dicitur de Sancto Ambroſio, conceſſo prius illo crudelitatis apparatu, qui non excedebat rectæ iuſtitiæ debitum, & iuſtam in illos reos animaduerſionis menſuram, ideoque Sancto viro Iudicem agenti non incongruo, id, quod poſtea ſubiungitur, ſcilicet, etiam impudicas mulieres ad ſe publicè ingredi feciſſe, à multis non admittitur: quamuis enim S. Ambroſium ſe ipſum in ſuis ſcriptis diffamaſſe humilitatis ergo dicat Soto *de iuſt. lib. 4. quæſt. 6. art. 3.* attamen id accidiſſe in caſu relato in argumento videtur creditu difficile, nam ibidem Soto refert S. Auguſtinum reprehendiſſe quaſdam mulierculas, quæ humilitatem venditantes, admittebant ad ſe viros vt inde diffamarentur, quod certè, inquit, non erat licitum, nec ergo licitum fuiſſet Ambroſio impudicas ad ſe mulieres introducere, vt inde diffamaretur, & Epiſcopatu indignus reputaretur, dixi enim ſupra non licere ſe infamare in ijs, quæ dare poſſunt proximo occaſionem ruinæ, ſicut in tali caſu daretur, inde enim veniret probabiliter ſcandalum actiuum; Verùm cum rem hanc geſtam de Ambroſio relatam Baronius author præcipuus, & in Sacris Hiſtorijs perſpicaciſſimus non reiecerit, de veritate hiſtoriæ prædictæ diſputare nolo; ſed ea gratis admiſſa, dico Sanctum Ambroſium huiuſmodi impedimenta excogitaſſe, & impudicas mulieres publicè ad ſe ingredi permiſiſſe, ijs tamen cautelis adhibitis, vt nullum ex hac actione ſcandalum actiuum inſurgere potuiſſet, dum ab ipſo aſſumebatur vt eſſet ſibi vtilis ad hunc tantum finem, vt Epiſcopatus onus declinaret, cuius euidens extitit indicium, cum non obſtantibus hiſce crudelitatis, & impudicitiæ fictis argumentis, ſtudium Mediolanenſium adeo feruens fuerit in poſtulando Ambroſium Epiſcopum, vt Imperatoris etiam excitauerit voluntatem ad Ambroſio perſuadendum, quod oblatum Epiſcopatus officium omnino acceptaret, prout de facto acceptauit.

160 Regularis antequam ad Epiſcopatum aſſumatur, debet teſtes habere examinatos formiter de ſua ad Epiſcopatum idoneitate,

de

de qua informatione late tractat Barboſa *de Off. Epiſcopi tit. 1. cap. 5. §. quid ſeruandum ſi promouendus ſit Regularis*, vbi aduerte quemlibet Pręlatum poſſe ſuo Religioſo ad Epiſcopatum promouendo dare litteras teſtimoniales de eius moribus, ſufficienti doctrina, & aptitudine ad docendum, & regendum, ac de alijs, de quibus informari debet ille, coram quo proceſſus fabricatur de ipſius idoneitate ad onus Epiſcopale, non verò cuilibet Prælato licet poteſtatem eidem Religioſo indulgere ad conſentiendum electioni de ſe factę in Epiſcopum, vt ſupra dicebam *num.* 80. iſta vero atteſtatio idoneitatis Regularis ad Epiſcopatum aſſumendi adeò neceſſarium eſt, vt exigatur à Pręlato Regulari de moribus, & idoneitate prędicta optimè informato, quodque ab eodem Prælato, non pro affectione, ſed pro merito tribuatur, vt venerabilis Iordanus *Ordinis Prædicatorum ſecundus Magiſter Generalis*, & immediatus Beati Patris Dominici ſucceſſor in hanc atteſtationis ad præfatam formam procuratæ omiſſionem reduxerit minus dignas aſſumptiones, quæ de perſonis Regularibus aliquando fiunt ad munus Epiſcopale: Ita narratur in *Chronicis eiuſdem Ordinis par. 1. lib. 6. cap. 6.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

De Regulari aſſumendo ad Epiſcopatum.

QVALITER ad Epiſcopatum Regularis veniat in ſuperiori Capite oſtendi, nunc is, qui ad Epiſcopatum dignè peruenerit, in eo qualiter viuere debeat, iuxta methodum à ſancto Gregorio ſui. *Paſtoralis parte prima cap.* 11. obſeruatam demonſtrabo, accepto igitur calami penicillo, veluti in Tabula incipiam Regularis Epiſcopi formam effingere, vt ex ductis lineamentis ipſius Idea Sacrorum Canonum ſtatutis legibus, & Doctorum receptis ſententijs, veluti coloribus expreſſa, ſi lineas non obſtet imbecillitas perfecta reſultet. Suppoſita Regularis ad Epiſcopatum promotione modo, & forma ſuperiori Capite deſcripta, in præſenti Capite tractabo de ijs, quæ Epiſcopum de Monaſterio egredientem conſectantur, eidemque præter qualitates omnibus Epiſcopis communes, ſecundùm quod Regularis eſt, in Epiſcopali ſtatu adhærent.

Ad id præſtandum quæro ſex.

Primò, De Moribus Epiſcopi Regularis.
Secundò, De Votis Epiſcopi Regularis.
Tertiò, De Obſeruantijs, ad quas tenetur Epiſcopus Regularis.
Quartò, De Ritibus Epiſcopi Regularis.
Quintò, De Habitu Epiſcopi Regularis.
Sextò, De Priuilegijs, & Pœnis Epiſcopi Regularis.

§. I.

De Moribus Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Doctor Gentium enumerat qualitates Epiſcopo debitas. 161
Iſtæ qualitates debent in Epiſcopo Regulari perfectius relucere. 162

Epi-

Epiſcopus Regularis putare non debet ſe reductum fuiſſe ad ſæculum. 163.

Reuiniſcit ad vitam ciuilem. 164

Delectari non debet dignitatis ſplendoribus. 165

Nec ea, quæ circa illum ſunt, debent ſæcularem redolere vanitatem. 166

De eius familia, & ſupellectile. 167.

Quomodo debeat Epiſcopali dignitate fungi. 168

Concionari debet per ſeipſum. 170 *Quomodo, & quando.* 171

Debet eſſe ſingularis exempli. 172 173.

Tenetur ad multa, ad quæ Epiſcopi ſæculares non tenentur. 174

Conformare deberet actus ſuos obſeruantijs regulæ Ordinis, cuius eſt Religioſus.

161 DOctor Gentium Apoſtolus Paulus mores Epiſcopis omnibus condecentes expoſuit ſcribendo ad *Timotheum cap.* 3. prioris Epiſtolæ, & *Titum cap.* 1. quorum clara notitia ex ipſo textu, & varijs commentationibus, quibus illuſtratur à Sanctis vnicuique peruia eſſe poteſt: Barboſa *de off. Ep. par.* 1. *tit.* 4. ab Apoſtolo Epiſcopis perſcriptos mores, & qualitates eruditè expendit, dignus certè vt ab omnibus Epiſcopis legatur, proficient enim, ſi lectionem deducant ad praxim, mores etiam Epiſcopo debitos enumerauit *Conc. Carthaginenſe* 4. *cap.* 1 & habetur *cap. Qui Epiſcopus diſt.* 23. de eadem materia doctè, & piè ſcripſere noſter Bartholomæus de Martyribus in Stimulo Paſtorum, noſter Ludouicus Granatenſis in Cõcione de moribus Epiſcoporum, Bellarmin. in opuſc. de off. Epiſcopi, Rinuccinus *della dignità, & offitio de i Veſcoui*, alijque quamplurimi, quibus adde Alexandrum Sperellum Epiſcopum Eugubinum in ſuo tractatu, cui titulus, Il Veſcouo, opus nuper Romæ publicatum, planè digniſſimum Authoris ingenio, ac mirabili eius eruditioni, inſigníque pietati correſpondens; aptum medium ad retinendum in Eccleſia militante apicis Epiſcopalis dignitatis legitimum ſplendorem, ac Epiſcoporũ vitam ad formam vitæ Sanctorum Præſulum inſtituendam.

162 Ego præſcindẽdo à moribus omnibus Epiſcopis cõmunibus, quos tamen exigo tanquã præcipuos in Epiſcopis Regularibus, & illos ante omnia ſuppono tanquã eis magis debitos, notanter loquendo, quam Sæcularibus Epiſcopis, vt docet Soto *de Iuſt. lib.* 10. *quæſt.* 5. *artic.* 7. ad ſpeciales, & proprios mores, qui in Epiſco-

Epiſco-

Epiſcopo Regulari, prout Regularis eſt, debent omnino relucere, meditationem meam coarctaui.

163 Dico ergo *primò*. Regulari ad Epiſcopatum aſſumpto non licere ita viuere, ac ſeipſum, ſupellectilem, & familiam ſic componere, vt videatur ad ſæcularem vitam per Epiſcopalem dignitatem reductum fuiſſe.

164 Suppono cum Caiet. 22. *quaeſt.* 185. *art.* 8. quod Religioſus factus Epiſcopus reuiuiſcit quodammodo ad vitam ciuilem, debet enim recedere in pluribus à regulari ſolitudine, & aſſidua legendi, & orandi conſuetudine, ſeque accomodare ſæculi ciuili conuerſationi, vt colligitur etiam ex S. Tho. 3. *par. quaeſt.* 40. *art.* 2. & ex *gl. diſt.* 86. *cap. Fratrem noſtrum*, vbi dicitur à Greg. Papa monitũ fuiſſe Marianũ Monachũ, qui factus Epiſcopus nolebat aliud facere, niſi legere, & orare, ſicut in Monaſterio facere conſueuerat, *vt cum loco mutaret & mentem*. Ideoque inquit Caiet. Epiſcopus Regularis *cap. vn.* 18. *quaeſt.* 1. dicitur a iugo Regulæ Monaſticæ profeſſionis abſolutus. Ex hoc tamen non eſt inferendum ei licere ita religioſas conſuetudines delere, vt Regularem nunquam fuiſſe in moribus ſuis appareat, & ſe prorſus immemorem prioris Vitæ eſſe demonſtret, quod non obſcure innuitur *diſt.* 88. *cap. Epiſcopus nullam*.

165 Id accideret *primò*. Si talis Epiſcopus Regularis, ne dum ſuperfluis, verum & neceſſario connexis dignitatis ſplendoribus delectaretur, quibus in ingreſſu Religionis expreſſe renunciauerat, itaut de ipſo dici poſſet illud 2. Machab. 4. *patrios honores pro nihilo habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur*. Inſuper in hoc imitari videretur vxorem Loth, quæ retro reſpexit, vt dixit Soto *vbi ſupra*. Vnde ipſe monet Epiſcopos Regulares debere à pompis abſtinere, quæ non fuerint ad ornatum Dignitatis neceſſariæ, ijs verò, quæ ſunt neceſſariæ ad talem ornatum, ita debent vti, vt non moueant delectationem, ſed potius mærorem excitent, de ſe enim ita loquitur S. Monachus Gregorius *lib.* 1. *Epiſtolarum, Epiſt.* 6. *quæ eſt Narſi Patricium. Triſte eſt quicquid aſpicitur, quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penſo enim ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quantum deiectus exterioris prouectus culmen aſcendi*. Dixit quidem Greg. *eodem lib. Ep.* 5. *ſub colore Epiſcopatus ad ſæculum ſum reductus*: ſed forte vt ſæcularem vitam ageret, & anteactæ Monaſticæ oblitus, veluti ſolent Sæculares Principes, de ſua Dignitate ſibi blandiretur? abſit, ſubiungit enim. *In qua tantis Terra*

ra

Digitized by Google

ra curis inſeruio, quantis me in Vita laica vnquam deſeruiſſe reminiſcor: En quomodo debet Religioſus factus Epiſcopus reuiniſcere ad vitam ciuilem, & quaſi ad ſæculum redire, vt ſpretis pompis, & etiam Dignitati connexis ſplendoribus non elatus, Terræ curis, proximi neceſſitatibus, & vtilitatibus totus inſeruiat, ſæcularis in ſollicitudine ſæculi, Regularis in morũ exercitio.

166 *Secundò*, oſtendis Regularem Epiſcopum ad ſæculum reductum fuiſſe, ſi quæ circa illum ſunt, ſæcularem redoleant vanitatem, hæc præcipuè conſiſtit in veſtibus intrinſecis, quæ latent ſub Toga; Regularis ergo Epiſcopus, ne ad ſæculum rediſſe videatur, vti non debet ſericis Tibialibus, fœmoralibus, & huiuſmodi ſubtus indutis, quæ dedecent inſuper eſſe de materia etiam lanea, quæ ſit pretioſa; & in colore à ſolito illius Religionis Viris diſſona, ac in forma ſæcularibus conſuetudinibus accomodata. Idem dico ſeruandum eſſe ab Epiſcopo Regulari in vſu veſtium extrinſecarum, vt in Toga, Mozzetta, &c. Et nota Epiſcopum ſæcularem poſſe vti veſte ſecundum conſuetudinem regionis, non obſtante *cap. Clerici officia, de Vit. & honeſt. Cleric.* & *cap. Omnis*, & *cap. Nullus* 21. *quæſt.* 4. quia lex debet conuenire conſuetudini; vt dicit *gl. cap. ſi quis virorum, diſt.* 30. Nec ille dicitur indecoris veſtibus indutus, ſi iuxta regionis conſuetudinem veſtitus incedat, poteſt etiam de conſuetudine vti pretioſis veſtibus, in vſu enim veſtimentorum excuſat Epiſcopum ſæcularem mos regionis, ita gloſſ. 21. *quæſt.* 4. *in princip.* verbo *Quod vero*, & firmat Barboſa *in ſupradicto cap ex Decretal. nu.* 3. productis pro hac ſententia pluribus authoribus, ſed Epiſcopus Regularis, ſi iuxta vanam regionis conſuetudinem veſtitus incederet, veſteſque non affibulatas, & ex materia pretioſa compactas geſtaret, ſupradictis Conſtitutionibus neglectis, indecoris proculdubio veſtibus vteretur, nulla eum conſuetudine excuſante. In veſtium vſu quilibet Epiſcopus deberet obſeruare, quod Sanctus Thomas dixit *quodlib.* 10. *artic.* 14. *in perſona publica*, inquit Sanctus Doctor, *conſideratur & ſtatus dignitatis, & propriæ perſonæ conditio: circa quæ duo ita ſe debet habere, ne Dignitatis authoritas veniat in contemptum, & ne ipſe in ſuperbiam efferatur. Vtrunque ergo poteſt eſſe laudabile, & quòd pretioſis vtatur ad reuerentiam authoritatis inducendam, & quod vilibus vtatur ratione propriæ humilitatis: ita dumtaxat ne quę ad authoritatem conſeruandam fiunt, in ſuperbiam degenerent, & ne dum nimium ſeruatur humilitas regendi frangatur authoritas ſicut Auguſtinus dicit*: Sed reuertamur ad Epiſcopos Regulares, quibus

bus veſtium vſum præſcribant Sancti Martinus, & Auguſtinus Regulares Epiſcopi. Hæc ſcribit Sulpitius in vita Sancti Martini, *factus Epiſcopus Turonenſis. idem conſtantiſſime perſeuerabat, qui prius fuerat, eadem in corde humilitas, eadem in veſte vilitas, atque ita implebat Epiſcopi dignitatem, vt propoſitum Monachi non deſereret*. De S. Auguſtino, hæc refert Sabellius *lib. 2. cap. 8. Clericis ſuis Dignitate præſtitit, habitu, atque veſtitu par fuit*. S. Tho. *22. quæſt. 114. artic. 2. ad ſecundum* inquit, *de Auguſtino legitur, quod neque veſtes nimis pratioſas, neque nimis abiectas habere volebat, quia in vtroque homines ſuam gloriam quærunt*, & ipſe Auguſtinus in quodam Sermone dixiſſe narratur, *Offertur mihi Birrum prætioſum, forte decet Epiſcopum, quamuis non deceat Auguſtinum, fateor vobis, de pratioſa veſte erubeſco, quia non decet hanc profeſſionem*. Ex his diſcant Epiſcopi Regulares quam debeant in veſtibus moderationem imitari.

167 *Tertiò*. Inſinuant Regularem Epiſcopum ad ſæculum reductum, quæ ſunt circa familiam ipſius, & ſupellectilem, nam ſi hæc pompam habeant Principis ſæcularis, iam ſæcularis Princeps, non Epiſcopus Regularis apparebit, Seruorum, Equorum Curruum, & huiuſmodi exceſſiuam multitudinem, ac ſupellectilis pratioſum apparatum non probat Ludouicus Granat. *in prædicta ſua Concione de moribus Epiſcoporum*, eamque etiam Epiſcopo Sæculari concedendam non eſſe ex pluribus adductis grauiſſimis rationibus, & congruentijs conuincit euidenter, quod alij extendunt ad filios Principum, etiam Regum Epiſcopos creatos, qui non ad fouendum natalium faſtum, ſed ad inſtituendam Epiſcopalis ſtatus condecentem vitam, & conſeruandum eidem ſtatui ſplendorem congruentem ſtudium adhibere debent, nam vt Paſtores, & non vt Reges præſident gregibus Chriſti; Legendum in Magno Spec. Exempl. verbo *Prælatus* Exemplum 13. Sed non ne magis deteſtatus eſſet Granatenſis Scurras conductos, Canes venaticos, & Accipitres magnis expenſis procuratos, cuſtoditos, altos ad expiendas delicias, neglectis pauperum lachrymis, quibus ſubſidium ex Eccleſiaſticis prouentibus implorant, in hanc ſententiam hæc protulit S. Petrus Damianus in Epiſtola, de qua ſupra meminimus, *quotidie regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale conuiuium, & vnde refrigerare debuerunt indigentes, rubentium Tabularum recreant geſtatores; & cum Epiſcopus diſpenſator, & promus debeat eſſe pauperum, ad eorum menſam affluentibus delicijs alieni ructant*.

ſtant, cum & illi, quorum eſt tota ſubſtantia, procul excluſi, famis inopia contabeſcant. Enoluendi ſunt attente Sac. Canones, præcipue, quos *diſt. 89.* Gratianus expreſſit iſta deteſtantes, ſed hæc omnia eò magis dedecent Epiſcopos Regulares, quo minus poſſunt, quàm Epiſcopi Sæculares in ſuperfluas expenſas ſuos redditus conuertere, vt infra patebit. & cum pompis renunciauerint religioſa profeſſione, vt dictum eſt, has in ſua familia, & ſupellectile repetere neutiquam debent ad Epiſcopatum electi; Vnde bene Suarez *Tomo 4. de Rel. lib. 3. cap. 16. numero 30.* docet Epiſcopum Sæcularem poſſe habere ampliorem familiam, & ditiorem ſupellectilem, quam Regularis, ita vt ſi in hoc aliquantulum excedat Sæcularis, leuiter peccabit, At Regularis, ſi in his excedat, grauiter peccabit, debet enim ſeruare religioſam paupertatem, quam expenſas iſtas ſuperfluas non admittere infra probabo. Sanctus Thomas de Villanoua Archiepiſcopus Regularis reſpondit cuidam ipſum adhortanti, vt ſibi compararet vaſa argentea, quibus cibi ad eius menſam ferrentur. *Io ſon Frate, e quello che ad altri ſarebbe honore, e reputatione, à me ſarebbe infamia*; Ita legitur in eius vita *lib. 2. cap. 2.* Religioſo Epiſcopo potiſſimum congruit Concilij Carthaginenſis ſancta monitio, quæ habetur *diſt. 41.* vbi ſic dicitur. *Epiſcopus vilem ſupellectilem, menſam, & victum pauperem habeat, ac dignitatis ſuæ authoritatem fide, & vitæ meritis quærat.* Quod dixi de familia, e ſupellectile, dicere debemus etiam de menſa, de ludis, de venationibus, & alijs; quæ ad permiſſam oblectationem aſſumuntur; In menſa enim debet Regularis Epiſcopus retinere religioſam ſobrietatem, & ſacræ lectionis ſuaue animæ condimentum, in ludis, decentibus, ſcilicet, & excluſis ijs, qui à ſac. Canonibus cæteris omnibus interdicuntur, obſeruare paruitatem materiæ. In venationibus ſe conformare *cap. primo Clementinæ de ſtatu Monachorum*, & in his, alijſque omnibus ſupradictis caueat ne notabilem pecuniæ quantitatem expendat, cum plures Doctores, præter graue peccatum, quod in his expenſis committi non ambigunt, adhuc eum violato paupertatis voto contra iuſtitiam agentem, ad reſtituendas eaſdem expenſas condemnent, quod §. *ſequenti* fuſius expendam.

Doceat ſuo exemplo Epiſcopos Regulares Auguſtinus Regularis Epiſcopus de menſæ frugalitate, ac ſupellectile vilitate, ita enim refertur de ipſo in eius vita à Poſſidonio ſcripta. *Menſa vſus*

ſa vſus eſt frugali, & parca, quæ quidem inter olera, & legumina, etiam carnes aliquando propter hoſpites, vel quoſcunque infirmiores continebat, cochlearibus tantum argenteis vtens, cætera vaſa, quibus menſæ eius cibi inferebantur, vel teſtea, vel lignea, vel marmorea erant, non neceſſitatis inopia, ſed propoſito voluntatis, quod Auguſtini inſignem alumnum Sanctum Thomam ſupradictum perfectiſſimè compleuiſſe eodem loco Vitæ eius legitur.

Doceat eoſdem Epiſcopos Regulares de ſeruorum numero, & diſciplina familię ab eis obſeruanda alius Epiſcopus Regularis S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. Hæc enim de Antonino Gobellinus narrat. *Vitreis, & fictilibus vaſis tantum eſt vſus, familiam, quæ pauca illi fuit, contentari modico voluit, & ad Philoſophiæ leges viuere.*

S. Bernardus Eugenio Monacho, & Sum. Pontifici hanc præſcripſit familiæ formam, & regimen de Conſid. lib. 3. *Domum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet honeſtas, horum diſciplina cuſtos, Sacerdotes domeſtici; aut cæteris honeſtiores; aut fabulæ omnibus ſunt; in vultu, in habitu, in inceſſu illorum; qui circa te ſunt, nihil reſidere impudicum, nihil indecens patiaris. Diſcunt à te Epiſcopi tui, comatulos pueros, & comptos adoleſcentes ſecum non habere, certè inter mitratos diſcurrere calamiſtratos non decet.*

168. Dico ſecundò, Epiſcopus Regularis ita Epiſcopali dignitate fungi debet, vt Monaſticæ vitæ propoſitum, & parſimoniam quoad fieri poteſt non deſerat. Id probatur exemplo Sancti Fulgentij Regularis Epiſcopi Ruſpenſis, de quo *Anno* 504. refert Baronius, quæ ſequuntur: *Nec ita factus eſt Epiſcopus, vt eſſe deſineret Monachus, ſed recepta Pontificis dignitate profeſſionis præteritæ ſeruauit integritatem, ſeruata verò profeſſionis integritas plus ornauit Pontificis dignitatem.* Verumtamen *plerique*, inquit Greg. 1. *Reg. cap. 3. in humiliori ordinatione religioſi ſunt, ſed cum ſubito ad culmen ſanctitatis peruenerint, prima opera cum humilitate derelinquunt. Samuel igitur proficiens, & proficiens Dominum ſecum habuit, vt profecto electorum Prædicatorum morem præferret, qui cum dona, & dignitates, quibus proſint alijs, aſſequuntur, de ſemetipſis placere Deo non negligunt.* Sicut non neglexit fr. Bartholomæus de Martyribus Ordinis Prædicatorum, qui eodem actu, quo Archiepiſcopatum Bracharenſem acceptauit, teſte Granatenſi *vbi ſupra* propoſuit vna cum dignitate priora Monaſticæ vitæ opera cum humilitate retinere,

re, quod & egiſſe Beatum Thomam de Villanoua ſæpius memoratum luculenter eius acta teſtantur *lib. 2. par. 1.* & plurium aliorum Sanctorum Regularium Epiſcoporum exemplis poſſet comprobari.

Hæc eſt confidentia, quam habuit Bernardus de Monacho Eugenio ad Summum Pontificatum euecto, dum in *Prologo librorum de Conſid.* ita illum alloquitur. *In te hanc mutationem factam eſſe confido, non de te, nec priori ſtatui tuo ſucceſſiſſe promotionem, ſed acceſſiſſe*, & quod debeat Epiſcopus Regularis in hoc ſtatu tale propoſitum habere, *ne cum percepti principatus officio perſ.ui ſæculariter cæperit, libenter obliuiſcatur quicquid religiosè cogitauit*, vt dixit idem S. Monachus Greg. Magnus *in Paſtor. par. 1. cap. 11.* manat ex prædictis. Nullo enim alio aptiori modo poteſt Regularis factus Epiſcopus demonſtrare, ſe non eſſe ad ſæculum reductum, quàm regularem vitam, & conſuetudinem, in quantum licet, retinendo, quod omnes ſanctos Regulares Epiſcopos egiſſe ex eorum geſtis certo certius conſtat.

169 Hoc dictum luculentius manifeſtatur, ſi attendamus præcipuum Epiſcopi Regularis ſtudium in eo ſitum eſſe debere, vt ſpecialiori quodam modo ſuo verbo, & exemplo populum ſibi commiſſum inſtruat, & à vitijs mundatum, in viam dirigat ſaluationis ęternę.

170 Conuenit ergo *primò*, vt Regularis Epiſcopus concionetur; hanc enim habuiſſe conſuetudinem ſupponimus, dum in religioſo ſtatu verſaretur. Et quamuis hoc concionandi munus proprium ſit, & præcipuum cuiuſcumque Epiſcopi, ita vt, ſi non adſit legitimum impedimentum, omnes Epiſcopi teneantur per ſe ipſos ad prædicandum Sanctum Ieſu Chriſti Euangelium ex Sacrorum Conciliorum decretis legibus, quas nouiſſimum *Conc. Tridentinum ſeſſ. 5. cap. 2.* innouauit, tamen ſæculares Epiſcopi, non nullis tantum exceptis, cum in alijs curis diſtracti, nunquam antea dictum munus exercuerint, difficillimum putant per ſe ipſos ætate iam prouectos poſſe inexpertū opus obire, quæ difficultas populis benè nota, eos ab hoc munere obeundo plurimum excuſant. Attamen Regularis ad concionandum aſſuetus, ſi prætermittat per ſeipſum concionari, mirabuntur populi, & cum putent omne impedimentum abeſſe, & facultatem maximam ſupponant adeſſe, non benè ſentiunt de Epiſcopo Regulari, qui per ſe ipſum populo ſibi commiſſo non prædicat.

Hæc

171 Hæc autem concionandi conſuetudo, quam in Epiſcopo Regulari inueniri optamus, non exigitur in tanto rigore, vt qualibet Dominica, & Feſto die ſuggeſtum aſcendat, vel per integram Quadrageſimam, & Aduentum hoc munus expleat, ita vt nunquam idoneum aſſumat, per quem Officium prædicationis exequatur. Id enim nec fieri quidem oportunum eſſe credo, cum vox Prælati quotidiano ſono populorum auribus admota, ſolito humanarum rerum vitio vileſceret, vt ergo ſit validior ad inferendum ſalutis remedia, in celebratione Synodi, & in quibuſdam anni Dominicis, Feſtiſque diebus; in maioribus verò omnino, & præcipuè inter Miſſarum ſolemnia, in quibus ille ſacrificat, ad populum concionem habeat, quam prætermiſſo vulgari declamandi ſtilo, ac illa corporis aſſueta agitatione, ſine vlla Ethnicorum authoritate, vel fabularum, ſeu earum moralis interpretationis vſu, vt dixit gloſ. *ſuper cap. Fratrem noſtrum, diſt. 86. verbo, Grammaticam*, ex ſacris Scripturis, ac Sanctorum Patrum interpretationibus, & verbis poſitis ſacræ doctrinæ fundamentis, proponat, quæ ad fidelium notitiam deuenire debent, & quod ſciant expedit, ſedata oratione, graui verborum elegantia, & ſeria dicendi efficacia, dum enim eloquentiam, & ſermonis ornatum in ſententiarum robore collocat, omnem artificij opinionem, quæ dicenti fidem abrogare ſolet, euitabit, & ita ex cordis abundantia procedens ſancta locutio, vtilior euadet, ac in populis fructus vberes doctrinæ ſemen germinabit. Hæc eſt conſtituta Epiſcopis concionandi regula, quam loco ſupracitato Granatenſis fuſius explicat; vnde legendus eſſet, vt melius apprehenderetur.

172 *Secundò*: Exigebam in Epiſcopo Regulari exemplum, quod iuxta Sanctum Bernardum etiam ſequitur ad primam Domini interrogationem factam Petro *Ioan. 21.* de eius dilectione. *Primò enim*, dicit, *Paſtor paſcit gregem verbo, deinde exemplo*, quod ad dandam efficaciam verbis omnino neceſſarium eſt; dicit enim Lactantius: *Homines malunt exempla, quam verba, quia loqui facile eſt, præſtare difficile*; & Seneca dixit; *Eum elige Doctorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris*, ſed illis Ethnicorum documentis præclariora ſunt ſacroſancta Scripturæ ſacræ, & ſacrorum Conciliorum diuina præcepta in Sacro Concilio Tridentino ſemel, bis, terue repetita, quibus ſerio, & ſub grauiſſimis pœnis Epiſcopis imponitur, quod ſe populis omnium bonorum præbeant exemplum, & quidem, ſicut totam ſpem vi-

ctoriȩ milites in Duce conſtituunt, ſicut Nauem vnum Gubernatoris ſtudium in portum vehit, ita tota animarum ſalus ab Epiſcopi pendet exemplis; nam ſi Epiſcopus fuerit mali exempli, & ad vitia procliuis, de grege ſibi credito actum eſt, *infundet enim malitiam ſuam in populum, & omnes, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, occidet.* vt Auguſtinum dixiſſe legi; ſi verò fuerit probitatis exemplar, & virtutis ſpecimen, ita vt eius prȩdicationis verbis inculpatȩ vitȩ ſeries correſpondeat, nihil opportunius, nihil congruentius inueniri poſſet, quod populos à vitijs deuiet, ad virtutes alliceat, ac bonum animarum operoſius promoueat: Vnde Gregorius *Epiſt. lib.* 1. *epiſt.* 24. dicebat, *Rurſus cùm me ad conſideranda debita Paſtoris opera confero, perpendo quanta intentione curandum eſt, vt ſit operatione præcipuus; quatenus vitæ viam ſubditis viuendo denunciet, & grex, qui Paſtoris vocem, moresque ſequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur; qui enim loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare, illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo præcipit, oſtendendo adiuuat vt fiat.*

173 At in Epiſcopo Regulari præſtantiora puto exigenda eſſe probitatis exempla, quam in ſȩculari, hæc enim à populis expectantur quidem etiam à Sȩcularibus, ſed à Regularibus Epiſcopis plura heroica, & frequentiora de ſtrictiori iure, vt ita dixerim, exiguntur. Tu ſi Sȩcularem Epiſcopum videris comam nutrientem, ludentem aleis, ſeu taxillis, veſte pręcioſa, vanoque regionis vſu, & colore form ita indutum, ſupellectilem ſericam, auream, vel argenteam adhibentem, choreis prȩſentem, ſpectaculis aſſiſtentem, dices, non expedit quidem; verumtamen indulgebis, non ſcandalizaberis, in corruptum viuendi morem omnia iſta reduces; ſed ſi me Epiſcopum Regularem videris talia facientem, vel admittentem, heu, vbi pones os tuum, quo tranſibit lingua tua, miraberis, ſcandalum ſumes, & forte admittes ex tua voluntate in malum inclinata, meoque exemplo informatus, & infectus, quȩ alias non admiſiſſes peccata. In hunc ſenſum Greg. adductus in *lib. ſtimuli Paſtorum Bartholomæi de Martyribus par.* 3. dixit. *Recordare quod Sanctus Monachus eſt velut lucerna ſub modio; idem autem Epiſcopus factus ponitur ſuper Candelabrum excelſum, vt clariſſimorum operum vbique radios emittat, etiamſi quemadmodum de lucerna eſt in prouerbio, conſummatur. Væ autem ei, qui in altum conſti-*

tu-

tutus radios non emittit, ſed fumigat tepiditate ſua, ſecordia, tenacitate, faſtu, delicijs. Patet ergo ex his veritas ſupra poſitę concluſionis, ſcilicet, Epiſcopum Regularem debere, quantum poteſt, propoſitum, & parſimoniam Monaſticę vitę in ſtatu Epiſcopali non deſerere, quod vt clarius appareat.

174 Dico *tertiò*. Epiſcopus Regularis tenetur ad multa opera conſilij, & perfectionis, ad quę non tenetur Epiſcopus Sęcularis.

Igitur tam Sęcularis, quam Regularis Epiſcopus tenentur ad opera omnium virtutum, quę ad ſtatum Epiſcopalis perfectionis pertinent, in quo ſtatu Epiſcopus quiſque eſſe debet, ſed Regularis tenetur inſuper ad ſupradicta.

Ita Suarez *Tomo 3. de Relig. lib. 1. cap. 19. num. 18.* & probat, quia Epiſcopus Religioſus manet in illo Statu verus Religioſus, ergo tenetur ad multa opera conſilij, & perfectionis, ad quę non tenetur Sęcularis. Vnde infra oſtendam remanere in Religioſo Epiſcopo vota, & quaſdam obſeruantias, quę regulari vitę ſunt indiſpenſabiliter annexę, quod conſonat *cap. De Monachis 16. quæſt. 1.* Vbi ſic dicitur. *De Monachis, ſi poſtea ad Clericatus ordinem peruenerint, ſtatuimus non debere eos à priori propoſito diſcedere*, quod S. Tho. 22. *quæſt.* 185. *art.* 8. intelligi vult dictum etiam fuiſſe de Monachis, qui Epiſcopi fiunt; Hi, vt dicit *gl.* diſcedere non debent à priori propoſito quantum ad ea, quę ſunt de ſubſtantia Monachatus, vt de habitu ſeruando, & continentia, & de non habendo propria, ab his enim Monachus Epiſcopus non abſoluitur, ſed à ieiunio, ſilentio, &
175 vigilijs abſoluitur, vt infra latius §. 3. explicabo. Interim ſcias etſi in vltimo recenſitis obſeruantijs nulla ſit in Epiſcopo Regulari legalis neceſſitas operandi ſecundum regulam ſuæ Religionis, conuenientiſſimum tamen eſſe iudicat Suarez *Tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 18. num. 16.* quòd viuat, & operetur eligendo, quæ ſuæ Religioni, & Regulę ſunt conformia, maxime in extrinſecus apparentibus, vt, verbi gratia, Franciſcanus, & Dominicanus, ambo Religioſi, ambo ſunt Mendicantes, at in veſtitu vilioribus induitur Franciſcanus, quam Dominicanus. Epiſcopo ergo Franciſcano congruit, ſeruato Dignitatis decore, vilioribus vti veſtibus Dominicano; Dominicanus à carnibus abſtinet, & diutius ieiunat Franciſcano, congruit ergo Epiſcopo Dominicano frequentius ieiunare, & carnibus rarius veſci. Ita moribus ſuo ſtatui condecentibus con-

u in-

uincere poſſunt Regulares Epiſcopi, ſe per Epiſcopatum non eſſe reductos ad ſeculum, & oſtendere propoſitum Monaſti cum non deſeruiſſe, ad quem effectum, vltra vota ſubſtantialia, quaſdam etiam obſeruantias ſuę Regulæ proportionatas, prout licet retenuiſſe, ſed iſta clariora fient in ſequentibus loco citato.

§. 2.

De Votis Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

De Sum. Pontifice ex ordine religioſo aſſumpto. 176
Epiſcopus Regularis eſt eſſentialiter religioſus. 177
Oppoſita DD. ſententia. 179
Vota Religioſa. 180.
De Caſtitate, de Obedientia, de Paupertate. 181

176 QVęcunque dixero in hoc §. intelligenda ſunt etiam de Religioſo ad Summ. Pontificatum euecto, quem manere verè, & ſubſtantialiter Religioſum docent authores, quos ſequitur, & adducit Card. Lugo *reſp. moral. lib. 5. dub. 12. num.* 20. niſi tamen ille Religioſus tunc vellet ſecum diſpenſare in votis etiam ſolemnibus, quæ in religionis profeſſione emiſerat, vti probabiliter dicitur, quod ex grauiſſima cauſa poſſet, vel ſequendo ſententiam probabilem, qua dicitur ſolemnitatem illorum votorum eſſe de iure Eccleſiaſtico, vel faciendo ſe de monacho, non monachum, vt dixit Caiet. 22. *quæſt.* 88. *artic.* 11. quomodo Regularis Sum. Pontifex maneat adhuc Religioſus, clarè, & doctè explicat Cardinalis prędictus loco citato.

177 Epiſcopum Regularem quemcumque remanere eſſentialiter Religioſum probat S. Tho. 22. *quæſt.* 185. *art.* 8. Primò ex *Can. De Monachis* 16. *quæſt.* 1. vbi ſic dicitur, *de Monachis diu morantibus in Monaſterijs, ſi poſtea ad Clericatus ordinem peruenerint, ſtatuimus non debere à priori propoſito diſcedere*; Nomine vero *Clericatus* venire hic etiam Epiſcoptatum inſinuat ibi S.
178 Doct. & *gl.* dicit expreſſe. Deinde probat hac ratione; Religioſus ſtatus pertinet ad perfectionem, ſicut via, Epiſcopalis vero ſtatus ad perfectionem pertinet, vt perfectionis Magiſte-

Digitized by Google

rium. Vnde ſtatus Religionis comparatur ad Epiſcopalem, ſicut diſciplina ad magiſterium, & diſpoſitio ad perfectionem; ſicut ergo aduenience forma non ceſſat diſpoſitio, niſi quantum ad id, in quo formæ repugnat, quantum autem ad id, quod perfectioni eius congruit, magis confirmatur, & ſicut diſcipulo cum ad magiſterium peruenerit, non congruit quidem quòd ſit auditor, congruit tamen illi quòd legat, & meditetur, etiam magis quàm antea: Ita Regularis Epiſcopus tenetur ſeruare ea, quæ non impediunt Pontificale Officium, ſed magis valent ad perfectionis cuſtodiam, & hæc ſunt Continentia, Paupertas, &c.

179 Diana *par. 3. tract. 2. Reſ. 61.* ductus quorundam modernorum opinione, probabile iudicat in Religioſo Epiſcopo eſſentialem Religionis ſtatum extingui, ita vt illam opinionem improbabilem dici non patiatur; vt videri poteſt in eius *par. 12. reſol. 104.* Ad hoc perſuadendum, vltra plures authores, quos in vtraque citata parte affert, in illo loco *par. 3.* tranſcribit per extenſum authoritatem Villalobos, eiusque ponderationem verborum textus *cap. ſtatutum 18. quæſt. 2.* videtur magni facere, hæc autem talis eſt; *y à vn la palabra De Epiſcopo Monachum fecit, que parece, que diga, que dexa de ſer frayle*; ſed vana eſt iſta ponderatio, quam improbant òmnes Regulares Epiſcopi, qui ſuo proprio nomini perpetuò anteponunt Titulum *fratris*, innuentes ſe per Epiſcopalem dignitatem haud deſinere fratres eſſe, quod diſertis verbis pluries ſignificauit de ſe ipſo S. Thomas de Villanoua, vt narratur in ſupra citata eius vita, præcipuè *lib. 2. cap. 2.* vbi ſæpè dixiſſe refertur: *Io ſono Frate*, & *cap. 14.* cum quidam ſancto Viro dixiſſet, *Già V. S. nõ è più Frate, ma Arciueſcouo*, reſpondit: *mi piace, che dichiate, ch'io ſono Arciueſcouo; ma mi diſpiace, che dichiate, che io non ſon Frate*. In quo ſequutus eſt Magni Patris ſui Auguſtini veſtigia, qui, vt legitur *in tertia parte hiſt. S. Antonini cap. 14. §. 2. Epiſcopus factus Monachum ſe profiteri non erubuit*. Baronius quoque de S. Fulgentio Regulari Epiſcopo *Anno 504.* dicit: *Nec ita factus eſt Epiſcopus, vt eſſe deſineret Monachus*. Futilis eſt ergo Villalobos ponderatio, quæ ne dum à Sanctis Regularibus Epiſcopis omnibus reijcitur; verum etiam Canonis illius menti contradicit; Sacra enim ordinatio, de qua Canon loquitur, facit quidẽ de Monacho Epiſcopum, ſed ad modum, quo fit de diſcipulo Magiſter, vt ſupra explicatum eſt iuxta Sancti Thomæ

in-

interpretationem ferè communiter receptam, ex quo ſequitur non extingui in Monacho Epiſcopo eſſentialem Religionis ſtatum, ſed potius perfici, vt dicit idem S. Thomas, quem ſequuntur grauiores Doctores apud Barboſam *de offic. Epiſc. par. 1. tit. 1, cap. 4. num. 12.* & Dianam *par. 12. reſol.* 104. quodque egregie tuetur Card. Lugo loco præcitato contra Hurtadum oppoſitum ſentientem: quapropter exiſtimo tutum non eſſe recedere ab hac ſētentia, cui vt communiori adhærere debere omnes Regulares Epiſcopos tenet idem Diana vbi ſupra.

Sed in Ordine Religioſo conſiderari poſſunt tria, ſcilicet, Regula, ſeu Conſtitutiones, Habitus, & Vota, perſcrutari non oportet in quonam ex his tribus conſiſtat Ordinis regularis eſſentia, quia certum eſt Doctorum omnium conſenſu hanc præcipuè in Votis perquirendā eſſe; nam alia duo non ſunt ad ſtatus Religioſi ſubſtantiam omnino neceſſaria, vt oſtendam in ſequēti, & 5. §. Explicare igitur reſtat, quæ ſint illa Vota, quibus Religionis ſubſtantia conſtituitur.

180 Vota, quæ emittuntur in Ordinibus Religioſis ſunt in duplici differentia, quædam dicuntur ſolemnia, & hæc ſunt præcipuè illa tria Paupertatis Obedientię, & Caſtitatis, quæ in quacunque Religione fiunt, quamuis non in omni Religione dicantur ſolemnia; nam in Societate IESV hæc eadem Vota poſt biennium emiſſa, & Religionis ſubſtantialia, appellantur ſimplicia, quædam verò Vota ſunt prædictis acceſſoria, quæ in manibus Superioris eodem modo emittuntur; & aliquando etiam ſolemnia, ſed frequentius ſimplicia nominantur, de his poſterioribus nulla eſſe poteſt difficultas, non enim ita pertinent ad Religionis ſubſtantiam, quin ſine illis Religio ſubſiſtere poſſit, vt in ſequentibus probabo. Vnde tota difficultas reducitur ad priora Vota, de quibus nunc agendum eſt quomodo in Epiſcopo Regulari remaneant, vel relaxentur, dum ſuppono ipſum in Epiſcopali ſtatu verum Religioſum perſeuerare,

181 Votum Caſtitatis in Epiſcopo Regulari perſiſtere certum eſt apud omnes, nec vllus vſque modo Doctor fuit, qui dixerit per Epiſcopatum Regularem ab hoc Voto cenſendum eſſe abſolutum; ſed qui illum Religioſum in Epiſcopatu negant, dicunt hoc Votum in ipſo perſiſtere ex vi Ordinis Sacerdotalis, non ex vi Religioſæ profeſſionis; alij verò, qui illum in tali ſtatu Religioſum fatentur, idem prorſus regulare Votum Caſtitatis in ipſo immotum, & inuariatum habent; de Votis Obedientiæ,

& Paupertatis grauior eſt inter Doctores quæſtio, quorum aliqui vtrunque Votum in Epiſcopo Religioſo extinguunt, alij admiſſa Voti Obedientiæ conſiſtentia, à Paupertatis Voto abſolutum omnino cenſent; exiſtimant enim Paupertatis Votum cum Epiſcopali ſtatu eſſe incompatibile, alij verò vtrunque Votum manere dicunt, ſed ceſſante materia, ambo immutari, alij tandem volunt immota omnino perſiſtere, nec materiam quidem ceſſare; ſed tantum ſub quadam ratione infra exponenda aliqualiter ampliari.

182 Ego cum S. Thoma 22. *quæſt.* 88. *art.* 11. cenſeo tria illa Vota Religionis ſubſtantialia nunquam in Religioſo omnino relaxari, niſi de Religioſo non Religioſus fiat, ſunt enim ſicut anima corpori in Religioſo vnita, ſicut ergo corpus ſine anima non viuit; ita nec religioſus ſtatus ſine Votis in Religioſo conſiſtit.

183 Sed nota, quòd quamuis exiſtimem, pace Patris Dianæ, & modernorum illorum authorũ, quos ipſe vbi ſupra vocat Theologiæ Gigantes, non eſſe probabilem opinionem, qua dicitur per Epiſcopatum de Religioſo non Religioſum fieri, eamque à Sanctorum Regulariũ Epiſcoporum ſenſu fuiſſe omnino alienam ex allatis ſupra monumentis cognoſcam, attamen fateor eos, qui ſunt illius opinionis conſequenter loqui, dum dicunt Regularem ad Epiſcopatum aſſumptum ad illa tria Vota ex vi ſuæ profeſſionis non teneri. Vnde non percipio quomodo poſſit ab aliquibus dici Epiſcopum Regularem remanere verum, & perfectum Religioſum, & tamen in vno, vel altero ex Votis prædictis per Epiſcopalem dignitatem diſpenſari, quod eſt præ-

184 cipuè contra S. Tho. 22. *quæſt.* 186. *art.* 7. 3. *c. Gen. capite* 130. *Op.* 18. *cap.* 15. *& Opuſc.* 19. *cap.* 1. ac inſigniores Theologos; qui innixi Apoſtolorum exemplo, ac Sanctorum Patrum ſententijs ſuſtinẽt, ad perfectum Religionis ſtatum requiri omnino tria illa Vota collectiue accepta, & ſi aliquod ex illis deſit, religioſum ſtatum non ſimpliciter, ſed imperfectè, & analogicè religioſum apellari. Videndus Suarez *Tomo* 3. *de Rel. lib.* 2 *cap.* 2. ideo cum eodem S. Thoma 22. *quæſt.* 185. *art.* 8. ſentio Regularem factum Epiſcopum adhuc eſſe verum, & perfectum Religioſum, & conſequenter tribus ſolemnibus Votis ex vi ſuæ profeſſionis adhuc alligatum, nec in aliquo illorum cenſeri poſſe per Epiſcopatum fuiſſe diſpenſatum; ſunt enim inſeparabilia à Religioſo in quocunque ſtatu conſiderato, vt expreſsè colligi vi-

videtur ex *cap. Cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum*, & firmatur authoritate præſtantiſſimorum Doctorum, quos adducit Barboſa *vbi ſupra*.

185 Fundamentum oppoſitæ ſententię innititur illi propoſitioni *cap. Statutum*, in qua decernitur *Monachus factus Epiſcopus à iugo regulæ Monaſticæ profeſſionis abſolutus*, vbi deſignati videntur duo termini, ſcilicet, terminus à quo, & terminus ad quem, & deciſum apparet Religioſum relinquere terminum à quo, ſcilicet, eſſe Religioſi, dum tranſit ad terminum ad quem, ſcilicet, ad eſſe Epiſcopi, declararique conſequenter Monachus Epiſcopus diſpenſatus in omnibus, quæ Regula imponit, inter quæ reperitur obſeruantia trium Votorum ſolemnium, & præcipuè videtur declarari abſolutus ab Obedientia, & clarius à Paupertate, cum ibidem ſubiungitur *Monachum ſibi acquirere hereditatem, vt legitimum heredem*.

Confirmatur nam qui tranſit de vna Religione ad aliam, non tenetur ad obſeruantias prioris Religionis, ſed ad obſeruantias Religionis poſterioris; ergo qui tranſit à Religione ad Epiſcopatum, non tenetur ad Vota Religionis, ſed tantum ad vota Epiſcopali ſtatui connexa. Alia argumenta, quæ ad idem probandum adducuntur, ſupponunt incompoſſibile eſſe dominium, quod Epiſcopo Regulari attribuitur, cum Paupertatis Voto, quę infra, dum de hac re agam, ex profeſſo diſſoluam, modo ad oppoſita reſpondendo.

Dico ex S. Toma 22. *quæſt.* 185. *art.* 8. *ad primum* Textum Canonis abſoluere Regularem factum Epiſcopum ab ijs tantum, quę cum officio Pontificali ſunt incompoſſibilia, nec excludere in tranſeunte Religioſo à ſtatu Religioſo ad Prǽſulatum Religionis eſſentialia, vt Vota, quæ ne dum non ſunt cum officio Pontificali incompoſſibilia, verùm reputari debent tanquam eius decor, & pręcipuum ornamentum: item cum Textus dicit, *Monachum Epiſcopum ſibi acquirere hæreditatem*, Ly *ſibi*, accipitur à *gl.* cum communi, pro Eccleſia, vt etiam ſenſit *Rota deciſ.* 115. *recent. Tomo* 2. *par.* 4. Eccleſia enim eſt dominij capax, & ex eius capacitate ipſe vt legitimus hęres poteſt hęreditatem adire, non vt dominus, ſed vt adminiſtrator, ad Eccleſiam vero dominium pertinet, infra enim oſtendam aliud eſſe Epiſcopum Regularem legitimè acquirere hęreditatem, aliud acquiſitam iure dominij poſſidere, & probabo ius dominij tranſire ad Eccleſiā mediante Religioſo Epiſco-

ſco-

Digitized by Google

ſcopo, cuius legitima acquiſitione Eccleſia illud dominium obtinuit, quod S. Tho. 22. *vbi ſupra ad quartum*, & Rota loco citato colligunt ex ipſo textu Canonis *Statutum*. Similitudinem deſumptam à termino à quo, & ad quem, admittit Card. Lugo vbi ſupra *num.* 29. non in ſenſu intento ab opponentibus, in quo terminus à quo deſtruitur, dum terminus ad quem acquiritur, ſed in ſenſu, in quo terminus à quo importat materiam, ex qua aliquid fit; Vnde ſicut non deſtruitur lignum cum ex ligno fit ſtatua, ita nõ deſtruitur religioſa profeſſio, dum ex Religioſo fit Epiſcopus.

Ad confirmationem Reſp. quod cum in tranſitu, ſeu ad aliam Religionem, ſeu ad Epiſcopatum remaneat Religioſus verus, & perfectus Religioſus, in vtroque perſeuerat ad Religionis ſubſtantialium Votorum obſeruantiam obligatus, cum hoc ſit inſeparabiliter cum vero Religioſo connexum.

Vt tria vota ſolemnia clarius in Epiſcopo Regulari eluceant, de vnoquoque Voto agam ſingillatim.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Voto Caſtitatis.

SVMMARIVM.

Votum Caſtitatis in Epiſcopo Regulari. 186
Circũſtãtia violata caſtitatis an exprimẽdá ab Epiſc. in Confeſſione. 187

186 Caſtitatis Votum in Epiſcopo Sæculari diſpenſabile, in Epiſcopo verò Regulari omnino eſſe indiſpenſabile dixit Soto *de Iuſt. lib.* 10. *quæſt.* 5. *artic*, 7. dum docet ſolemnitatem Voti Caſtitatis in Epiſcopo Regulari eſſe de iure diuino, in Sæculari verò de iure Eccleſiaſtico, quia Eccleſiæ ſubijcitur poteſtati, Suarez *vbi ſupra num.* 5. ait, hoc Votum Caſtitatis in Religioſo Epiſcopo magis quodammodo conſecrari, itaut eius obligatio aliquantulum augeatur, inde deducit grauius peccare Epiſcopum Regularem violando Caſtitatem, quam ſi eſſet ſimplex Religioſus, vel Religioſus Sacerdos propter maiorem conſecrationem, & obligationem ortam, ſcilicet, ex Voto ſolemni in Religione emiſſo, quæ obligatio per Epiſcopalem conſecratio-

Digitized by Google

187 tionem ſit maior, & arctius ligat. Hanc circunſtantiam violatæ caſtitatis à perſona, quæ eſt Religioſus, & Epiſcopus, eſſe explicandam in Confeſſione docet Fagundez *de Præcep. Eccleſ. 2. lib. 4. cap. 3. num. 8.* & *Nugnus in Add. ad ter. par. tomo 2. quæſt. 9. artic. 2. dub. 3. Con. 2. & 3.* vbi hoc idem ampliant ad omne peccatum mortale commiſſum ab Epiſcopo, quia Epiſcopus ratione ſui ſtatus tenetur ad perfectionem chriſtianæ vitæ habendam; ſed oppoſitum dicendum putant apud Dianam *par. 1. tract. de Circumſtantijs reſol. 6. & par. 12. reſolut. 96.* plures alij Doctores, quos ille adducit, & ſequitur, maximè ſi ſermo eſſet de Epiſcopo tantum confirmato, & ad nullum Sacrum Ordinem promoto; inter alios, qui docent non eſſe neceſſario in Confeſſione ab Epiſcopo, & Regulari aperiendam violatæ Caſtitatis circunſtantiam, quæ ſumitur ex ſtatu Epiſcopali, in quo violata fuit, ſunt Suarez *vbi ſupra*, & Sanchez *Decal. lib. 6. cap. 6. num.* 14. dummodo, ait Sanchez, ad illam manifeſtandam non obligaret ſcandalum ſequutum ex culpa in tali perſona conſiderata, tunc enim prædictam obligationem eſſe in omni Epiſcopo ampliandam etiam ad quamcunque culpam læthalem cum tali ſcandalo commiſſam Diana recte fatetur locis citat. At idem Suarez *de Pænit. diſp. 22. ſec. 4.* monet ſecurius eſſe Epiſcopo Regulari ſemper illam circunſtantiam violatæ Caſtitatis in ſtatu Epiſcopali Confeſſario aperire, quod ego extendendum puto ad omnes Epiſcopos, dum de quocunque peccato læthali confitentur, etiamſi ſine ſcandalo fuiſſet commiſſum.

Si ab Epiſcopo Regulari filius generaretur, non eſſet attendenda aliqua alia inhabilitas in prole, præter illam, quæ à Doctoribus conſtituitur in filijs aliorum Presbyterorum, cum de hac inhabilitate iura nihil conſtituerint.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Voto Obedientiæ.

SVMMARIVM.

Votum Obedientiæ in profeſſione Prædicatorum. 188
Remanet in Epiſcopo Regulari. 189

Ex

Ex vi Votibic Epiſcopus quos Prælatos habeat. 190
Ad Monaſterium reuerſus non emitteret nouum Votum. 191
Poſſet ſe vltro Prælatis regularibus ſubijcere. 193
Ad Monaſterium reuerſus quas regulas deberet obſeruare. 195
Papa in virtute regularis Obedientiæ non poteſt præcipere niſi, quæ ſunt in regula. 196
A quo tempore deſumatur exemptio Epiſcopi à regularibus Prælatis. 199
Prælaturæ regulares quando ceſſant Prælato creato Epiſcopo. 200

188 VOtum obedientiæ eſt ita annexum religioſæ profeſſioni, vt in aliquibus Ordinibus, & in ſpecie in Ordine Prædicatorum non promittant Religioſi niſi obedientiam, in qua tamen intelliguntur expreſsè profiteri alia etiam duo Vota ſolemnia Caſtitatis, & Paupertatis. Hoc Votum obedientiæ continuari à Religioſo in ſtatu Epiſcopali docet S. Thom. 22. *quæſt.* 88. *artic.* 11. *quæſt.* 185. *art.* 8. *ad tertium, & in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad quintum*, S. Doctorem ſequuntur omnes Thomiſtæ, ac inſigniores Auctores, quos adducunt Suarez *de Relig. tomo* 4. *vbi ſupra cap.* 17. Sanchez *Decal. lib.* 6. *cap.* 6.
189 Barboſa *etiam vbi ſupra, &c.* Reſtat explicare modum, quo remanet hæc obedientia in Epiſcopo Regulari. Soto *in loco ſupra adducto*, & quidam pauci, qui poſt ipſum ſcripſere, dicunt obedientiam in huiuſmodi Epiſcopo immutari, tum ex parte eius, cui obedientia fuerat promiſſa, quia obedientia promiſſa Prælatis regularibus mutatur in obedientiam debitam Summo Pontifici, tum ex parte eius, qui obedientiam promiſit, cum fuerit à iugo regulæ abſolutus. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 40. *nu.* 142. ait in Epiſcopis Regularibus non deſinere votum obedië tię, ſed mutari in obedentiā cōgruentē illi ſtatui, ipſius tacito, vel expreſſo cōſenſu, vel nouo, & formali voto; quod ſi verū eſſet, iā Votū obediëtiæ regularis ceſſaret in Epiſc. Regulari, vt patet, cū ab ipſo nouus conſenſus, & nouum, ac formale Votum exigatur. Vnde ſequeretur, quod in ſua profeſſione Regularis non vouiſſet obedientiam Papæ, cuius oppoſitum ſupra firmaui, & fuſius oſtendam in ſequentibus. Alij, quibus Sanctus Thomas expreſsè fauet, tenent ex vtroque extremo obedientiam ſubſtantialem in hoc Epiſcopo immutatam perſeuerare, & quod tantum ex parte Prælatorum regularium, quibus promiſſa fuit, fiat aliqua accidentalis mutatio; dixit enim S. Thomas *dicta*

q.

Digitized by Google

quaſt. 88. *artic.* 11. *ad quartum*, & *quaſt.* 185. *artic.* 8. *ad tertiũ*, quod Regularis, ſi fiat Epiſcopus, per accidens obedire non tenetur Prælatis regularibus, quia ſubditus eſſe deſijt, ex quo procedit illos ſuperiores non habere, ſicut nec Abbas ſuprēmus Monaſterij, qui tamen non eſt ab obedientię Voto abſolutus, ratio huius eſt, quia ſicut manet in Religioſo, qui factus eſt ſupremus Pręlatus virtualiter obligatio Voti, quamuis ſubditus eſſe deſierit, nam ſi quis ei legitimè pręficeretur, illi teneretur obedire, in quantum teneretur obedire Statutis regulę, & Superioribus, quos habet, ita in Regulari, ſi fiat Epiſcopus, manet eadem virtualis obligatio Voti, quamuis ſubditus eſſe deſierit, tenetur enim virtualiter obedire, & Statutis Regulę modo infra explicando, & Superioribus Regularibus, iubente enim Sum. Pontifice, cui ſoli de facto ſubijcitur, vt dicam *num.* 192. Regularibus etiam Pręlatis de facto ſubijceretur, illis tamen Pręlatis, quos habebat in Religione, ex qua fuit aſſumptus, nam ſi tranſiſſet ante Epiſcopatum ad aliam Religionem, ſubijci non poſſet à Papa in vim voti obedientię niſi aliud exprimeret modo infra dicendo, quàm Pręlatis poſterioris Religionis, cum per tranſitum commutatum fuerit Votum obedientię quantum ad Pręlatos prioris Religionis, & ideo totaliter ceſſauerit Votum obedientię in ordine ad Pręlatos prioris Religionis, vt Pręlati prioris Religionis ſunt, vnde in ordine ad ipſos reduplicatiue acceptos non poteſt amplius reuiuiſcere.

190 Ex hac Doctrina colligitur, *primo*, Epiſcopum Regularem non teneri ex vi obligationis Voti obedientię obedire iis, quibus per Statuta regulę Religionis, ex qua aſſumitur, obedire non debebat, qui rectè dici poſſent Pręlati extrinſeci: Vnde non tenetur ex vi Voti obedire Metropolitano, Prouinciali Concilio, iuribus Eccleſiaſticis, quę tantum Epiſcopos concernunt, Nuncio, Legato Apoſtolico, &c. quamuis iſtis obedire teneatur ex vi legitimę illorum poteſtatis, vt Suarez docuit *vbi ſupra num.* 3. Si vero ei pręficerentur à Sum. Pontifice Superiores, vel ex Sęcularibus, vel ex Regularibus ſuę, vel alterius Religionis electi, cum expręſſione quòd illis dictus Epiſcopus ſubderetur ac ſi eſſent eius Regulares Pręlati, teneretur ex vi voti obedientiæ illis obedire, nam tunc tolleretur id, quod per accidens impediebat eius obedientiam in ordine ad Pręlatos ſecundum Statuta Regulę, quam profitebatur; Superiores, &

conſequenter denenendo eorum ſubditus, reuiuiſceret obliga-
191 tio Voti ipſius in ordine ad illos Prȩlatos. Vnde ſequitur Regularem, qui dimiſſo Epiſcopatu ad Monaſterium reuerteretur, & iterum de licentia Papȩ ſimplicis Monachi conditionem reaſſumeret, non debere ad effectum vt reuiuiſceret illa obligatio obediendi Prȩlatis regularibus, emittere de nouo Votum obedientiȩ, per quod eiſdem Regularibus Prȩlatis iterum ſubijceretur, ſed ex vi eiuſdem Voti emiſſi in Religione hęc ſubiectio repararetur, vt dicam in *cap. 3. huius tractatus §. 2.*

192 *Secundò* Colligo Epiſcopum Regularem de facto nullum alium habere Superiorem, cui ſubdatur ex vi Voti obedientiȩ, niſi Sum. Pontificem, cui ne dum tenetur obedire, quia eſt Chriſtianus baptizatus, & quia in ordine Sacerdotali, & in conſecratione Epiſcopali promiſit, & iurauit ei obedientiam, ſed inſuper, quia ei promiſit Voto firmatam obedientiam in Religioſa profeſſione, eſt enim Sum. Pontifex Religionum omnium Prȩlatus Generaliſſimus, cui primò, & per ſe promittitur à Religioſis obedientia, eiuſque vice omnes alij Prȩlati Regulares Vota profeſſorum recipiunt. Ita Sanchez pluribus adductis *Decal lib. 4. cap. 24. num. 20. Et lib. 6. cap. 2. num. 8.* Suarez *de Rel. Tomo 2. tract. de Voto, lib. 6. cap. 17. num. 10.*

193 Dixi, *de facto*, nam poſſet Epiſcopus Regularis voluntariè ſe ſubdere ſuȩ Religionis Prȩlatis, illiſque durante impedimento ſupradicto obedientiam vouere, quod ex ſola rei natura non videri intrinſecè malum, immo in hoc voto rationem melioris boni non deeſſe dicit Suarez *ibidem Tomo 4. tract. 10 lib. 6. cap. 9. num. 3.* quamuis poſtea declaret iure Eccleſiaſtico id non videri licitum ſine licentia Papȩ; ad dignitatem enim Epiſcopalem pertinet, quòd Epiſcopi ſoli Papȩ immediatè ſubijciantur, & ideo cum non poſſint cedere huic iuri ſuo, nec poſſunt licitè ſe alicui inferiori Papȩ ſubijcere, ex vi enim ſtatus Epiſcopalis, & in honorem huius dignitatis, à dictorum inferiorum hominum obedientia abſoluuntur.

194 Ex his ſequitur poſſe Sum. Pontificem, ne dum diſpenſare, & commutare, ſed etiam irritare Vota Epiſcopi Regularis, quȩ irritare poſſet Prȩlatus Regularis, ſi tantum eſſet ſimplex Religioſus; Non enim poteſt Papa irritare Vota omnia eorum, qui illi per obedientiȩ Votum non ſubduntur, vt etiam infra dicam. Item ſequitur poſſe Sum. Pontif. reducere Epiſcopum Regularem ad Monaſterium, ac iterum Prȩlatis Regularibus

cum

eum ſubijcere, & cogere modo infra explicando ad obſeruantiam conſtitutionum, & Regulę ſuę Religionis, vt de facto Clemens V. coegit Fr. Gulielmum Burgenſem Epiſcopum Pictauienſem profeſſione Minoritam, quem depoſuit, & ad Clauſtrum remiſit, vt legitur in Hiſtoria Spondani *Anno* 1308. 7. Sed de hac re fuſius *cap. ſequenti* §. 2.

195 Nota quod ſi Epiſcopus Regularis ad Monaſterium reuerſus, vel remiſſus tranſgrederetur Conſtitutiones, & Regulam, non ſubiaceret pœnis in Regula ſtatutis ex vi regulæ, ſed ex vi obedientiæ, quam debet Sum. Pontifici exhibere; fuerat enim iam per Epiſcopatum abſolutus à iugo regulæ; Vnde faceret, prævaricando regulam, contra voluntatem Prælati, & non contra regulam. Limitanda ſunt hęc ad illa, quę à Prælato præciperentur ordinata ſecundum regulam ad cuſtodiam Votorum ſubſtantialium, & ad decentiam, & honeſtatem religioſi ſtatus, ad hæc enim tantùm reuiuiſceret in Epiſcopo obligatio ad obſeruantiam eorum, quę continentur in regula, & conſequenter non reuiuiſcit ad omnia, vt dicetur ibidem.

196 Præterea nota quòd Sum. Pontifex vt ſupręmus Prælatus omnium Religionum poteſt in meritum obedientiæ Voto firmatæ præcipere Epiſcopo Religioſo totum illud, quod, ſeruata dicta limitatione, poterat illi pręcipere Prælatus regularis, dum eſſet ſimplex Religioſus, ſcilicet, totum illud, quod neceſſariò requiritur ex præſcripto regulæ ad obſeruanda Vota ſubſtantialia, &c. Et quia Prælatus regularis non poterat illi tunc præcipere niſi ea, quæ ſunt ſecundum regulam, ſecundum quam ipſe promiſerat obedientiam, ita Sum. Pontifex vt ſupræmus Religionum Prælatus non poteſt eidem iam Epiſcopo præcipere ad effectum, de quo ſupra, niſi, quæ ſunt ſecundum regulam, quam profeſſus fuerat. Et ſi Pontifex aliud pręter regulam pręciperet, etiam ad cuſtodiam Votorum, & decentiam religioſi ſtatus, teneretur quidem Epiſcopus Regularis obedire, ſed non ex vi obedientię regularis, ſed ex vi ſupręmæ Pontificię iuriſdictionis, quam habet in omnes.

197 Tertio tandem colligitur ex dictis, eandem Voti obedientiæ obligationem remanere in Epiſcopo Regulari, quam habebat in humili Religionis ſtatu, nec pati illam mutationem Pręlatorum regularium, quæ ſequitur ad idem votum, dum Religioſus tranſit ad aliam Religionem, nam tunc, vt dicebam, fit commutatio obedientiæ debitę illis Prælatis, in obedientiam

P 2 quam

quam vouet Prꝑlatis Religionis, ad quam tranſit, & ideo ceſſante voto obedientię reſpectu horum Prꝑlatorum, obedientia illam patitur mutationem; verùm dum Religioſus fit Epiſcopus, non fit commutatio obedientię à Prꝑlatis regularibus in vnicum Prꝑlatum, qui eſt Sum. Pontif. vt Soto, & alii dixerunt, nam Sum. Pontifici vt omnium Religionum Generaliſſimo quiſque Religioſus vouit in religioſa profeſſione obedientiam, dum eam vouet in manibus Prꝑlati regularis, vt ſupra dicebam;

198 Inde S. Th. agnoſcit in Epiſcopo Regulari eandem obedientiam eſſe, ac in ſuprꝑmo Abbate, ſicut ergo dum Religioſus fit ſuprꝑmus Abbas, ſeruat immutatum obedientię Votum, quamuis alteri Religionis ſuę Abbati iam non ſubiiciatur, attamen ſi deponatur, ex natura rei fit Monaſterii Prælatis iterum ſubiectus; ita dum Religioſus fit Epiſcopus, ſeruat immutatum votum obedientię, ita vt ex natura rei rediret Prꝑlatis regularibus ſubiectus; non quidem de facto, vt dicetur infra, ſed in caſu, quo à Sum. Pontifice ad Monaſterium reduceretur, & illi eiuſdem Prꝑlati authoritate Apoſtolica iterum prꝑficerentur, quod in Religioſo ad Sum. Pontificatum euecto nunquam accidere poſſet, cum nullum haberet Prꝑlatum, per quem poſſet ad Monaſterium reduci: attamen etiam in hoc Religioſo remaneret immutatum votum obedientię, vt doctè dicit Card. Lugo *in reſp. moral. lib. 5. dub. 12. num. 22.* quia Votum obedientię includit conditionem obediendi Prꝑlatis, ſi eos habuerit; Vnde Prꝑlati carentia, in ſenſu compoſito cum Pontificatu, non variat obedientiæ Votum, ſed ſolum importat carentiam materię, circa quam Votum executioni mandatur, & ideo ſi Summus Pontifex Regularis ſua ſponte rediret ad Monaſterium, vt fecit Cęleſtinus V. idem eſſet dicendum de ipſius ſubiectione ad Prꝑlatos regulares, quod de quocunque alio Regulari dimittente Epiſcopatum dixi, & dicto *cap. ſequenti §. 2.* fuſius explicabo.

199 Quęres: A quo temporis momento remaneat Regularis Epiſcopus a ſubiectione Prꝑlatorum ſuę Religionis exemptus.

Reſp. Aliquos dixiſſe hanc exemptionem accipiendam eſſe ab electione de eius perſona facta, quod verum tantum eſt de Religioſo in Sum. Pontificem electo, qui ſola electione Pontifex deſignatur, vt ſupra dicebam; de cęteris vero Epiſcopis loquendo, pro certo habendum eſt hanc exemptionem computari debere à confirmatione electionis, vel à collatione Epiſcopatus Monacho facta à Sum. Pontifice in Conciſtorio, vt mos eſt,

vel

vel alio quocunque modo bene illi viſo, tunc enim primò remanet ſoli Sum. Pontifici ſubiectus, vt colligitur *ex cap. Inter corporalia, de transl. Epiſcoporum, verſ. ſicut enim*, & docet cum communi Sanchez *vbi ſupra num.* 32. Hęc autem exemptio completur, & vt ita dixerim, conſummatur in Sacra Conſecratione, per quam abſoluitur completè, & finaliter Monachus à Iugo regulę, dicitur enim in *cap. Statutum*, *electionem Canonicam*, ſubintellige, *confirmatam à Pontifice*, vt bene Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 143. *à Iugo regulæ abſoluere*, *& ſacram ordinationem de Monacho Epiſcopum facere*.

200 Si iterum quęras, quando deſinat prędatus Regularis, ſi ſit Pręlatus, Generalis, verbi gratia, Prouincialis, &c. in Epiſcopum promotus eſſe Prouincialis, vel Generalis, &c. Antequam quæſito reſpondeam: ſuppono Prælatos regulares per aſſecutionem Epiſcopatus amittere omnem poteſtatem, quam in Religione ex vi dictæ Prælaturę habebant, quod S. Gregorius *in Epiſtola* 18. *lib.* 7. decreuit, vt dicam infra §. 6. *num.* 342. & in regulis cuiuſcunque Ordinis ſolet declarari, vt fit in Conſt. Ord. Prædic. *diſt.* 2. *cap.* 13. VII. quod fuſius expræſſit Fontana vbi ſupra; Verbo, *de Epiſcopis*. Reſp. modo ad quæſitum quoſdam dixiſſe Pręlatum regularem deſinere eſſe talem à die acceptationis Epiſcopatus; alij vero dicunt id accidere ſtatim poſt electionis confirmationem, tandem alij volunt Pręlaturas prędictas non vacare niſi poſt conſecrationem, qua poſita poteſt ſucceſſor eligi, & ipſe à Monaſterio dimitti: hęc tradit Barb. *de Off. Ep. par.* 3. *alleg.* 57. *num.* 73. citatis pro qualibet ſententia grauiſſimis authoribus.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Voto Paupertatis.

SVMMARIVM.

Quidam Votum Paupertatis extinguunt in Epiſcopo Regulari. 201
Oppoſita ſententia verior. 202
Diſcrimen inter vota Caſtitatis, & Paupertatis. 203
Temporalia poſſideri poſſunt abſque dominio. 204

Ad-

Digitized by Google

Adminiſtratio libera non infert dominium, 205
Per Epiſcopatum non tollitur votum Paupertatis, 206
Diſcrimen inter Regulam, & Vota. 208
Relaxatio voti Paupertatis, 209

201 VOtum Paupertatis extinguunt in Epiſcopo Regulari Doctores ſapientiſſimi, quorum ſententiam probabilem eſſe putant Sanchez *Decal. lib. 6. cap. 6. num.* 31. & Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 50. & 61. & *par.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 64. *tract.* 8. *reſol.* 31. & *par.* 12. *reſol.* 104. inter authores huius ſententię primum, & pręcipuum locum obtinere videtur Soto, qui *de iuſt. lib. 7. quaſt. 4. art. 2. ad vlt.* inquit notum eſſe Regularem ad Sum. Pontificatum aſſumptum propria poſſidere, & *in vlt. totius operis articulo* ait, ſi licite conceditur Epiſcopo Regulari quòd condere poſſit de ſuis bonis teſtamentum, videtur Votum Paupertatis non eſſe ita indiſpenſabile, vt eſt Votum Caſtitatis, quod poſtea in vtroque loco inſinuat de facto diſpenſari in Epiſcopo Regulari, dum conſtituitur dominus Eccleſię reddituum, & patrimonialium bonorum, ſicut ſunt alij Epiſcopi ſeculares.

202 Veriſſima ſententia eſt omnium ſanctorum Epiſcoporum Regularium iudicio comprobata, Epiſcopum Regularem in ſtatu Epiſcopali perſiſtere pauperem ex Voto in ſua profeſſione emiſſo. Vnum pro omnibus iudicium adducam, quod tulit S. Thomas de Villanoua Archiepiſcopus Regularis, & habetur *lib. 2. cap. 2. vita eius* ſub his verbis. *Io ſon Frate, che hò profeſſato pouertà, e fuori di quello, ch'io hò di neceſſità per il mio ſoſtentamento; tutto il reſto è de' poueri*. Hæc eadem ſententia ab omnibus Doctoribus, etiam ab his, qui nobis aduerſantur, traditur tamquam magis tuta, & ſequenda. Dico ergo Epiſcopum Regularem, etiam Sum. Pontificem, non eſſe in Voto Paupertatis diſpenſatum, quod *primò* conſtat, quia huiuſmodi Religioſus in ſtatu Epiſcopali, & etiam Papali remanet eſſentialiter Religioſus, vt ſupra dictum eſt, ergo non intelligitur in Voto Paupertatis diſpenſatus, cùm votum Paupertatis ſit eſſentiale prædicatum à Religioſo vniuocè accepto omnino inſeparabile, vt etiam ſupra cum S. Thoma firmaui. Præterea, cùm Religioſus proprium nullo modo habere poſſit, vt dicit S. Th. *dicta quaſt.* 185. *artic.* 8. *ad tertium*, in illo ſtatu, in quo remanet eſſentialiter Religioſus, adhuc pauper eſſentialiter perſeuerat: Sancto Thoma, qui conſtantiſſime vbique defendit Votum

tum

tum Paupertatis in Epiſcopo Regulari perſiſtere, ſubſcribunt fere omnes grauiores Theologi, quos videre licet allegatos à Suarez *de Relig. tomo 4. tract.* 8 *lib. 3. cap.* 16. Sanchez *vbi ſupra, num.* 7. Barboſa *de offic. Ep. par.* 1. *tit. primo cap.* 4. *num.* 12. *& par.* 3. *allegat.* 114. *num.* 19. & Diana *præcipuè par.* 12. *reſol.* 104. quibus adde Card. Lugo *reſp. moral. lib.* 5. *diſp.* 12. *à num.* 16. Rota Romana ſępius decidit Votum Paupertatis in Epiſcopo Regulari extinctum non eſſe, vt Barboſa *vbi ſupra* teſtatur, & clare patet ex *deciſ.* 115. *recent. tom.* 2. *par.* 4. vbi dixit Epiſcopum Regularem non poſſe proprium habere, nec ſibi acquirere.

203 *Nauarrus in Com.* 2. *de Reg. num.* 17. inquit, dari poſſe cauſas vrgentes, quibus motus Summus Pontifex, diſpenſare poſſit cum Religioſo ſuper Voto Caſtitatis; verùm nunquam tales cauſas dabimus ad diſpenſandum cum eodem ſuper Voto Paupertatis, quia ſufficit vt ei concedatur plena adminiſtratio ſine dominio, qua poſſit donare, acquirere, contrahere, condere teſtamentum, & omnes actus neceſſarios exercere, qui ei competerent in ſtatu Matrimonij collocato, iſtæ tamen actiones fieri poſſunt ſine dominio, quod rectè dictum eſt, quicquid in oppoſitum ſentiant Soto vbi ſupra, Garzias *de beneficijs par.* 7. *cap.* 10. *num.* 90. Hurtado *in tract. de char. diſp.* 160. *ſect.* 3. & alij, nam vſus vxoris eſt adeò connexus cum Religioſo, qui obtinuit diſpenſationem ad contrahendum Matrimonium carnale, vt vnum ſine alio ſubſiſtere non poſſit, & ideo diſpenſatus ad Matrimonium contrahendum, diſpenſatur neceſſario in Voto Caſtitatis. Verùm poſſeſſio bonorum temporalium, & reddituum Eccleſiæ eſt compatibilis in Regulari ſuper Voto Caſtitatis diſpenſato, cum ſola facultate ea adminiſtrandi, eiſque vtendi ad ſuum arbitrium, ac in proprium commodum eadem conuertendi, ſine dominio, & proprietate, vt rectè dicebat Nauarrus mox adductus, quod tenet etiam Leſſius *de Iuſt. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 142. quamuis velit tunc iuſtam adeſſe cauſam vt tale Votum laxetur in illo Religioſo, ne affectu proprietatis largitionibus ſuperfluis, ac ſumptibus ſimilibus peccet contra Votum Paupertatis. Sed quicquid ſit de iuſta cauſa in diſpenſato ad contrahendum Matrimonium, diſpenſandi etiam in Voto Paupertatis. Hanc cauſam non inueniemus in Epiſcopo Regulari, in quo ſupponere non debemus illum affectum ad proprietatem, quo conſtituitur in periculo peccandi contra Votum

Vnde dicendum eſt Epiſcopo Regulari deberi quidem illorum, bonorum, & redditiuum Eccleſiaſticorum in ſtatu Epiſcopali adminiſtrationem, & vſum, non verò dominium, cum verius ſit Papam cum Epiſcopo Regulari non diſpenſare, quòd ſit dominus, & habeat proprietatem reddituum Eccleſiæ, & bonorum temporalium, vt Leſſius, & Garzias *ubi ſupra* fatentur, allegatis pro hac ſententia grauiſſimis authoribus.

204 Hinc patet in quo decipiatur Soto primus oppoſitæ ſententię author, qui exiſtimat idem eſſe alicui deberi bona temporalia, & poſſidere iure dominij, cum tamen non ſit idem, vt dictum eſt, nec S. Thomas illi fauet dum *artic. 7. illius quæſt.* 185. dicit Epiſcopos habere proprium, & ponit exemplum in S. Auguſtino, qui fuit Regularis Epiſcopus, nam ibi S. Thomas noluit definire niſi vſus, & adminiſtrationis debitam proprietatem, quam omnibus Epiſcopis concedit, non vero dominium,

205 quod forte nec Epiſcopis Sæcularibus conceſſit in ordine ad redditus Eccleſiaſticos; Liberam, & abſolutam adminiſtrationem ſtare poſſe ſine dominio in Epiſcopo quocunque conuincit etiam Sanctorum Apoſtolorum exemplum, Sancti enim Apoſtoli fuerunt Epiſcopi, & in ſtatu Epiſcopali habuiſſe Votum Paupertatis, quod vſum ſine dominio, vel dominium ſine vſu importat, non ambigitur, cum id non obſcurè inſinuetur Matth. 18. Inſuper poſſunt Epiſcopi Sęculares emittere Votum Paupertatis, vt docet Suarez *tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 6.* Ergo votum Paupertatis perſiſtere poteſt cum ſtatu Epiſcopali;

206 Si ergo Votũ Paupertatis non repugnat cum ſtatu Epiſcopali, & eſt cum eo compatibile, nullaque iuſta cauſa occurrit cum Epiſcopo Regulari in dicto Voto diſpenſandi, vt oſtendi, non eſt cenſendum in Epiſcopò Regulari tale Votum per promotionem ad Epiſcopatum diſpenſari, quod confirmat *cap. Cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*, vbi dicitur *abdicationem Paupertatis, ſicut etiam cuſtodiam Caſtitatis adeo annexam eſſe regulæ Monachali, vt contra eam nec Sum. Pontifex poſſit indulgere*, ex quo textu ſaltem euidenter conuincitur, quòd non ſolet Summus Pontifex contra abdicationem Paupertatis cum Monacho indulgere, id tamen quotidie faceret, ſi cum Regularibus per ſolam collationem Epiſcopatus in Voto Paupertatis diſpenſaret, vt conſtat. S. Bernardus in Prol. *lib. de Conſid. ad Eugenium* inſinuat hunc Pontificem, qui anteà Monachus erat, adhuc in Pontificatu fuiſſe ex Voto in Religione emiſſo pauperem, ſic enim

enim illum alloquitur, *non enim, ſi bene te noui, cum pater pauperum factus, ideo non pauper ſpiritu es*. In Summo Pontifice Regulari remanere Votum Paupertatis, docet expreſſe idem Card. Lugo *vbi ſupra num.* 21.

207 Nec iuuat aduerſarios dicere Votum Paupertatis emiſſum fuiſſe ſecundum regulam, hoc eſt durante ſtatu Regulari, & iugo Monaſticæ profeſſionis, quod terminatur cum Epiſcopatu, ſicut cæteræ obſeruantiæ à regula ſtatutæ, ad quas oſtendam infra Epiſcopum non teneri de rigore legis.

208 Reſp. enim aliud eſſe loqui de obſeruantijs, aliud de tribus Votis ſolẽnibus. Obſeruãtię enim ſunt annexę Religioſo pro eo tẽpore, quo ſubditur Prælatis Regularibus, & viuit intra Monaſterium, vt §. *ſequenti* probabo, ſed Vota ſunt emiſſa independenter à regula; cum primo, & per ſe ferantur abſolutè in materiam, quæ promittitur, cui ſecundum regulam conſtituitur aliquis modus, menſura, ſeu terminus in eorum obſeruantia præſcriptus, qui modus, menſura, ſeu terminus ceſſat cum regula, ſed non ceſſant Vota, quorum materia perſeuerat, ex quo deducam infra ad vota eſſentialia æque obligari omnes Epiſcopos ex quacunque Religione aſſumptos, ab obſeruantijs verò eſſe æqualiter abſolutos: Vnde Franciſcanus Epiſcopus cenſetur non habere proprium ſicut Dominicanus, quamuis Franciſc. nus ſecundum modum ſuæ Regulæ teneatur ad ſeueriorem paupertatem, quia ſecundum hunc modum Franciſcanus non poteſt habere proprium, nec in particulari, nec in communi; Dominicanus vero habere poteſt in communi, ſed ad non habendum proprium, quod eſt materia Voti, ambo tenentur ex vi Voti Paupertatis, quod perſeuerat in ſtatu Epiſcopali, in quo Franciſcanus non poteſt habere proprium, qui tamen, cum eſſet incapax hæreditatis, quam nec quidem ſuo Monaſterio acquirebat, ſicut acquirit v. gr. Dominicanus; Epiſcopus factus ratione ſuæ Eccleſiæ capax euadit, & illud ius, quod extinctum erat, factus Epiſcopus reuiuiſcit in ſuæ Eccleſiæ commodum, ita vt Eccleſia habeat dominium rei acquiſitæ, ipſe vero adminiſtrationem. Ita Silueſter *verbo Religio* 4. *quæſt.* 10. Leſſius *vbi ſupra num.* 143. & alij plures. Verum rationi conſentaneum eſſe docent Authores ſapientiſſimi Franciſcanum v. gr. ſeu virum Societatis, ſi ſint Epiſcopi, quod in vſu reddituum Eccleſiaſticorum obſeruent quandam maiorem moderationem, quã Dominicanus, vel Monachus, quia ſeueriorem Paupertatem

Q in

in ſuis Religionibus profitebantur. Vnde in percipiendis emolumentis vltra redditus Eccleſiaſticos vir Societatis, & Franciſcanus in veſtitu, ſupellectile, familia, menſa, &c. redolere laudabiliter, facient quandam prioris Paupertatis ſeueritatem, & rigorem, ita vt ſeruato Epiſcopali dignitati condecenti modo, in remiſſa ſumptuum acceptione vir ex Societate, in vilitate veſtium Franciſcanus, & vterque in parſimonia, ac cæteris huiuſmodi oſtendant ſe eſſe Epiſcopum Ieſuitam, vel Minorem Reformatum, ſeu Capuccinum, & Dominicanus Epiſcopus debet in vſu bonorum temporalium ſeruare quandam moderationem, vt præter habitum, quem geſtat, omnibus ex dicta moderatione pateat ipſum eſſe Religioſum Dominicanũ,& nõ Monachum, &c.. qui etiam ſe ita in eodem vſu exhibebit, vt appareat Epiſcopus Regularis, & non Sæcularis.

209 In Voto Paupertatis, quod perſeuerat in Epiſcopo Regulari, aliqualem relaxationem quidam Doctores admittunt, videtur enim illis, quod ſi aliqualiter non relaxetur, eſſe non poſſit cum Epiſcopali ſtatu compatibile, ſed in explicando modo, quo relaxatur, non conueniunt. Azor *inſt. moral. par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 7. *§. profectò*, dicit Epiſcopo Regulari deberi fructus Eccleſiaſticos de iure veluti ſtipendia ei aſſignata, quæ ſtipendia illi de iure non poſſent eſſe debita ſi ſimplex Regularis eſſet in Religione cum alijs communem vitam agens, & in hoc dicit relaxari eius Paupertatis Votum; Suarez vero *vbi ſupra num.* 11. ait Votum prædictum relaxari, quia Epiſcopus Regularis habet ampliorem vſum bonorum temporalium, quàm prius haberet, & alterius rationis, nam vt dixerat *num.* 9. non tenetur Epiſcopus iſte ſeruare Paupertatem ſecundum regulam, ſed tantum prout requirit voti Paupertatis ſubſtantia, quæ exigit quod pauper nihil habeat tamquam proprium, nec temporalibus vtatur tamquam proprijs, ideoque ſi ſit capax per Epiſcopatum adeundi hæreditatem, & ſuccedendi in bonis temporalibus, quam capacitatem non habebat in Religione, hoc oritur ex dicta relaxatione Paupertatis, quam Epiſcopatus inducit, per quam omnis menſura, & terminus præſcriptus ſecundum regulam, vel aliud legale ſtatutum tollitur, quæcumque eius ſeueritas extinguitur, & reſtat ad ſolam Paupertatis eſſentiam, quæ eſt omnibus Religioſis communis, & vna, obligatus. Card. Lugo *vbi ſupra num.* 26. videtur hanc relaxationem conſtituere in adminiſtratione generali, & libera diſpoſitione

bo-

bonorum temporalium, quæ ex natura rei concedenda eſt Epiſcopo Regulari, nunquam vero ex natura rei ſimplici Religioſo, dummodo non eſſet eiectus.

Vt rectè, & dilucidè percipiamus quam Paupertatem teneatur obſeruare Regularis in Epiſcopali ſtatu, explicare duxi quomodo ſine Paupertatis læſione poſſit hic Epiſcopus temporalia acquirere, & retinere, eiſdemque vti ad arbitrium ſuum, tota difficultas enim ad hæc tria reducitur, quæ videntur authoribus oppoſitæ ſententiæ Paupertatem euertere, cum Epiſcopis Regularibus indulgentur.

PVNCTVM PRIMVM.

De acquiſitione bonorum temporalium Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Regularis Epiſcopus acquirit Eccleſiæ. 210 211 215
A tempore confirmationis.
Etiam ex Religione dominij incapace. 212
Explicatur cap. Statutum. 214
In acquirendo comparatur Epiſcopus Regularis cum Sæculari. 215
Diſcrimen ipſorum in acquirendo redditus Eccleſiaſticos. 216
Facultas Epiſcopi Regularis reuocandi Teſtamentum in Nouitiatu, vel antea conditum. 217
Regularis Epiſcopus ſi habeat aliunde, ex quo viuat, an acquirat ſibi redditus Eccleſiaſticos. 218

DVm in ſequentibus dicam Epiſcopos acquirere Eccleſiæ ſuæ, nomine Eccleſiæ accipienda erit Camera Apoſtolica, vbi ex quocunque iure per ſuos miniſtros colligit illa bona, quæ ſolent à Doctoribus Eccleſiæ acquiſita fuiſſe declarari.

210 Acquirere poſſe Religioſum Religionis capacis poſſeſſionis, & dominij bona temporalia, vel ex teſtamento relicta, vel legitima ſucceſſione ad eum deuoluta, vel donata inter viuos, aut cauſa mortis, ſeu alio quocunque titulo ſibi debita, certum eſt, & tenet cum pluribus Barboſa *de off. Ep. par. 3. alleg. 114. num. 28. & 29.* Vnde conſtat in Religioſo facultatem acquirendi bona temporalia non eſſe incompatibilem cum Vo-

211 to Paupertatis, ſed ſicut Religioſus acquirit non ſibi, ſed Monaſterio, cuius eſt membrum, dominum illorum bonorū, ita Epiſcopus Regularis nedum redditus Epiſcopatus ſibi debitos *ex cap. Si Monachus 16. quæſt.* 1. verum etiam quorumcumque aliorum bonorum dominium acquirit à tempore, quo confirmatur in Epiſcopum per Sum. Pontificem, vt iuxta meliorem opinionem docent Sanchez, & Rodriquez apud Fagundez *in 7. Præcep. Decal. lib. 7. cap. 6. verſ. hoc ſuppoſito.* Et Barboſa *in Collect.* 18.
212 *quæſt. 1. cap. Statutum num.* 17. non quidem ſibi, ſed Eccleſiæ ſuæ, cuius eſt caput; idem dicendum eſt de Epiſcopo aſſumpto ex Religione poſſeſſionis, & dominij omnino incapaci, vt docent Doctores apud Barboſam *vbi ſupra num.* 29. fit enim huius dominij capax ratione ſuæ Eccleſiæ, vt enim cum multis loco mox adducto bene dixit Fagundez *cap. 8. verſ. Tota dubitatio,* per profeſſionem in Religione dominij incapace, vt Minorum, non extinguitur ius ſuccedendi, ſed conſopitur, & ſuſpenditur, recuperatur verò per promotionem profeſſi ad Epiſcopatum, vt firmauit etiam Rota *deciſ.* 215. *recent. tomo* 2. *par* 4.

Quia verò ius acquirendi ſequitur perſonam Religioſi, ſicut, ſi Religioſus Ordinis bonorum incapacis tranſiret ad Ordinem bonorum capacem, acquireret ſuo Ordini, quod priori non acquiſiuiſſet, ita factus Epiſcopus acquirit ſuæ Eccleſiæ, vt dixit eadem Rota coram Buratto *deciſ.* 643.

213 Vnde ſi emat, emit Eccleſię ſuę, non ſibi profeſſione dominij quapropter empta alienare non poteſt, nec de eorum proprietate diſponere, quia non poteſt auferre dominium Eccleſiæ ſuæ ſam acquiſitum. Ita Barb. *in Voto Can.* 101. *num.* 6. Limita, dum ſimpliciter, & imperſonaliter, ſiue ſibi ſtipulatur, nam Epiſcopus Eccleſiæ non emit, ſi conſtet eum noluiſſe Eccleſiæ, ſed alteri potius emptum acquirere, vt dixit Rota *deciſ.* 306. *recent. tomo primò par.* 2. ſeu ſi declaraſſet emiſſe vt Epiſcopum, & non Eccleſiæ, ex eadem Rota *deciſ.* 294. *recent. tomo* 2. *par.* 2. in quibus tamen, dummodo viuens de eis licitè non diſpoſuiſſet, ſuccedit Eccleſia, vt infra patebit.

Vnde ſi dicas, eſto quod ea, quæ Regularis acquirit, & de iure illi debentur dum eſt Epiſcopus, acquirantur Eccleſiæ: Verùm quæ illi dum eſſet ſimplex Regularis proueniebant, v. g. ex paterna ſucceſſione, vocatione, vel donatione facta eidem cum conditione de futuro, ſi dum eſt Epiſcopus conditio, vocatio, &c. purificarentur, videtur quod bona tunc ad illum deuoluta

acqui-

Digitized by Google

acquirerentur Monaſterio, nam Monaſterio fuerat illud ius iam acquiſitum dum Epiſcopus eſſet ſimplex Religioſus.

Reſp. illud ius Monaſterij, ex quo aſſumitur Regularis ad Epiſcopatum, fuiſſe tantum in ſpe, & ideo ſi, dum Regularis eſt Epiſcopus, illud ius fiat in re, non Monaſterium, ſed Eccleſia acquirit, quia, vt dixi, ius illud eſt deambulatiuum, & cum perſona vadit, illique acquiritur, cui perſona lucratur tunc, cum ad illam perſonam purificatis conditionibus in re perueneꝛit, ita colligitur ex illo *cap. Statutum* 18. *quæſt.* 1. & ex S. Thoma 22. *quæſt.* 185. *artic.* 8. *ad tertium*, quod etiam verificaretur ſi relictum conditionale factum fuiſſet Fratri incapaci, v. gr. Ord. Minorum, & purificaretur Fratre illo iam Epiſcopo, vt expreſsè cum Leſſio *de iuſt. cap.* 41. *num.* 88. & alijs grauiſſimis Canoniſtis dixit Rota coram Buratto *deciſ.* 643.

214 Hinc percipi poteſt quomodo ſumēdum ſit, quod dicitur in *d. cap. Statutū*, ſcilicet, Monachū Epiſcopū vēdicare ſibi paternā hereditatem. *Vendicat enim ſibi* ait Lęl. Mancin. *apud* Barboſam *in Addit. ad Collect. dicti cap., quia diſpenſator bonorum eſt, & prouentuum dominus, vendicat tamen Eccleſiæ nomine, quia Eccleſiæ acquirit, non ſibi, acquirit tamen Eccleſiæ, ſi acquirere vult, & ſibi, nam repudiare etiam poteſt, & nolle acquirere*, quod tamen ego limitarem ad donationes mere gratuitas, non ad ſucceſſiones, quæ de iure inducuntur; ſeu ad vſumfructum, & adminiſtrationem, non verò ad proprietatem, cum enim ius acquirendi fuerit Eccleſię acquiſitum, ei Epiſcopus præiudicare non poteſt, ita Rota in dicta *deciſ.* 115. *recent. tomo* 2. *par.* 4.

215 In hac acquiſitione temporalium, ſecluſo dominio, de quo dubitatur inter Doctores an Epiſcopis etiam Sęcularibus indulgendum ſit quantum ad redditus Eccleſiaſticos; vt videre licet apud Sanchez *conſil. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 37. Eadem eſt ratio de Epiſcopo Sæculari, & Regulari, etiam ſi eſſet Franciſcanus, cum vterque poſſit eſſe hęres, ſuccęſſor, etiam ab inteſtatu, & capax bonorum temporalium, vt dixit Rota *vbi ſupra*.

216 Sed in acquirendo redditus Eccleſiaſticos vltra redditus Eccleſię Epiſcopalis, eſt inter eos magna diuerſitas, nam Epiſcopus Sæcularis, ſola diſpenſatione obtenta ſuper pluralitate beneficiorum, poteſt prouideri de beneficijs, & penſionibus à quocunque legitimo Collatore; verùm Epiſcopus Regularis indiget alia ſpeciali diſpenſatione ſoli Papæ reſeruata ſuper inca-

ca-

capacitate acquirendi nouos redditus Eccleſiaſticos, & vt prouideri poſſit de Penſionibus iuxta *cap. Quamuis, de Præbendis in 6.* ita vt ſi à Papa de aliquo ex dictis Sacerdotijs prouideretur, nulla in Bullis prouiſionis facta mentione ipſum eſſe Regularem gratia cenſeretur ſubreptitia, & nulla, etiam in conſcientia, quamuis veriſimile eſſet Papam ſciuiſſe, & aduertiſſe eum eſſe Regularem, nam in iure non præſumitur Papam omnium reminiſci, *cap. Ex parte 1 de off. & pot. Iudic. Deleg.* Ita Suarez *vbi ſupra num. 12.* & Sanchez *Decal. lib. 7. cap. 29. num. 82.* In hac tamen ſententia non tam fixum firmo pedem, quin titubem, vt dixit Caiet. 22 *quæſt. 100. artic. 7. ad tertium*, nam ſi Papa conferendo Epiſcopo Regulari Sacerdotium, præſumeretur ſciuiſſe eum eſſe Regularem, etiam nulla de hac re mentione facta, collatio valida cenſeri poſſet, Papa enim Eccleſiaſticos redditus cuicunque conferendo, intendit ſuum actum eſſe efficacem, vt dixit Palud. *in 4. diſt. 25. quæſt. 4. artic. 1.*

Illi qui tenent ſimplices Religioſos, quibus de iure communi temporale dominium non competit, capaces eſſe Penſionum, & Beneficiorum ſimplicium, contra quos diſputat Garzias *de benef. par. 7. cap. 10.* dicent conſequenter non indigere Epiſcopos Regulares illa expreſſione, quod ſunt Regulares Epiſcopi, ſi de talibus Beneficijs prouideantur; ſed tantum quod ſunt Epiſcopi, in eiſdem terminis, in quibus dixi indigere illa expreſſione Epiſcopos ſæculares.

217 Si vir Societatis poſt biennium Religioſus euaderet Epiſcopus, nec per iſtam aſſumptionem à Societate dimiſſus præſumeretur; ſed in Scholaſtici ſtatu perſeuerare ſupponeremus; certum eſt talem Epiſcopum Regularem acquirere poſſe Beneficia, & Pẽſiones Eccleſiaſticas, nulla ſuper hoc diſpenſatione obtenta, ſicut eadem poteſt retinere, non enim ſequutis Scholaſticorum Votis vacant, vt dixit Rota *in nullius, ſeu Caputaquen. Penſionis 18, Aprilis 1616. coram Martino Andrea*, certum etiam eſt talem Epiſcopum caſſare poſſe teſtamentum ante profeſſionem conditum, nam Shcolaſtici Societatis abdicato per Paupertatis Votum vſu, & adminiſtratione bonorum temporalium, dominium retinent, quod cum dicto Voto quamuis Religionis ſubſtantiali, eſſe compatibile docent paſſim Auctores Societatis præſtantiſſimi, & erudita conſultatione impreſſa oſtendit *Coloniæ anno 1637.* P. Valẽtinus Mangonius, quã poſtea ibidem duabus Apologijs publicatis propugnauit, defenditque Titium Scholaſticum
poſt

poſt biennium Religioſum in Societate potuiſſe caſſare teſtamentum,quod in fauorem Caij Fratris condiderat, & aliud in fauorem Societatis condere, idque & à Iudicibus deputatis rectiſſime actum fuiſſe pronunciatum eſt. Verùm quemcumque Epiſcopum Regularem, qui in Voto Paupertatis dominio bonorum temporalium ſe abdicauit, poſſe reuocare Teſtamentum, Donationẽ,vel Renunciationẽ factã ante profeſſionẽ,etiã iuxta formam à Sac. Conc.Trid. præſcriptam *Seſſ.25. de Regul.cap.16.* ac regreſſum habere ad omnia iura, quæ tunc dimiſerat,ſi non ſint alteri iam acquiſita,tenent Diana *vbi ſupra, & par. 12. reſol.* 104. adductis pluribus Authoribus id ſentientibus. Item Barboſa *de officio Epiſcopi par. 2. alleg. 99. num.* 15. *& de iure Eccl. lib. 1. cap. 42. num.* 242. vbi conciliat Doctores qui videntur inter ſe diſcordes, idem probat erudite Laurentius de Franchis *in ſuis Controuerſiis inter Epiſcopos, & Regulares quæſt.* 118. & Rota *in Romana de Mellinis 7. Aprilis* 1657. *coram Cerro*; immo fertur ita declaraſſe Sac.Congreg.Concilij 11.*Ianuar.* 1632. quod ſi ſubſiſteret, Epiſcopus Regularis omnia illa iura alteri non acquiſita tunc ſibi acquireret ad vſum, Eccleſiæ vero ſuæ ad dominium, vt dictum eſt, & firmat plurium Doctorum authoritate idem Barb.*loco cit. de iure Eccleſ. num.* 243. excipe renunciationem factam à Religioſo cum proteſtatione recuperandi bona renunciata in caſu, quo eum contingeret egredi de Religione, tunc enim Epiſcopus Regularis ille omnia bona,etiam alteri acquiſita recuperaret: nam illa proteſtatio feciſſet bona renunciata non fuiſſe alteri irrecuperabiliter acquiſita. Ita Barboſa ibidem cum multis.

218 Tandem inquirendum eſt an Epiſcopus Regularis, qui acquiſiuit ex induſtria, vel iure hæreditario, aut alio quouis Titulo bona, quæ ad commodam ſui ſuſtentationem ſatis eſſent, ac quibus poſſet victum, veſtitum, & ſupellectilem ſibi comparare, ſuamque familiam ſecundum ordinem, & dignitatem ſuam alere, inſuper poſſit tamquam vſufructuarium acquirere redditus Eccleſiaſticos, qui ſunt ſuo Epiſcopatui annexi, eoſque, conſeruatis ſupradictis bonis, conuertere in vſum, & commodum proprium, ex ipſis alendo familiam, & ad menſam, & ſupellectilem ſibi neceſſaria procurando, vel è contra dicendum ſit iſtos Eccleſiaſticos redditus ad vſum ſibi acquirere minime poſſe, ſed tantum vt fidelis, & purus diſpenſator debeat eoſdem integros impendere in vſum pauperum, Eccleſiæ reſtau-

ra-

Digitized by Google

rationem; ſacram ſupellectilem, & huiuſmodi pias cauſas; alia vero bona conuertere in proprium vſum, & commodum, & ſi ſecus ageret, reſoluendum ſic ipſum peccare, tum contra Votum Paupertatis, illicite theſaurizando, tum contra iuſtitiam, accipiendo, quod ſuum non eſt, tum contra charitatem, priuando præcipue pauperes ſubſidio ipſis ab Eccleſia deſtinato.

Veteres Patres ad hanc quæſtionem reſpondendo, valde rigidos fuiſſe dixit Bellar. *in opuſc. de off. Ep. Contr* 9. in cuius ſignum affert S. Proſperum *lib. 2 de vita contemplatiua, cap. 9. & ſequentibus*, vbi docet Epiſcopum non poſſe viuere de bonis Eccleſiaſticis, ſi haberet Patrimonium, niſi forte Patrimonium ſuum Eccleſiæ donaſſet, & eſſe contra Eccleſiæ intentionem habentibus dare huiuſmodi bona, cum iſtis habentibus nihil aliud ſit dare, quàm perdere, vnde concludit grauiter peccare Epiſcopum, qui cibos pauperum ſuſcipit, cum ſuis expenſis Eccleſiam grauat, quam de proprijs facultatibus iuuare debuerat, hæc S. Proſperi ſententia recenſetur 1. *quaſt.* 2. *cap. Paſtor*. Præterea adducit Bellar. S. Bernardum *in Declamat.* ſuper illa verba *Ecce nos reliquimus omnia*, vbi, inquit, *adhuc ſeuerius, & rigidius loquitur*.

Inter hos rigidos Patres connumerandus eſt etiam Sanctus Hieronymus *in Epiſtola ad Damaſum Papam*, cuius verba habentur, 1. *quaſt*. 2. *cap. Clericos*, & 16. *quæſt*. 1. *cap. fin.* vbi inquit, *qui bonis parentum, & ſuis opibus ſuſtentari poſſunt, ſi, quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant, & bibunt*. Idem aſtruitur *cap. Sacerdos* 1. *quaſt*. 2. & *cap. Illi autem* 12. *quæſt*. 1. & tenent Doctores adducti a Barboſa *de off. Epiſcopi par*. 3. *alleg*. 114. *num*. 38. & in Collect. *dicto capite Clericos*, vbi gloſſa dicit. *Si ſint tales habentes Patrimonium amplum, quod bene diſpenſant dando pauperibus, & alijs, quibus debent, tales poſſunt bene habere ſtipendia Eccleſiæ*.

219 Sed mitius locuti ſunt poſteriores Scholaſtici Doctores, quos citant Bonacina *in tract. varijs, diſp*. 4. *punct*. 2. *num*. 6. & *Barb. de offic. Epiſc. vbi ſupra num*. 36. & in Collect. ibidem *vbi ſupra*, inter quos S. Thomas 22. *quæſt*. 185. *artic*. 7. ait poſſe Epiſcopum ſibi retinere illa bona, quæ ſuæ ſuſtentationi ſunt ab Eccleſia aſſignata, quamuis peccare poſſit ex inordinato affectu plura ſibi conferendo, quàm oporteat, vel contra charitatem, dum non ſubuenit his, quibus ex debito charitatis ſubuenire tenetur, &

Caie-

Caietanus *ibidem ad tertium*, inquit, Vide quod Clericus ſeu Epiſcopus, quantumcunque habeat Patrimonialia, poteſt de Eccleſiaſtica Præbenda viuere, niſi in articulo neceſſitatis, &c. In quo etiamſi peccaret viuendo de ſua Præbenda, non peccaret tamen contra Iuſtitiam, nec teneretur ad reſtitutionem.

Ratio huius eſt, quia ſupradicti redditus Eccleſiaſtici debentur Epiſcopis vt merces operis ſui, & vt bonum proprium. Ergo non lædunt iuſtitiam ſi illos, quibus non indigent, quia habent Patrimonialia bona ad proprium commodum ſufficientia, non impendant in ſuſtentationem pauperum, vel alias pias cauſas. Probatur Antecedens *ex 1. ad Tim. 5.* vbi dicitur *dignus eſt operarius mercede ſua*, Idem habetur Matth. 10. *&* 20. & ex pluribus Canonicis Capitibus, quæ refert Barboſa *de off. Ep. vbi ſupra num. 37. & extra de teſtamentis, cap. Quorundam numero 3.* euidentur in eius ſententia conuincitur.

Concludo ergo poſſe Epiſcopum Regularem habentem bona citra redditus Epiſcopatus, quibus viuat, acquirere vſumfructum bonorum Eccleſiaſticorum, & conſeruatis ſupradictis bonis ad vſum licitum, ſibi applicare dicta bona Eccleſiaſtica, & ea in proprium vſum conuertere, quod & ex prædictis iuribus comprobatur, & tradunt grauiſſimi Doctores, quos profert Barboſa *in Collect. ad dict. cap. Quorundam.*

Ad Sanctorum authoritates, & Decreti Textus adductos in contrarium Reſpondent Doctores apud *Bonac. vbi ſupra pun. 4, num. 2.* & Barboſam *de off. Ep. etiam vbi ſupra num. 38.* & *in Collect. etiam vbi ſupra*, rigorem, quem exprimunt, congruum tunc fuiſſe, attento tempore illo antiquo, & prima Eccleſiæ Chriſtianæ facie, quando bona Eccleſiæ in communi poſſidebantur, & inter miniſtros non iuxta laborem, ſed iuxta indigentiam diuidebantur: Præterea dicta Eccleſiæ bona tunc erant ſolummodo deſtinata ad alendos pauperes Chriſtianos, & Clericos egenos, vt innuitur *cap. Certè 12. quæſt. 1.* & aduertit Soto *de iuſt. lib. 10. quæſt. 4. artic. 3.* Iniquum enim tunc fuiſſet Clericum, cui propria ſatis erant, accipere de communibus deſtinatis pro illis, qui indigebant, & ita explicandi ſunt SS. Auguſtin. Hieron. & Proſper, niſi vellemus dicere cum Suarez *de Relig. tomo primo tract. 3. lib. 4 de Simonia cap. 55. num. 8.* iſtorum Sanctorum ſententias in Decreto à Gratiano adductas non eſſe Eccleſiaſticas leges, nec facere legem poſitiuam, ſed declarare ea, quæ magis decent, Videndus Barboſa *cap. Quo-*

R *run-*

rundam ſupra adducta num. 3. & cap. Clericos 1. quæſt. 2. dicere etiam poſſem cum Gloſ. *ſuper cap. Illi ant. 12. quæſt.* 1. Textus adductos loqui de conſilio, vel de Clericis vagabundis, vel de oblationibus, quæ non ſunt communicandæ propria habentibus vitæ ſubſidia, ſeu cum Gloſſa *ſuper* dictum *cap. Clericos*, ea, quæ ſupradicti Textus continent, eſſe exhortationem, non præceptum, vel includere tantum illos, qui ſe ſubtrahunt à diuinis obſequijs, quibus danda quidem eſt portio deſtinata, ſed illi accipiendo peccant, ſi eam ex cupiditate ſibi reſeruant, ſeu tandem cum Gloſ. *in cap. fin. 16. quæſt.* 1. Textus prædictos loqui de illis Clericis, qui Eccleſiæ non ſeruiunt.

Cæterum omnes Gl. prædictæ conueniunt in docendo illos, qui inſeruiunt Eccleſiæ, poſſe ex redditibus Eccleſiaſticis viuere, nec eſſe ſub quocunque prætextu cogendos proprijs ſtipendijs militare, niſi in articulo extremæ neceſſitatis, vt dicebat Caiet. *vbi ſupra*.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Retentione bonorum temporalium Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Bona, quæ poteſt ſibi retinere Epiſcopus Regularis. 220. 221. 223. 228.

Clementis IV. Priuilegium Ordini Prædicatorum conceſſum. 222

Prælati facultas ſuper bona Religioſi, qui fit Epiſcopus. 224. 225

Si Epiſcopus dicta bona licitè retineat ad vſum, conficiat Inuentarium. 226.

Pœna ſuſpenſionis Epiſcopo ſine facultate ea retinenti comminata. 227.

Bona, quæ poteſt retinere Epiſcopus Regularis, *qui ad aliam Eccleſiam tranſit.* 229.

220 EPiſcopus Regularis retinere ſibi poteſt bona quocunq; Titulo in ſtatu Epiſcopali acquiſita ad ſuum commodum, & ad tollendas neceſſitates ſibi probabiliter euenturas, de quo mox infra, ac ſi eſſet Epiſcopus Sæcularis, & hoc importat diſpoſitio *cap. Statutum*, dum ibi dicitur, *ſibi hæreditatem vendicandi poteſta-*

ſtatem habet, hoc eſt, acquirere, tenere, impendere, & in commodum ſuum illam conuertere, quoad verò dominium, *ſibi*, hoc eſt, Eccleſiæ acquirit, vt iuxta interpretationem Gloſ. ſupra dicebam: ſed dum Epiſcopo Regulari attribuitur poteſtas retinendi bona temporalia, præſupponendum non eſt ipſum hac poteſtate vti poſſe ad eadem auare retinenda, cuſtodienda, theſaurizanda, reſpectum etiam habendo ad neceſſitates futuras, vt v. g. ad ætatem decrepitam, ſeu ad tempus, quod meditatur, depoſito Epiſcopali regimine, priuatam vitam inſtituere, & huiuſmodi, quæ rarò accidere ſolent: nam Epiſcopus Sæcularis vt ſupra theſaurizando peccat mortaliter apud Sanchez *conſil. mor. lib. 2. dub. 41. num. 12.* Epiſcopus verò Regularis inſuper Paupertatis Votum euertit.

221 De iure communi Regularis ea, quæ antequam eſſet Epiſcopus acquiſiuit, nullo modo retinere poteſt factus Epiſcopus, ſed vt in eodem *cap.* præcipitur; *quæ tunc acquiſierat*, intellige in re, non in ſpe, vt ſupra explicatum eſt) vel *habere viſus fuerat, Monaſterio relinquat, & Abbatis arbitrio*. Vtrumque etiam decreuit Greg. *lib.* 8. *Ep. Prima* ſub his verbis, loquendo de Traiano Monacho, qui Epiſcopus factus fuerat, *quicquid, poſtquam ab Abbatis ſemotus eſt officio, comparauit, vel quolibet titulo acquiſiuit, libera illi tollendi facultas ſit. Si quid autem dum adhuc illic Abbatis fungeretur officio acquiſiuit, non ſuum, ſed Monaſterij ipſius eſſe cognoſcat.* Dixi *de iure communi* nam ſi eſſet Vir Societatis Scholaſticus poſt biennium Religioſus, vti poſſet ſuæ Societatis iure in retinendo in ſtatu Epiſcopali bona temporalia, hæc enim Societas in his quæ ad Paupertatis votum pertinent, non regulatur ſemper iure communi, ſed ſuis particularibus ſtatutis ab Apoſtolica Sede confirmatis, & declaratis, vt loquitur Mangionius *in auct. ſua Apol. pro Votis Societatis, num. 9.* & cenſuit *Rota coram Martino Andrea vbi ſupra*. Quidam Canoniſtæ limitabant Textum *cap. Statutum*, ibi, *quicquid acquiſierat, &c.* ad bona acquiſita à Religioſo per ſuam induſtriam, excludebant autem bona patrimonialia, aliaque immobilia, quæ deuenerant ad Monaſterium intuitu eiuſdem perſonæ religioſę, qui ex eadem ratione excludere debuiſſent illa etiam bona, vel à parentibus, vel ab alijs Religioſo donata contemplatione ipſius, & non Monaſterij, hęc enim etiam videntur ſequi perſonam, in cuius commodum ſunt applicata de mente eorum, qui dicta bona reliquerunt, vel donauerunt. Hanc limi-

mitationem excludit Suarez *vbi ſupra num.* 22. nam vult bona quæcunque, quę in re habet Religioſus, debere Monaſterio integrum relinquere quando fit Epiſcopus, nec poſſe ea retinere in Epiſcopatu, vel ad vſum, vel ad certum tempus, & vt aliquando Monaſterio reſtituenda, nam textus Canonis eſt vniuerſalis, & dicendo, *quicquid acquiſierat, &c.* aperte comprehendit omnia, quæ quocunque modo Religioſus habet, cum fit Epiſcopus; Si vero Religioſo conſtitutus fuiſſet ab aliquo annuus redditus, quem ſingulis annis in Monaſterio conſequeretur, & iam de facto conſecutus fuiſſet, exiſtimo hunc annuum redditũ Religioſum creatum Epiſcopum poſſe ſibi retinere etiamſi de bonis Monaſterij eſſet ſoluendus, nec cenſendum per ipſius promotionem fuiſſe Monaſterio acquiſitum, niſi forte pro terminis decurſis dum eſſet purus Religioſus, & non ſolutis, nam videtur perſonę annexus, & cum eo vbique procedere, quod non obſcure inſinuat ſanctus Gregorius *in prædicta Epiſtola*, vbi de annuo redditu relicto Traiano Monacho, cum ad ſtatum Epiſcopalẽ fuiſſet aſſumptus, ita decreuit, *& ideo de iure illud, quod antedictum fratrem noſtrum Capitulana conditrix ſupradicti Monaſterij ſingulis annis de eodem Monaſterio per vltimam voluntatem ſuam habere conſtituit, experientia tua, ſolatiante, iuſtitia faciente, ſine aliqua faciat dilatione percipere.*

222 Accedit ad hęc Priuilegium conceſſum à Clemente IV. Ord. Prędic. quod refert S. Antoninus *in Trac. de ſuſpenſione cap. 4. num.* 20. & ad verbum ex Archiuio Ord. Prædic. excriptum dedit nobis Fontana *vbi ſupra*, ibi pręcipitur Religioſis ex dicto Ordine aſſumptis ad Epiſcopatum, quod priuſquam conſecrentur, reſignent Ordini libros, & alia, quę habent, alioquin eo ipſo ab executione Pontificalis miniſterij nouerint ſe ſuſpenſos. Idem Priuilegium fertur conceſſum Ordini Minorum ab Alexandro IV. vt innuit Hieronymus Rodericus *q. q. regul. reſol. 60. num.* 7. Ex quo Priuilegio clare patet nunquam licuiſſe Religioſis cuiuſcunque ſint Ordinis vel Inſtituti, electis Epiſcopis, ſecum libros, & alia bona extra Monaſterium aſportare, ſed ea conſignare ſemper debuiſſe in integrum Monaſterio, vtpote bona aliena, quæ retineri non poſſunt inuito domino. Nam Papa in dicto Priuilegio dicit *Religioſos, qui talia agunt, non conſideraſſe, quòd ex profeſſione nihil proprij habent, tamen præſumunt ſecum ſupradicta portare, & ſuis vſibus applicare in propriæ ſalutis diſpendium, & in non modicum ſui Ordi-*

nis

Digitized by Google

nis detrimentum; hoc autem verificari poteſt in omnibus Religioſis, & per illud tollitur omnis limitatio ſupradicti *Canonis Statutum*;ſicut enim quilibet Religioſus nihil habet proprij, ſiue illud eſſet acquiſitum ex induſtria, ſiue proueniret aliunde, ita omnia debet in manibus Abbatis reſignare factus Epiſcopus.

223 At Clemens conceſſit expreſſe in ſua Conſtitutione dictis Fratribus Ord. Prędicatorum Epiſcopis ſecum ferre poſſe à Monaſterio quaternulos, & illas cartulas, vel membranas, in quibus ipſi certa notabilia cum aliquibus priuatis ſermonibus collegerunt; exiſtimo inſuper tacite eiſdem conceſſiſſe, quod ſecum ferre poſſent omnes veſtes, quas deponunt, dum Epiſcopales induunt, nam ex quadam vrbanitate nunquam putandum eſt eis dictas veſtes Religionem cedere noluiſſe; Pręterea ſuſpicor Clementem prohibere noluiſſe iſtum Religioſum Epiſcopũ ferre ſecum non poſſe libros, quibus plures notationes marginales proprio ſtudio adiunxit, & inſtrumenta, ſi quę haberet, ad artificiatum aliquod conſtruendum, quę non facile iterum inuenire poſſet, nam omnia iſta de iure, vel conſuetudine ſecum ferri poſſe à quocunque Religioſo, vel ad Epiſcopatum, vel ad aliam Religionem tranſeunte, patebit inferius.

224 Tandem declarauit ibidem Clemens Priorem Conuentus Ord. Prędic. ex quo Religioſus aſſumitur in Epiſcopum, poſſe eidem concedere vſum librorum, & bonorum, quę conſignari ante conſecrationem mandauerat, tantum ad certum tempus, per quam expręſſionem conceſſionis vſus huiuſmodi ad certum tempus puto ablatam non fuiſſe à Pręlatis dicti Ordinis facultatem concedendi Fratribus Epiſcopis, quin illa bona retinere poſſint vſque ad tempus mortis, dummodo poſt illud tem-
225 pus Monaſterio reſtituerẽtur. Nec etiã puto eiſdẽ Pręlatis denegatam fuiſſe facultatem donandi eiſdem Fratribus Epiſcopis ea omnia, quę in dicto Priuilegio exprimuntur, ſi iuſtus, & rationabilis titulus adeſſet, vt ſi donarent titulo remunerationis pro beneficijs à Religioſo Epiſcopo receptis; menſura tamen meritorum ſeruata, vel donarent habita ratione ad maiorem ſummam à Parentibus Religioſi Epiſcopi Ordini eius intuitu legatam, vel donarent ſub alijs ſimilibus circunſtantijs, quas enumerat Theſaurus de *Pęnis, verbo, munera, cap.* 10. tunc enim dicti Pręlati ſuo Religioſo ad Epiſcopatum aſſumpto illa bona ita donare, & libere, ac perpetuo remittere poſſe credo,

vt

Digitized by Google

vt liceret illi Epiſcopo Religioſo ſibi ea abſolute applicare, amiſſa ab Ordine omni ſpe eadem amplius recuperandi, huic ſententię nullum obſtare ius, vel Apoſtolicum ſtatutum, nec etiam Bullam Clementis VIII. quę largitionem munerum cum magno rigore Regularibus prohibuit, tenet cum alijs adductis idem Theſaurus *vbi ſupra*, eamque ſatis conſonam eſſe patet ad humanum conuictum, qui gratitudinem exigit, cum huiuſmodi ſigna maxime erga benefactores deſerere ſine vitio ingratitu-
226 dinis eſſe non poſſit. In caſu vero, quo Regulari Epiſcopo a Prelato vſus bonorum, quę habet dum aſſumitur, concederetur ad tempus, vel vſque ad mortem, ne morte occurrente Monaſterium defraudaretur, teneretur tactus Epiſcopus cōdere inuentarium authenticum omnium illorum bonorum, ſi enim per hoc inuentarium non probaretur plene bona illa ad Monaſterium pertinere, Camera Apoſtolica haberet optimam coniecturam pręſumendi ea acquiſita fuiſſe ex redditibus Eccleſię, vt probat Barboſa *in Collect. 12. quaſt. 1. cap. ſint manifeſta, num. 3. & de pec. Cler. cap. Inueſtigandum, & cap. Cum vnuſquiſque*. Vnde hac pręſumptione communita, illa cum cęteris ſibi iuſte applicaret excluſo Monaſterio ita cum Alzed. & Petei. ſentit idem Barboſa *in addit. ad Collect. diſt. 28. cap. De Syracuſana*.
227 Nota illam pęnam ſuſpenſionis ab exercitio muneris Pontificalis impoſitam Regulari Epiſcopo in ſupracitata Conſtitutione Clementis IV. pro Prędicatoribus, quę fortaſſe etiam exprimitur in Conſtitutione Alexandri IV. pro Minoribus; *Si non conſignet, &c* extendi non poſſe ad alios Religioſos, qui non ſunt Ordinis Prędicat. vel Minorum; ſunt enim Conſtitutiones odioſę; Igitur alij Religioſi tenentur quidem ad reſtitutionem, ſi illa bona aſportauerunt, vt ſupra, tamen non incidunt in ſuſpenſionem, in quam etiam nec incidit Religioſus ex Ordine Prędic. vel Minorum, ſi ſit tantum Epiſcopus electus, & confirmatus, non autem conſecratus, quamuis a confirmatione fuerit ab obedientia Ordinis exemptus, vt ſupra dixi, nam Papa conſecratis tantum pœnam imponit, vt ex Bullę textu conſtat.

Nota ſecundo ſuſpenſionem illam Papę reſeruatam non eſſe, vt S. Antoninum tradidiſſe refert Bonac. *Tomo 3. de ſuſpenſionibus in particulari, diſp. 3. quaſt. 8. pun. 17*, quod patet ex eodem Bullę textu.

Nota tertiò, quod quamuis verbum, *eo ipſo*, in dicta Bulla

ex-

expreſſum indicet illam ſuſpenſionem eſſe latę ſententię, attamen tres exiguntur conditiones ad talem ſuſpenſionem incurrendam, *prima*, quod adſit præſumptio in Religioſo Epiſcopo, dum illos libros, & bona aſportat, dicit enim Papa, *nos præſumptioni huiuſmodi volentes ſalubriter refragari*. *Secunda*, quod ipſi Religioſi noſcant ſe id agendo, in talem ſuſpenſionem incidere, dicit enim Papa, *Alioquin eo ipſo ab executione Pontificalis miniſteri} nouerint ſe ſuſpenſos*, *Tertia*, quod id fiat non conſentiente Priore Conuentus, ex quo Religioſus aſſumitur, conſentiente enim Priore, poteſt illa bona retinere, vt in illa Conſtitutione declaratur, & ſupra, dum de modo retentionis bonorum ageretur, dictum eſt. Ergo Religioſus factus Epiſcopus non incideret in illam pœnam ſuſpenſionis, ſi vſibus proprijs applicaret, quæ habet quando conſecratur Epiſcopus, eaque ſecum aſportaret, bona fide, ſeu ex ignorata, vel non conſiderata dicta Papæ prohibitione ſub tali pęna facta, vel id faceret de conſenſu Prælati, ſi non expræſſo, ſaltem interpretato, ita vt ſibi certo perſuaderet, quod ſi à Prælato id poſtulaſſet, Prælatus conceſſiſſet, in tali enim caſu nulla intercederet præſumptio, quam quælibet bona fides, & ignorantia, dummodo non eſſet affectata, excuſat, vt dicitur in materia de Cenſuris; nec deeſſet Prælati conſen ſus, qui ſi non expræſſe, ſaltim interprætatiue præcederet.

228. Queres. An Religioſus Epiſcopus factus ex alio Ordine quam Prædic. vel Minorum, poſſit ſecum ferre quaternos illos, & cartulas, quas Papa concedit dictorum Ordinum Religioſis. Ratio dubitandi eſt, quia nec iſta ſunt alicuius Religioſi propria, nec poteſt tamquam propria ea ſibi Religioſus quicunque vendicare, at Papa declarat præſumptuoſum eſſe Religioſum Epiſcopum, qui ſecum affert ea, quæ non ſunt ſibi propria, idque ſi faciat, cedere in ſuæ ſalutis detrimentum, maxime cum etiam iſta poſſint eſſe magni prætij, vnde graue detrimentum pateretur Monaſterium illa amittendo. Ergo ſi prædicta ſecum deferat Religioſus Epiſcopus, qui non ſit ex illis Ordinibus, vel in illorum Ordinum priuilegijs non communicet, erit præſumptuoſus, & conſequenter peccabit, & tenebitur ad reſtitutionem, nam illi Papa non concedit vt poſſit ea ſecum ferre, ſicut dictis Religioſis Prædicatoribus, & Minoribus conceſſit.

Verum exiſtimo poſſe quemcumque Religioſum factum Epi-

ſco-

ſcopum ſecum ferre huiuſmodi ſcripta, quæ ipſi ſunt ſingularia, ſeu propria induſtria fuere compoſita, & ordinata, etiamſi magni prætij crederentur; nam hæc ſecundùm communem extimationem ſequuntur perſonam. Idem dicerem de aliquo libro, in quo Religioſus haberet notationes in margine ſtudio proprio ibidem adiunctas in adminiculum memoriæ, & commodum ſuæ eruditionis. Idem dicerem de inſtrumento artis, quo Religioſus ſingulariter vteretur ad aliquod artificium conficiendum, cui æquale non haberet extra Monaſterium, vel nullo modo, vel non niſi cum aliquo labore, vel expenſa, aliud ſimile poſſet inuenire. Totum hoc probo, nam congruum videtur Religioſum non remanere priuatum ſupradictis, quæ ut pium, & laudabile vitæ ſuæ ſolatium ſibi comparauit, nec cenſendum eſſe puto id fieri cum aliqua culpa, cum conſuetudo Religioſo faueat, & conſenſus Religionis interpretari poſſit omnino adeſſe, non enim penſari debet illam adeo rigidum erga temporalia bona affectum habere, vt ſuum Religioſum, qui ad Epiſcopatum tranſit, dictis bonis priuare intendat. Vnde Gregorius *vbi ſupra* Traiano Monacho, & Epiſcopo permiſit ſecum de Monaſterio tollere Codices ſuos, & ſui Patris, inquit enim, *ratio nos hoc negare non pertulit*.

Idem tandem dico de habitu, & veſtitu, quem ſecum fert Religioſus quiſque, dum illum immutat in Epiſcopalem, nec teneri credo ad Religioni reſtituendum, vt ſupra dixi de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus. De Sancto Thoma di Villanoua Epiſcopo Regulari hæc narrantur in eius vita *lib. 2. cap. 2. Andò veſtito per lo ſpatio di molt'anni eſſendo Arciueſcouo de medemi habiti, che portò dal ſuo conuento*.

Confirmatur ex eo, quod docet Suarez *Tomo 4. de Rel. tract. 8. lib. 3. cap. 13. num. 8. &c.* de Religioſis ad aliam Religionem tranſlatis, nam, ſicut iſti in ſententia huius Doctoris non tenentur ſupradicta in priori Religione deſerere, eadem ratione cenſendum eſt neque teneri eos, qui de Monaſterio tranſeunt ad Epiſcopatum.

229 De bonis, quæ Epiſcopus Regularis retinere poteſt, cum de vna Eccleſia ad aliam transfertur, vel Epiſcopatum dimittit, patebit *cap. ſequenti, §. 2.* modo breuiter dico, bona illa, ſi ſint acquiſita ex redditibus Eccleſiæ, quam dimittit, relinquere debere eidem Eccleſiæ, aliunde vero conquiſita, poterit ſibi in integrum retinere; ſi vero dimittendo Eccleſiam, de nullo, ſeu

ſibi

ſibi neceſſario ſubſidio non prouideretur, nec illud haberet aliunde, puto eum poſſe retinere etiam bona ex redditibus Eccleſiæ, quam dimittit, acquiſita in tanta quantitate, quæ ad viuendum iuxta ſuam conditionem arbitrio boni viri eſſet ſibi neceſſaria.

PVNCTVM TERTIVM.

De vſu bonorum temporalium Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Sententia Soto, aliorumque de vſu bonorum temporalium Epiſcopi Regularis. 230
Verior ſententia Nauarri. 231
S. Thomæ ſententia expenditur. 232
Non eſt idem acquirere, & iure dominij poſſidere. 232
Vſus bonorum temporalium Epiſcopi Regularis. 233
Non pugnat cum Paupertate. 234
In hoc vſu diſcrimen inter Epiſcopos Regulares, & Sæculares. 235
Diuiſio bonorum Eccleſiaſticorum. 236
Vſus horum bonorum eſt ad Cauſas pias. 237
Culpa, & obligatio ad reſtitutionem. 239
Vſus bonorum quæ neceſſarios ſumptus excedunt. 240
Granadi notanda ſententia.

230 SI amplecteremur ſententiam Soto, quam tradit *de iuſt. lib. 17. quæſt. 4. art. 2. & in vltimo art. totius tractatus*, aliorumque modernorum, quos refert Diana, ſed non ſequitur *par. 3. tract. 2. reſ. 50. par. 5. tract. 2. reſol. 64. & tract. 8. reſ. 31. & par. 12. reſol.* 104. dominium bonorum temporalium æque attribuere deberemus Epiſcopo Regulari, ac Sæculari; Vnde dominium, quod eſt in Epiſcopo Regulari dictorum bonorum, eſſet dicendum abſolutum, & indeterminatum, ipſeque iſta bona inſumere poſſet ſine vlla iuſtitiæ læſione in quoſcunque vſus, etiam ad cauſam illicitam, & in malum finem; ita enim poteſt quilibet dominus ſine læſione iuſtitiæ vti re ſua; Igitur tunc Epiſcopus Regularis non peccaret niſi contra charitatem, dum, verbi gratia, pauperibus non ſubueniret, vel ex nimio affectu,

rationem; ſacram ſupellectilem, & huiuſmodi pias cauſas; alia vero bona conuertere in proprium vſum, & commodum, & ſi ſecus ageret, reſoluendum ſit ipſum peccare, tum contra Votum Paupertatis, illicite theſaurizando, tum contra iuſtitiam, accipiendo, quod ſuum non eſt, tum contra charitatem, priuando præcipue pauperes ſubſidio ipſis ab Eccleſia deſtinato.

Veteres Patres ad hanc quæſtionem reſpondendo, valde rigidos fuiſſe dixit Bellar. *in opuſc. de off. Ep. Contr* 9. in cuius ſignum affert S. Proſperum *lib.* 2 *de vita contemplatiua, cap.* 9. *& ſequentibus*, vbi docet Epiſcopum non poſſe viuere de bonis Eccleſiaſticis, ſi haberet Patrimonium, niſi forte Patrimonium ſuum Eccleſiæ donaſſet, & eſſe contra Eccleſiæ intentionem habentibus dare huiuſmodi bona, cum iſtis habentibus nihil aliud ſit dare, quàm perdere, vnde concludit grauiter peccare Epiſcopum, qui cibos pauperum ſuſcipit, cum ſuis expenſis Eccleſiam grauat, quam de proprijs facultatibus iuuare debuerat, hæc S. Proſperi ſententia recenſetur 1. *quæſt.* 2. *cap. Paſtor*. Præterea adducit Bellar. S. Bernardum *in Declamat.* ſuper illa verba *Ecce nos reliquimus omnia*, vbi, inquit, *adhuc ſeuerius, & rigidius loquitur*.

Inter hos rigidos Patres connumerandus eſt etiam Sanctus Hieronymus *in Epiſtola ad Damaſum Papam*, cuius verba habentur, 1. *quæſt.* 2. *cap. Clericos, &* 16. *quæſt.* 1. *cap. fin.* vbi inquit, *qui bonis parentum, & ſuis opibus ſuſtentari poſſunt, ſi, quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant, & bibunt*. Idem aſtruitur *cap. Sacerdos* 1. *quæſt.* 2. *& cap. Illi autem* 12. *quæſt.* 1. & tenent Doctores adducti à Barboſa *de off. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 114. *num.* 38. & in Collect. *dicto capite Clericos*, vbi gloſſa dicit. *Si ſint tales habentes Patrimonium amplum, quod benè diſpenſant dando pauperibus, & alijs, quibus debent, tales poſſunt benè habere ſtipendia Eccleſiæ*.

219 Sed mitius locuti ſunt poſteriores Scholaſtici Doctores, quos citant Bonacina *in tract. varijs, diſp.* 4. *punct.* 2. *num.* 6. *& Barb. de offic. Epiſc. vbi ſupra num.* 36. & in Collect. ibidem *vbi ſupra*, inter quos S. Thomas 22. *quæſt.* 185. *artic.* 7. ait poſſe Epiſcopum ſibi retinere illa bona, quæ ſuæ ſuſtentationi ſunt ab Eccleſia aſſignata, quamuis peccare poſſit ex inordinato affectu plura ſibi conferendo, quàm oporteat, vel contra charitatem, dum non ſubuenit his, quibus ex debito charitatis ſubuenire tenetur, &

Caie-

Caietanus *ibidem ad tertium*, inquit, Vide quod Clericus ſeu Epiſcopus, quantumcunque habeat Patrimonialia, poteſt de Eccleſiaſtica Præbenda viuere, niſi in articulo neceſſitatis, &c. In quo etiamſi peccaret viuendo de ſua Præbenda, non peccaret tamen contra Iuſtitiam, nec teneretur ad reſtitutionem.

Ratio huius eſt, quia ſupradicti redditus Eccleſiaſtici debentur Epiſcopis vt merces operis ſui, & vt bonum proprium. Ergo non lædunt iuſtitiam ſi illos, quibus non indigent, quia habent Patrimonialia bona ad proprium commodum ſufficientia, non impendant in ſuſtentationem pauperum, vel alias pias cauſas. Probatur Antecedens *ex 1. ad Tim. 5.* vbi dicitur *dignus eſt operarius mercede ſua*, Idem habetur Matth. 10. & 20. & ex pluribus Canonicis Capitibus, quæ refert Barboſa *de off. Ep. vbi ſupra num. 37. & extra de teſtamentis, cap. Quorundam numero 3.* euidenter in eius ſententia conuincitur.

Concludo ergo poſſe Epiſcopum Regularem habentem bona citra redditus Epiſcopatus, quibus viuat, acquirere vſumfructum bonorum Eccleſiaſticorum, & conſeruatis ſupradictis bonis ad vſum licitum, ſibi applicare dicta bona Eccleſiaſtica, & ea in proprium vſum conuertere, quod & ex prædictis iuribus comprobatur, & tradunt grauiſſimi Doctores, quos profert Barboſ. *in Collect. ad dict. cap. Quorundam.*

Ad Sanctorum authoritates, & Decreti Textus adductos in contrarium Reſpondent Doctores apud *Bonac. vbi ſupra pun. 4, num. 2.* & Barboſam *de off. Ep. etiam vbi ſupra num. 38.* & *in Collect. etiam vbi ſupra*, rigorem, quem exprimunt, congruum tunc fuiſſe, attento tempore illo antiquo, & prima Eccleſiæ Chriſtianæ facie, quando bona Eccleſiæ in communi poſſidebantur, & inter miniſtros non iuxta laborem, ſed iuxta indigentiam diuidebantur: Præterea dicta Eccleſiæ bona tunc erant ſolummodo deſtinata ad alendos pauperes Chriſtianos, & Clericos egenos, vt innuitur *cap. Certè 12. quæſt. 1.* & aduertit Soto *de iuſt. lib. 10. quæſt. 4. artic. 3.* Iniquum enim tunc fuiſſet Clericum, cui propria ſatis erant, accipere de communibus deſtinatis pro illis, qui indigebant, & ita explicandi ſunt SS. Auguſtin. Hieron. & Proſper, niſi vellemus dicere cum Suarez *de Relig. tomo primo tract. 3. lib. 4 de Simonia cap. 55. num. 8.* iſtorum Sanctorum ſententias in Decreto à Gratiano adductas non eſſe Eccleſiaſticas leges, nec facere legem poſitiuam, ſed declarare ea, quæ magis decent, Videndus Barboſa *cap. Quorun-*

Digitized by Google

rundam ſupra adducto num. 3. & cap. Clericos 1. *quæſt.* 2. dicere etiam poſſem cum Gloſ. *ſuper cap. Illi aut.* 12. *quæſt.* 1. Textus adductos loqui de conſilio, vel de Clericis vagabundis, vel de oblationibus, quæ non ſunt communicandæ propria habentibus vitæ ſubſidia, ſeu cum Gloſſa *ſuper* dictum *cap. Clericos*, ea, quæ ſupradicti Textus continent, eſſe exhortationem, non præceptum, vel includere tantum illos, qui ſe ſubtrahunt à diuinis obſequijs, quibus danda quidem eſt portio deſtinata, ſed illi accipiendo peccant, ſi eam ex cupiditate ſibi reſeruant, ſeu tandem cum Gloſ. *in cap. fin.* 16. *quæſt.* 1. Textus prædictos loqui de illis Clericis, qui Eccleſiæ non ſeruiunt.

Cæterum omnes Gl. prædictæ conueniunt in docendo illos, qui inſeruiunt Eccleſiæ, poſſe ex redditibus Eccleſiaſticis viuere, nec eſſe ſub quocunque prætextu cogendos proprijs ſtipendijs militare, niſi in articulo extremæ neceſſitatis, vt dicebat Caiet. *vbi ſupra*.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Retentione bonorum temporalium Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Bona, quæ poteſt ſibi retinere Epiſcopus Regularis. 220. 221. 223. 228.

Clementis IV. Priuilegium Ordini Prædicatorum conceſſum. 222

Prælati facultas ſuper bona Religioſi, qui fit Epiſcopus. 224. 225

Si Epiſcopus dicta bona licitè retineat ad vſum, conficiat Inuentarium. 226.

Pœna ſuſpenſionis Epiſcopo ſine facultate ea retinenti comminata. 227.

Bona, quæ poteſt retinere Epiſcopus Regularis, qui ad aliam Eccleſiam tranſit. 229.

220 EPiſcopus Regularis retinere ſibi poteſt bona quocunq; titulo in ſtatu Epiſcopali acquiſita ad ſuum commodum, & ad tollendas neceſſitates ſibi probabiliter euenturas, de quo mox infra, ac ſi eſſet Epiſcopus Sæcularis, & hoc importat diſpoſitio *cap. Statutum*, dum ibi dicitur, *ſibi hæreditatem vendicandi poteſta-*

ſta-

Digitized by Google

ſtatem habet, hoc eſt, acquirere, tenere, impendere, & in commodum ſuum illam conuertere, quoad verò dominium, *ſibi*, hoc eſt, Eccleſiæ acquirit, vt iuxta interpretationem Gloſ. ſupra dicebam: ſed dum Epiſcopo Regulari attribuitur poteſtas retinendi bona temporalia, præſupponendum non eſt ipſum hac poteſtate vti poſſe ad eadem auare retinenda, cuſtodienda, theſaurizanda, reſpectum etiam habendo ad neceſſitates futuras, vt v. g. ad ætatem decrepitam, ſeu ad tempus, quod meditatur, depoſito Epiſcopali regimine, priuatam vitam inſtituere, & huiuſmodi, quæ raro accidere ſolent: nam Epiſcopus Sæcularis vt ſupra theſaurizando peccat mortaliter apud Sanchez *conſil. mor. lib. 2. dub. 41. num. 12.* Epiſcopus verò Regularis inſuper Paupertatis Votum euertit.

221 De iure communi Regularis ea, quæ antequam eſſet Epiſcopus acquiſiuit, nullo modo retinere poteſt factus Epiſcopus, ſed vt in eodem *cap.* præcipitur; *qua tunc acquiſierat*, intellige in re, non in ſpe, vt ſupra explicatum eſt) vel *habere viſus fuerat, Monaſterio relinquat, & Abbatis arbitrio*. Vtrumque etiam decreuit Greg. *lib. 8. Ep. Prima* ſub his verbis, loquendo de Traiano Monacho, qui Epiſcopus factus fuerat, *quicquid, poſtquam ab Abbatis ſemotus eſt officio, comparauit, vel quolibet titulo acquiſiuit, libera illi tollendi facultas ſit. Si quid autem dum adhuc illic Abbatis fungeretur officio acquiſiuit, non ſuum, ſed Monaſterij ipſius eſſe cognoſcat.* Dixi *de iure communi* nam ſi eſſet Vir Societatis Scholaſticus poſt biennium Religioſus, vti poſſet ſuæ Societatis iure in retinendo in ſtatu Epiſcopali bona temporalia, hæc enim Societas in his quæ ad Paupertatis votum pertinent, non regulatur ſemper iure communi, ſed ſuis particularibus ſtatutis ab Apoſtolica Sede confirmatis, & declaratis, vt loquitur Mangionius *in auct. ſua Apol. pro Votis Societatis, num. 9.* & cenſuit *Rota coram Martino Andrea vbi ſupra*. Quidam Canoniſtæ limitabant Textum *cap. Statutum*, ibi, *quicquid acquiſierat, &c.* ad bona acquiſita à Religioſo per ſuam induſtriam, excludebant autem bona patrimonialia, aliaque immobilia, quæ deuenerant ad Monaſterium intuitu eiuſdem perſonæ religioſę, qui ex eadem ratione excludere debuiſſent illa etiam bona, vel à parentibus, vel ab alijs Religioſo donata contemplatione ipſius, & non Monaſterij, hęc enim etiam videntur ſequi perſonam, in cuius commodum ſunt applicata de mente eorum, qui dicta bona reliquerunt, vel donauerunt. Hanc li-

Digitized by Google

mitationem excludit Suarez *vbi ſupra num.* 22. nam vult bona quæcunque, quę in re habet Religioſus, debere Monaſterio in integrum relinquere quando fit Epiſcopus, nec poſſe ea retinere in Epiſcopatu, vel ad vſum, vel ad certum tempus, & vt aliquando Monaſterio reſtituenda, nam textus Canonis eſt vniuerſalis, & dicendo, *quicquid acquiſierat, &c.* aperte comprehendit omnia; quæ quocunque modo Religioſus habet, cum fit Epiſcopus; Si vero Religioſo conſtitutus fuiſſet ab aliquo annuus redditus, quem ſingulis annis in Monaſterio conſequeretur, & iam de facto conſecutus fuiſſet, exiſtimo hunc annuum redditum Religioſum creatum Epiſcopum poſſe ſibi retinere etiamſi de bonis Monaſterij eſſet ſoluendus, nec cenſendum per ipſius promotionem fuiſſe Monaſterio acquiſitum, niſi forte pro terminis decurſis dum eſſet purus Religioſus, & non ſolutis, nam videtur perſonę annexus, & cum eo vbique procedere, quod non obſcure inſinuat ſanctus Gregorius *in prædicta Epiſtola*, vbi de annuo redditu relicto Traiano Monacho, cum ad ſtatum Epiſcopalē fuiſſet aſſumptus, ita decreuit, *& ideo de iure illud, quod antedictum fratrem noſtrum Capitulana conditrix ſupradicti Monaſterij ſingulis annis de eodem Monaſterio per vltimam voluntatem ſuam habere conſtituit, experientia tua ſolatiante, iuſtitia faciente, ſine aliqua faciat dilatione percipere.*

222 Accedit ad hęc Priuilegium conceſſum à Clemente IV. Ord. Prędic. quod refert S. Antoninus *in Trac. de ſuſpenſione cap.* 4. *num.* 20. & ad verbum ex Archiuio Ord. Prædic. excriptum dedit nobis Fontana *vbi ſupra*, ibi pręcipitur Religioſis ex dicto Ordine aſſumptis ad Epiſcopatum, quod priuſquam conſecrentur, reſignent Ordini libros, & alia, quę habent, alioquin eo ipſo ab executione Pontificalis miniſterij nouerint ſe ſuſpenſos. Idem Priuilegium fertur conceſſum Ordini Minorum ab Alexandro IV. vt innuit Hieronymus Rodericus *q. q. regul. reſol. 60. num.* 7. Ex quo Priuilegio clare patet nunquam licuiſſe Religioſis cuiuſcunque ſint Ordinis vel Inſtituti, electis Epiſcopis, ſecum libros, & alia bona extra Monaſterium aſportare, ſed ea conſignare ſemper debuiſſe in integrum Monaſterio, vtpote bona aliena, quæ retineri non poſſunt inuito domino. Nam Papa in dicto Priuilegio dicit *Religioſos, qui talia agunt, non conſideraſſe, quòd ex profeſſione nihil proprij habent, tamen præſumunt ſecum ſupradicta portare, & ſuis vſibus applicare in propriæ ſalutis diſpendium, & in non modicum ſui Ordinis*

Digitized by Google

nis detrimentum, hoc autem verificari poteſt in omnibus Religioſis, & per illud tollitur omnis limitatio ſupradicti *Canonis Statutum*; ſicut enim quilibet Religioſus nihil habet proprij, ſine illud eſſet acquiſitum ex induſtria, ſiue proueniret aliunde, ita omnia debet in manibus Abbatis reſignare factus Epiſcopus.

223 At Clemens conceſſit expreſſe in ſua Conſtitutione dictis Fratribus Ord. Prędicatorum Epiſcopis ſecum ferre poſſe à Monaſterio quaternulos, & illas cartulas, vel membranas, in quibus ipſi certa notabilia cum aliquibus priuatis ſermonibus collegerunt; exiſtimo inſuper tacite eiſdem conceſſiſſe, quod ſecum ferre poſſent omnes veſtes, quas deponunt, dum Epiſcopales induunt, nam ex quadam vrbanitate nunquam putandum eſt eis dictas veſtes Religionem cedere noluiſſe; Pręterea ſuſpicor Clementem prohibere noluiſſe iſtum Religioſum Epiſcopū ferre ſecum non poſſe libros, quibus plures notationes marginales proprio ſtudio adiunxit, & inſtrumenta, ſi quę haberet, ad artificiatum aliquod conſtruendum, quę non facile iterum inuenire poſſet, nam omnia iſta de iure, vel conſuetudine ſecum ferri poſſe à quocunque Religioſo, vel ad Epiſcopatum, vel ad aliam Religionem tranſeunte, patebit inferius.

224 Tandem declarauit ibidem Clemens Priorem Conuentus Ord. Prędic. ex quo Religioſus aſſumitur in Epiſcopum, poſſe eidem concedere vſum librorum, & bonorum, quę conſignari ante conſecrationem mandauerat, tantum ad certum tempus, per quam expręſſionem conceſſionis vſus huiuſmodi ad certum tempus puto ablatam non fuiſſe à Pręlatis dicti Ordinis facultatem concedendi Fratribus Epiſcopis, quin illa bona retinere poſſint vſque ad tempus mortis, dummodo poſt illud tem-
225 pus Monaſterio reſtituerētur. Nec etiā puto eiſdē Pręlatis denegatam fuiſſe facultatem donandi eiſdem Fratribus Epiſcopis ea omnia, quę in dicto Priuilegio exprimuntur, ſi iuſtus, & rationabilis titulus adeſſet, vt ſi donarent titulo remunerationis pro beneficijs à Religioſo Epiſcopo receptis; menſura tamen meritorum ſeruata, vel donarent habita ratione ad maiorem ſummam à Parentibus Religioſi Epiſcopi Ordini eius intuitu legatam, vel donarent ſub alijs ſimilibus circunſtantijs, quas enumerat Theſaurus de *Pęnis, verbo, munera, cap.* 10. tunc enim dicti Prelati ſuo Religioſo ad Epiſcopatum aſſumpto illa bona ita donare, & libere, ac perpetuo remittere poſſe credo,

vt

Digitized by Google

vt liceret illi Epiſcopo Religioſo ſibi ea abſolute applicare, amiſſa ab Ordine omni ſpe eadem amplius recuperandi, huic ſententię nullum obſtare ius, vel Apoſtolicum ſtatutum, nec etiam Bullam Clementis VIII. quę largitionem munerum cum magno rigore Regularibus prohibuit, tenet cum alijs adductis idem Theſaurus *vbi ſupra*, eamque ſatis conſonam eſſe patet ad humanum conuictum, qui gratitudinem exigit, cum huiuſmodi ſigna maxime erga benefactores deſerere ſine vitio ingratitu-
226 dinis eſſe non poſſit. In caſu vero, quo Regulari Epiſcopo a Pręlato vſus bonorum, quę habet dum aſſumitur, concederetur ad tempus, vel vſque ad mortem, ne morte occurrente Monaſterium defraudaretur, teneretur factus Epiſcopus cōdere inuentarium authenticum omnium illorum bonorum, ſi enim per hoc inuentarium non probaretur plene bona illa ad Monaſterium pertinere, Camera Apoſtolica haberet optimam coniecturam pręſumendi ea acquiſita fuiſſe ex redditibus Eccleſię, vt probat Barboſa *in Collect. 12. quaſt. 1. cap. ſint manifeſta, num. 3. & de pec. Cler. cap. Inueſtigandum, & cap. Cum vnuſquiſque*. Vnde hac pręſumptione communita, illa cum cęteris ſibi iuſte applicaret excluſo Monaſterio ita cum Alzed. & Petei. ſentit idem Barboſa *in addit. ad Collect. diſt. 28. cap. De Syracuſanæ*.

227. Nota illam pęnam ſuſpenſionis ab exercitio muneris Pontificalis impoſitam Regulari Epiſcopo in ſupracitata Conſtitutione Clementis IV. pro Prędicatoribus, quę fortaſſe etiam exprimitur in Conſtitutione Alexandri IV. pro Minoribus; *Si non conſignet, &c* extendi non poſſe ad alios Religioſos, qui non ſunt Ordinis Prędicat. vel Minorum; ſunt enim Conſtitutiones odioſę; Igitur alij Religioſi tenentur quidem ad reſtitutionem, ſi illa bona aſportauerunt, vt ſupra, tamen non incidunt in ſuſpenſionem, in quam etiam nec incidit Religioſus ex Ordine Prędic. vel Minorum, ſi ſit tantum Epiſcopus electus, & confirmatus, non autem conſecratus, quamuis a confirmatione fuerit ab obedientia Ordinis exemptus, vt ſupra dixi, nam Papa conſecratis tantum pœnam imponit, vt ex Bullę textu conſtat.

Nota ſecundo ſuſpenſionem illam Papę reſeruatam non eſſe, vt S. Antoninum tradidiſſe refert Bonac. *Tomo 3. de ſuſpenſionibus in particulari, diſp. 3. quaſt. 8. pun. 17*, quod patet ex eodem Bullę textu.

Nota tertiò, quod quamuis verbum, *eo ipſo*, in dicta Bulla

ex-

expreſſum indicet illam ſuſpenſionem eſſe latę ſententię, attamen tres exiguntur conditiones ad talem ſuſpenſionem incurrendam, *prima*, quod adſit præſumptio in Religioſo Epiſcopo, dum illos libros, & bona aſportat, dicit enim Papa, *nos præſumptioni huiuſmodi volentes ſalubriter reſragari*. *Secunda*, quod ipſi Religioſi noſcant ſe id agendo, in talem ſuſpenſionem incidere, dicit enim Papa, *Alioquin eo ipſo ab executione Pontificalis miniſterij nouerint ſe ſuſpenſos*, *Tertia*, quod id fiat non conſentiente Priore Conuentus, ex quo Religioſus aſſumitur, conſentiente enim Priore, poteſt illa bona retinere, vt in illa Conſtitutione declaratur, & ſupra, dum de modo retentionis bonorum ageretur, dictum eſt. Ergo Religioſus factus Epiſcopus non incideret in illam pœnam ſuſpenſionis, ſi vſibus proprijs applicaret, quæ habet quando conſecratur Epiſcopus, eaque ſecum aſportaret, bona fide, ſeu ex ignorata, vel non conſiderata dicta Papæ prohibitione ſub tali pęna facta, vel id faceret de conſenſu Prælati, ſi non expræſſo, ſaltem interprætato, ita vt ſibi certo perſuaderet, quod ſi à Prælato id poſtulaſſet, Prælatus conceſſiſſet, in tali enim caſu nulla intercederet præſumptio, quam quælibet bona fides, & ignorantia, dummodo non eſſet affectata, excuſat, vt dicitur in materia de Cenſuris; nec deeſſet Prælati conſen ſus, qui ſi non expræſſe, ſaltim interprætatiue præcederet.

228. Queres. An Religioſus Epiſcopus factus ex alio Ordine quam Prædic. vel Minorum, poſſit ſecum ferre quaternos illos, & cartulas, quas Papa concedit dictorum Ordinum Religioſis. Ratio dubitandi eſt, quia nec iſta ſunt alicuius Religioſi propria, nec poteſt tamquam propria ea ſibi Religioſus quicunque vendicare, at Papa declarat præſumptuoſum eſſe Religioſum Epiſcopum, qui ſecum affert ea, quæ non ſunt ſibi propria, idque ſi faciat, cedere in ſuæ ſalutis detrimentum, maxime cum etiam iſta poſſint eſſe magni pretij, vnde graue detrimentum pateretur Monaſterium illa amittendo. Ergo ſi prædicta ſecum deferat Religioſus Epiſcopus, qui non ſit ex illis Ordinibus, vel in illorum Ordinum priuilegijs non communicet, erit præſumptuoſus, & conſequenter peccabit, & tenebitur ad reſtitutionem, nam illi Papa non concedit vt poſſit ea ſecum ferre, ſicut dictis Religioſis Prædicatoribus, & Minoribus conceſſit.

Verum exiſtimo poſſe quemcumque Religioſum factum Epiſco-

ſcopum ſecum ferre huiuſmodi ſcripta, quæ ipſi ſunt ſingularia, ſeu propria induſtria fuere compoſita, & ordinata, etiamſi magni prætij crederentur; nam hæc ſecundùm communem extimationem ſequuntur perſonam. Idem dicerem de aliquo libro, in quo Religioſus haberet notationes in margine ſtudio proprio ibidem adiunctas in adminiculum memoriæ, & commodum ſuæ eruditionis. Idem dicerem de inſtrumento artis, quo Religioſus ſingulariter vteretur ad aliquod artificium conficiendum, cui æquale non haberet extra Monaſterium, vel nullo modo, vel non niſi cum aliquo labore, vel expenſa, aliud ſimile poſſet inuenire. Totum hoc probo, nam congruum videtur Religioſum non remanere priuatum ſupradictis, quæ in pium, & laudabile vitæ ſuæ ſolatium ſibi comparauit, nec cenſendum eſſe puto id fieri cum aliqua culpa, cum conſuetudo Religioſo faueat, & conſenſus Religionis interpretari poſſit omnino adeſſe, non enim penſari debet illam adeo rigidum erga temporalia bona affectum habere, vt ſuum Religioſum, qui ad Epiſcopatum tranſit, dictis bonis priuare intendat. Vnde Gregorius *vbi ſupra* Traiano Monacho, & Epiſcopo permiſit ſecum de Monaſterio tollere Codices ſuos, & ſui Patris, inquit enim, *ratio nos hoc negare non pertulit*.

Idem tandem dico de habitu, & veſtitu, quem ſecum fert Religioſus quiſque, dum illum immutat in Epiſcopalem, nec teneri credo ad Religioni reſtituendum, vt ſupra dixi de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus. De Sancto Thoma di Villanoua Epiſcopo Regulari hæc narrantur in eius vita *lib. 2. cap. 2. Andò veſtito per lo ſpatio di molt'anni eſſendo Arciueſcouo de medemi habiti, che portò dal ſuo conuento*.

Confirmatur ex eo, quod docet Suarez *Tomo 4. de Rel. tract. 8. lib. 3. cap. 13. num. 8. &c.* de Religioſis ad aliam Religionem translatis, nam, ſicut iſti in ſententia huius Doctoris non tenentur ſupradicta in priori Religione deſerere, eadem ratione cenſendum eſt neque teneri eos, qui de Monaſterio tranſeunt ad Epiſcopatum.

229 De bonis, quæ Epiſcopus Regularis retinere poteſt, cum de vna Eccleſia ad aliam transfertur, vel Epiſcopatum dimittit, patebit *cap. ſequenti, §. 2.* modo breuiter dico, bona illa, ſi ſint acquiſita ex redditibus Eccleſiæ, quam dimittit, relinquere debere eidem Eccleſiæ, aliunde vero conquiſita, poterit ſibi in integrum retinere, ſi vero dimittendo Eccleſiam, de nullo, ſeu

ſibi

Digitized by Google

ſibi neceſſario ſubſidio non prouideretur, nec illud haberet aliunde, puto eum poſſe retinere etiam bona ex redditibus Eccleſiæ, quam dimittit, acquiſita in tanta quantitate, quæ ad viuendum iuxta ſuam conditionem arbitrio boni viri eſſet ſibi neceſſaria.

PVNCTVM TERTIVM.

De vſu bonorum temporalium Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Sententia Soto, aliorumque de vſu bonorum temporalium Epiſcopi Regularis. 230
Verior ſententia Nauarri. 231
S. Thomæ ſententia expenditur. 232
Non eſt idem acquirere, & iure dominij poſſidere. 232
Vſus bonorum temporalium Epiſcopi Regularis. 233
Non pugnat cum Paupertate. 234
In hoc vſu diſcrimen inter Epiſcopos Regulares, & Sæculares. 235
Diuiſio bonorum Eccleſiaſticorum. 236
Vſus horum bonorum eſt ad Cauſas pias. 237
Culpa, & obligatio ad reſtitutionem. 239
Vſus bonorum quæ neceſſarios ſumptus excedunt. 240
Granadi notanda ſententia.

230 SI amplecteremur ſententiam Soto, quam tradit *de iuſt. lib. 17. quæſt. 4. art. 2. & in vltimo art. totius tractatus*, aliorumque modernorum, quos refert Diana, ſed non ſequitur *par. 3. tract. 2. reſ. 50. par. 5. tract. 2. reſol. 64. & tract. 8. reſ. 31. & par. 12. reſol.* 104. dominium bonorum temporalium æque attribuere deberemus Epiſcopo Regulari, ac Sæculari; Vnde dominium, quod eſt in Epiſcopo Regulari dictorum bonorum, eſſet dicendum abſolutum, & indeterminatum, ipſeque iſta bona inſumere poſſet ſine vlla iuſtitiæ læſione in quoſcunque vſus, etiam ad cauſam illicitam, & in malum finem; ita enim poteſt quilibet dominus ſine læſione iuſtitiæ vti re ſua; Igitur tunc Epiſcopus Regularis non peccaret niſi contra charitatem, dum, verbi gratia, pauperibus non ſubueniret, vel ex nimio affectu,

Digitized by Google

ſeu inordinato modo vtendi læderet temperantiam. Sed ego
231 ſequor ſententiam Nauarri, quam expreſſit *Tract. de red. Eccl. mon. 8. num. 2. & mon. 21.* cum quo dico omnes Epiſcopos carere dominio bonorum Eccleſiaſticorum, eoſque eſſe tantum vſufructuarios, ac diſpenſatores; Diſtinguuntur quidem Epiſcopi Sæculares à Regularibus, quia Sæculares aliorum bonorum non Eccleſiaſticorum ſunt domini, at Regulares etiam bonorum non Eccleſiaſticorum ſunt pariter vſufructuarij, & adminiſtratores; ſed ſicut vſum dictorum bonorum Eccleſiaſticorum cuiuſcunque Epiſcopi etiam Sæcularis limitat Idem Nauarrus ad cauſas pias, excluſo quocunque vſu profano, etiam non malo, & aliàs honeſto, ita ego vſum omnium bonorum qui eſt apud Epiſcopum Regularem limitandum eſſe crederem ad cauſas tantum pias, excluſa quacunque alia cauſa etiam honeſta, ſed non pia, hoc autem aliquam exceptionem admittere, infra patebit.

232 Soto pro ſua ſententia putat habere validum fundamentum in D. Th. qui *22. quæſt. 185. artic. 6. ad ſecundum* dixit Ambroſium, Athanaſium, & Auguſtinum proprijs ſumptibus vixiſſe, poſtea *artic. 7.* inquit *Epiſcopos vti redditibus Eccleſiaſticis ſicut proprijs*, iam ergo videtur, inquit Soto, S. Doct. ſenſiſſe Epiſcopos habere dominium redditum Eccleſiaſticorum, cùm illos dicit proprijs ſumptibus vixiſſe, & hoc verificari voluiſſe etiam in Epiſcopis Regularibus, cùm Auguſtinum, qui erat Epiſcopus Regularis, inter ſupradictos Epiſcopos numeret. Præterea *cap. Statutum* dicitur Monachum factum Epiſcopum eſſe hæredem legitimum bonorum paternorum, & ſibi ea vendicare; Ergo eſt eorundem bonorum dominus, hoc enim inſinuat legitimum hæredem eſſe, & bona ſibi vendicare. Sed iam ſupra dictum eſt S. Thom. ibi loqui de redditibus, quos attribuit Epiſcopo tamquam proprios, non quantum ad dominium, ſed tantum ad vſum, poteſt enim libere illis vti in ſuas occurrentes neceſſitates, & ad cauſas pias, veluti illis vtebantur Apoſtoli poſt Domini Aſcentionem, quos dixi habuiſſe Votum Paupertatis, & illis vſi ſunt omnes Regulares Epiſcopi, qui virtutum ſplendore in Eccleſia præfulſere: Sac. verò Canon *Statutum* conſtituit quidem Monachum Epiſcopum legitimum hæredem ad acquirendum, non vero ad iure dominij poſſidendum, vt ſupra dicebam.

Relicta ergo Soti, aliorumque modernorum ſententia, amplector,

ſtor, quam tradidiſſe Nauarrum commemoraui; quæ quamuis nunc apud Doctores non ſit adeo communis prout concernit Epiſcopos Sæculares, vt oſtendit Sanchez *conſil. moral. lib. 2. cap. 2. dub.* 37. attamen prout concernit Epiſcopos Regulares à pluribus viris pietate, & ſcientia præclaris acceptatur, & ſine dubitatione etiam apud eos, qui oppoſitum ſentiunt, tutior eſt, & conſulenda, vnde

233 Dico *primò* Epiſcopum Regularem habere tantum vſum omnium bonorum tam patrimonialium, quam Eccleſiaſticorum; Excludo Scholares Societatis poſt biennium Religioſos reſpectu bonorum patrimonialium, iuxta dicta puncto ſuperiori.

Probatur. Nam Epiſcopus Regularis remanet Voto Paupertatis aſtrictus, vt ſupra probatum eſt; Ergo non habet niſi vſum quorumcumque bonorum, ſi enim haberet bonorum dominium, non remaneret pauper ex Voto ſolemni.

234 Nota vſum iſtum, qui confertur Epiſcopo Regulari ex vi tit. Epiſc. eſſe independentē ex natura rei à quocunque Superiore præter Sum. Pontificem. Ita decernitur *in cap. Statutum*, quem Textum ſic intelligit *Gl.* ibi verbo *Legitimus*, & ſentit S. Th. 22. *quæſt.* 188. *artic.* 8. *ad tertium*, quem ſequuntur communiter ſapientiores Doctores, & quamuis hęc independentia pugnet cum Voto Paupertatis ſimplicis Regularis, qui ſemper habet in ſuo Ordine Superiorem, vnde non poteſt eſſe nec quidem in Generali alicuius Religionis; quia etiam ipſe eſt ſaltem à Capitulo Generali dependens; tamen in Epiſcopo Regulari cum eodem Voto non pugnat, nam poteſt à Sum. Pontifice ea de cauſa, ex qua Voto obedientię eſt Regularis Epiſcopus illi ſubiectus, iſte vſus, qui de facto non limitatur, limitari, & hęc poſſibilis limitatio facit quòd vſus iſte, qui in Epiſcopo Regulari amplior eſt quam in Generali Religionis, quia poteſt ei à Superiori Capitulo Generali intra eandem Religionem limitari, ſit compatibilis cum Voto Paupertatis etiam Sum. Pontificis, ſi eſſet Regularis, quamuis per accidens in ipſo nulla poſſet reperiri vſus iſtius limitatio, cum Summus Pontifex Superiore careat in ſenſu compoſito cum Pontificatu, vt dictum eſt

235 Dico *ſecundò*. Vſus, quem habet Epiſcopus Regularis quorumcumque bonorum, coincidit quoad ſubſtantialia cum eo, quem habet Epiſcopus Sæcularis bonorum Eccleſiaſticorum. Ita Barboſa cum magna Doctorum manu dicta *allegat.* 114. *num.* 22.

Probat. Nam S. Th. vbi ſupra in illo *art. 7.* ita loquitur de omnibus Epiſcopis: *Eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores, vel procuratores, dicit enim Auguſtinus ad Bonifacium, ſi priuatum poſſidemus bonum, quod nobis ſufficiat; non illa bona noſtra ſunt, ſed illorum, quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damnabili vindicemus.*

236 S. Doctor ibidem diſtinguit bona Eccleſiaſtica ex 12, *quæſt. 2.* in plures portiones, quarum vna eſt Epiſcopi, altera fabricę Eccleſię, & miniſtrorum, altera pauperum, & dicit *Epiſc. vti poſſe portione ſibi deputata, ac ſi eſſent bona propria, ſi verò de alijs portionibus ſibi aliquid retineret, eſſet obligatus ad reſtitutionem; vbi verò bona Eccleſiaſtica non ſunt ita diſtincta, Epiſcopi bonę fidei committuntur. Vnde ſi in eorum vſu Epiſcopus parum excedat, non videtur per hoc fieri bonæ fidei detrimentum; ſi verò exceſſus fuerit multus, id bonæ fidei repugnabit, & peccabit mortaliter*: ad huius doctrinæ maiorem explicationem.

237 Dico *tertiò* vſus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ Epiſcopo Sæculari deſtinantur, & quorumcunque bonorum, quæ ſunt Epiſcopo Regulari aſſignata, debet eſſe pręter congruam ſuſtentationem, ad pias tantum cauſas, ita Doctores, quos adducit Sanchez vbi ſupra quo ad Epiſcopos Sæculares.

Dixi *primò, pręter ſuam congruam ſuſtentationem*, ſub qua comprehendo victum, & ornatum domus, ſuorumque famulorum ſalarium, & aſſidui, ac fidelis obſequij iuſtam mercedem, hæc tamen iudico non eſſe procuranda attenta nobilitate natalium Epiſcopi; ſed iuxta ſtatus Eccleſiaſtici exigentiam, in quo Epiſcopi omnes debent eſſe pares, etiamſi vnus eſſet origine plebeius, & alius filius Regis; niſi quidam exceſſus eſſet neceſſarius ad Eccleſiæ etiam vniuerſalis vtilitatem, & dignitatis ſplendorem; Sanchez *conſil. moral. lib. 2. dub. 41. num. 9. & c.* Vult Epiſcopum filium Regis, ſi non poteſt ex bonis aliunde prouenientibus, poſſe ex redditibus Eccleſiæ, ſi hęc non indigeat, deducere neceſſaria ad decentiam ſtatus ſui, nedum vt Epiſcopi, ſed etiam vt filij Regis: comprehendo cum Bonacina *vbi ſupra num. 11. & 12.* nomine ſuſtentationis, & vſus bonorum Eccleſiaſticorum, etiam erogationem in non adeo magnifica munera, & in moderata conuiuia, dum excipiuntur hoſpites etiam ditiſſimi, & amici non indigentes, in remunerationem pro acceptis obſequijs. Item in permiſſos ludos, aliaſq; honeſtas recreationes, ſpectata Epiſc. Regularis conditione, & huiuſmodi, quę debent

bent inter neceſſaria computari, cum ſint ad ſocialem, & amicabilem vitam omnino requiſita, ſi enim in his aliquis exceſſus occurreret, non multum præiudicaretur Epiſcopi bonę fidei, cui Eccleſiaſtici redditus committuntur, & ideo exceſſus iſte eſſet ad ſummum peccatum veniale. Ita Siluius 22. *quaeſt.* 185. *artic.* 7. *concl.* 5.

238 Dixi ſecundò, *vſum bonorum Eccleſiaſticorum eſſe debere ad pias tantum cauſas*; quia per me vſus iſte eſſe non poteſt ad cauſas profanas quod firmaſſe videtur Rota coram Bichio *in Romana Cenſus* 27. *Maij* 1652. & antea Sac. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Refor. cap. primo* ita decreuerat, *omnino verò eis*, ſcilicet, Epiſcopis, *interdicitur, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant, cum Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, iis vt pauperibus diſtribuant.* Ex quibus verbis clarè patet redditus Eccleſiaſticos ſuperabundantes neceſſitati Epiſcopi applicandos eſſe tantum ad pauperum ſuſtentationem, Eccleſiæ reparationem, & ſimilia pietatis opera, non verò ad conſanguineos, familiareſque ditandos, quamuis hæc eſſet cauſa honeſta, ſed non pia, multo minus licebit Epiſcopis theſaurizare, vt puncto ſuperiori dicebam, multam turbam famulorum alere, in Ludis, Conuiuijs, & Venationibus pecuniam perdere, aut in extruendis, vel ornandis Palatijs, & Hortis more Regum, theſauros Eccleſiæ inſumere, vt dixit Bellarmin. *de off. Ep. cont.* 9. In his autem omnibus perſiſto in illa attendenda differentia inter Epiſcopos Sæculares, & Regulares. Sicut enim ſupra dicebam, poſſunt Sęculares Epiſcopi ſine graui culpa excedere aliquantulum in ſupellectile, familia, & huiuſmodi, immo eos condecet quidam mundanus ſplendor in prędictis, ſi ſit moderatus, & aſſumptus ad reuerentiam authoritatis indicendam, vt ait S. Th. *quodlib.* 10. *artic.* 14. Sed Regulares Epiſcopi, quos decet etiam in Epiſcopali ſtatu in his omnibus quoddam humilitatis ſpecimen pręferre, ſi in his aliquantulum excedant, grauiter peccabunt: Vnde dicendum eſt plus poſſe Epiſcopum Sęcularem expendere in profanis, quę eius ſtatui non multum repugnant, etiamſi aliquaſiter in eis excedat, quàm Regularis, qui tenetur ad obſeruantiam Voti Paupertatis, cui illa ſupellex, familia, & mundanus ſplendor contradicit, ideo rectè inquit Card. Lugo *reſp. mor. lib.* 5. *diſp.* 12. *n.* 7. *cum ergo ſupponamus Papam non diſpenſare cũ Epiſcopo Religioſo in Voto ſolemni*

ni paupertatis, ſed ſolum dare illi licentiam generalem ad vſum, & adminiſtrationem bonorum, non poſſunt excuſari à Voti violatione Epiſcopi Regulares, qui pretioſa nimis ſupellectile vtuntur, & quæ excedat nimis modeſtiam, qua Epiſcopus Religioſus gradum propriæ dignitatis decenter, & honeſte ſuſtineat. Multoque minus excuſantur ſi familiam ex paraſitis, venatoribus, & muſicis refertam habeant, quæ vix in Principe Sæculari approbari poſſunt, longe verò à ſtatu Apoſtolico Religioſi Prælati abeſſe debent.

239 Dico *quarto*. Si Epiſcopi Sęculares bonis Eccleſiaſticis, & Regulares cęteris etiam bonis vtantur in profanos vſus, ſed honeſtos, peccare quidem mortaliter, ſed non teneri ad reſtitutionem, ſi vero eiſdem bonis vtantur in vſus malos, & illicitos, peccare etiam mortaliter, attamen probabile eſt eos teneri, & probabile eſt eos non teneri tunc ad reſtitutionem.

Dicere potuiſſem cum Bellarmin. *vbi ſupra, parum referre, vtrum Prælatus damnetur ad Inferos, quia peccauit contra iuſtitiam, an quia peccauit contra charitatem, non benè diſtribuendo facultates ſuas*; ſed vt huius diſputationis ſeries obſeruetur, probanda eſt concluſio per ſingulas partes.

Probatur quoad *primam partem*; Nam pręceptum Eccleſię eſt expreſſum in Conc. Trid. *loco adducto*, vt Epiſcopi vtantur dictis bonis ad vſus pios, eaque diſtribuant pauperibus, quod etiam exigit charitas, vt patet, ergo peccant mortaliter ſecus agendo, nam in re graui Eccleſię non obediunt, & charitatis pręcepto contradicunt. In hoc autem Regularis grauius peccat, quia, ne dum facit contra Eccleſię Decretum, & charitatem, ſed etiam contra Votum Paupertatis, quod non admittit vſum temporalium, niſi ſit ad cauſas pias, vt probabilius cenſent Doctores.

Probatur *ſecunda pars*. Quia Eccleſia commiſit Epiſcopi bonę fidei illos redditus, ita vt ratum habeat, & validum quicquid ipſe de eis fecerit, ergo ſupponendum eſt Eccleſiam condonare Epiſcopo eoſdem redditus, etiamſi illos expenderet in vſus profanos, ſed honeſtos.

Probatur *tertia pars*. Primò ex *gloſ. in cap. Clericos 1. quæſt. 2.* verbo *Accipiunt*, vbi ſic explicat Textum Canonis, ibi, *ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, accipiunt* inquit, *& in malos vſus conuertunt*.

Probatur *ſecundò*. Nam Epiſcopus expendendo redditus Eccleſiæ in illicitos vſus, diſſipat Eccleſiæ bona, ergo peccat mor-

mortaliter, *neque enim conuiuiorum ſplendor, aut lautities illi eſt licita, neque alius domeſticus apparatus*, inquit Bellarmin. *vbi ſupra*. Nam, vt ait Hieronym. s. *De Altari illis viuere fas eſt, non luxuriari*. Vnde non ſatisfacit ſuæ obligationi Epiſcopus ſæcularis, qui peccauit cum Meretrice, eique notabilem pecuniam dedit, hæc ſimpliciter referendo in confeſſione, ſed inſuper exprimere debet illam pecuniam fuiſſe de redditibus Eccleſiaſticis, quia hæc circunſtantia addit illi peccato notabilem malitiam, & in Epiſcopo Regulari, qui ex bonis quibuſcunque talem pecuniam dediſſet, vt ſupra, vlterius adderet malitiam ſacrilegij, quia contra votum egiſſet; oppoſitum tenet Fagundez *in ſeptimum Præcep. Decal. lib. 7. cap. 6. verſ. Inquiri etiam poteſt*, vbi ait Epiſcopum Regularem, ſi in illicitos vſus expendat, peccabit, validè tamen expendet, illud autem peccatum non erit contra votum Paupertatis; nec ſacrilegium, ſed erit inſtar peccati aliorum ſæcularium, dum illicitè ſua bona expendunt.

Probatur *quarta pars*. Nam inquit S. Thom. *vbi ſupra*. vſurpantes redditus Eccleſiaſticos eſſe obligatos ad reſtitutionem, ſed qui expendit redditus Eccleſiaſticos in vſus illicitos, vſurpant redditus Eccleſiaſticos, ergo tenentur ad reſtitutionem; patet conſequentia, probatur Minor; nam Eccleſia inuita, & contradicente expenduntur dicta bona in vſus illicitos; ergo vſurpantur, ex quo ſequitur talem Epiſcopum ludentem notabilem quantitatem pecuniæ teneri ad reſtitutionem, quia lædit iuſtitiam, & qui lucratur, tenetur etiam ad reſtitutionem, quia ab Epiſcopo accepit, quod ſuum non erat.

Probatur tandem *quinta pars*, quam inſinuat Sanctus Thomas *quodl. 6. artic. 22. ad tertiam*. Nam Bagnes 22. *quæſt.* 62. *artic.* 5. *dub.* 5. dicit validam eſſe donationem pecuniæ factam à Religioſo Meretrici de licentia interpretatiua Prælati. Item ſecundum Molinam *lib. 2. de iuſt. diſp. 276. num. 4.* quem poſtea plures alij ſecuti ſunt, Religioſus eiectus, ſi expendat bona, quæ licitè habet, in vſus illicitos, non tenetur ad reſtitutionem, ergo multo magis nec Epiſcopus, quod confirmat Sanctarellus *de Apoſtaſ. cap. 6. dub. 2. num.* 12. dum ait Religioſos eiectos habere commoditatem, & adminiſtrationem bonorum independenter à Prælatis Religionis, ergo poſſunt de illis diſponere etiam ad vſus illicitos, ac ſi eſſent ſæculares, hanc autem independentiam habet ſanctiori titulo etiam Epiſcopus; vnde Diana.

nia *par.* 5. *tract.* 2. *reſolut.* 64. *& tract.* 8. *reſolut.* 31. docet cum Hurtado, Granado, Dualio, & alijs, bona Eccleſiaſtica eſſe omnino ſuppoſita voluntati omnium Epiſcoporum; ita vt quicquid fecerint, Eccleſia ratum habeat, & validum, etiam quoad dominij tranſactionem, addit Bonaccina *vbi ſupra pun.* 4. *num.* 2. vſum eſſe ius vtendi aliqua re, ſalua illius ſubſtantia; vſumfructum verò eſſe ius vtendi, & fruendi eadem re, quapropter, cum Epiſcopus Regularis ſit vſufructuarius bonorum Eccleſiaſticorum, cæterorumque, poterit eis frui ad ſuum arbitrium, eaque inſumere in omnibus ſibi placitis, ac alienare omni eo modo, quo à iure non prohibeatur. & ideo ſi dictis bonis fruatur ad malos, & illicitos vſus à iure ſpecialiter non prohibitos, non tenetur ad reſtitutionem.

Verumtamen, vt dicebam, difficile videtur Eccleſiam ratam habere diſſipationem ſuorum bonorum, & validum eſſe velle abuſum eorundem, nec Epiſcopos deuorantes id, quod in pauperum ſuſtentationem eſt deſtinatum, & mala fide expendentes, ac vſurpantes ea, quorum ſunt adminiſtratores, cenſere ab obligatione reſtitutionis exemptos.

240 Sed ſi Epiſcopus præcipuè Regularis minus ſumeret de redditibus Eccleſiæ, quos in ſuam competentem ſuſtentationem poterat licitè expendere, vtrum id, quod minus ſumit, poſſit in quæuis opera, & quoquo modo voluerit applicare, negat Abulenſis *in cap.* 6. *Matth. q.* 37. apud Acugnam *cap. Qui venatoribus* 1. *diſt.* 86. affirmant Bonac. *loco ſupracitato punct.* 3. *num.* 2. cum allegatis, loquendo de Clerico beneficiato, & Lezana *tomo* 2. *de Reg. cap.* 17. *num.* 6. cum Nauarro, & Sanchez; ſed ego cum Granado, & communi inter Doctores pronunciato, vt ipſe loquitur loco mox citando, dicerem opera, in quibus tales redditus ille Epiſcopus Regularis inſumit, eſſe debere pia; nam firmiter ſentio cum Innoc. *cap. Quia nos de teſtam.* & *cap. Quoniam, Ne Prælati vices*, redditus ſuperabundantes ad honeſtam Epiſcopi ſuſtentationem non poſſe neque Epiſcopos Sæculares, neque Regulares expendere ſine culpa in vſus profanos, multo minus in illicitos, & malos, quod egregie confirmat idem Granado *in* 22. S. Th. *con.* 3. *tract.* 12. *diſp.* 3. *num.* 21. vbi ita ſcribit. *Si poſt congruam ſuſtentationem, & eleemoſinam in quantitate dicta, & opera pietatis, in quibus magna latitudo eſt, velit Eccleſiaſticus notabilem aliam quantitatem ex redditibus Beneficij ſibi reſeruare ad vſus non pios, ſed vanam oſtentationem, aut ſuperfluita-*

tatem, me non videre, quo iure, aut titulo excuſentur à culpa lethali; nam Sacros Canones Eccleſiaſtica bona propterea patrimonium Dei appellant, quia in miniſtrorum Dei ſuſtentatione, & pijs operibus inſumenda ſunt, & abſurdum eſt exiſtimare non eſſe contra intentionem, & iuſtiſſimam voluntatem Eccleſiæ, quod hæc accipiantur ab Eccleſiaſticis, vt prodigè, & vanè inſumantur.

PVNCTVM QVARTVM.

De facultate Epiſcopi Regularis Donandi, & Teſtandi.

SVMMARIVM.

Bona quæ Epiſcopus donare, & teſtari poteſt. 241
Agitur de Epiſcopo Regulari. 242
Eius donationes inter viuos expenduntur. 243
Doctores, qui Epiſcopo Regulari concedunt poſſe teſtari. 244
Verius eſt oppoſitum. 245
Poteſt Papa hoc illi concedere. 246
Sed ex iuſta cauſa. 247
Succeſſores Epiſcopi Regularis ab inteſtato. 248
Recenſentur explicanda in licentia teſtandi. 249
Hæc licentia non ſpirat per mortem concedentis. 250
Huius licentiæ aliæ circunſtantiæ, & effectus, ibidem.
Poteſt Papa reſcindere Teſtamentum Epiſcopi Regularis habentis teſtandi facultatem. 251
Conſuetudo teſtandi includit Epiſcopos Regulares. 252

241 LOquor de Epiſcopis Regularibus, qui in Voto Paupertatis à ſe abdicarunt dominium bonorum temporalium, nā de his, qui cum dicto Voto dominium retinent, dixi *ſupra num.* 117. Teſtari potuiſſe ne dum Epiſcopos Regulares, verum & ſimplices Regulares ante Conſtitutionem Gregorij Magni relatam 19. *quæſt.* 3. *cap. Quia ingredientibus, & cap. Perlatum eſt*, docent aliqui Doctores, quia putant antiquis illis temporibus Paupertatis Votum vſum tantum temporalium bonorum, non vero dominium excluſiſſe; in dictis vero Conſtitutionibus poſtea à Greg. IX. *extra de Teſtamentis cap. Quia ingredientibus*, confirmatis, volunt, ne dum ſimplices Religioſos, ve-

rum etiam Epiſcopos Religioſos inhabilitatos fuiſſe ad teſtandum, iureque ſuorum bonorum dominium ad alios poſt mortem tranſmittendi deſtitutos.

Bona, quæ acquiſiuit Epiſcopus Sæcularis ex Eccleſiæ redditibus prouenientia, præcipuè, quæ ſuæ ſuſtentationi aſſignantur, vel quæ erogatis eleemoſinis, & ſupportatis alijs pijs oneribus, ad quæ Epiſcopus tenetur, ſuperſunt, eum donare poſſe inter viuos, non verò cauſa mortis, neque teſtari docent communiter Doctores, idque certiſſimum eſſe dicit Sanchez *conſil. moral. lib. 2. cap. 2. dub. 51.* adductis aliquibus textibus ex vtroque iure: quidam tamen vel abſolute illis hoc concedunt, ea computantes inter bona patrimonialia, veluti ex propria induſtria acquiſita, alij ſub varijs diſtinctionibus dubium reſoluunt, quas expendit Barboſa *de off. Epiſcopi par. 3. alleg. 114. num. 10. Et in Collect. de teſtam. cap. Quorundam num. 6.* Ego ſum in illorum ſententia, qui negant Epiſcopum Sæcularem de quibuſcunque bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ poſſe teſtari, eaque ad poſteros donatione cauſa mortis tranſmittere, hæc enim bona cenſentur acquiſita Eccleſiæ *cap. Epiſcopi: cap. Manifeſte 12. quæſt. 1. cap. Placuit, eadem quæſt. 3. cap. Fixum. eadem, quæſt. 5.* Vnde de illis moriens diſponere nequit, *cap. Sint manifeſta; eadem, quæſt. 1. & de Pec. Cleric. cap. Inueſtigandum, & cap. Cum vnuſquiſque.* Donare vero poſſe eadem bona inter viuos cum communi concedo, dummodo tamen donatio facta ſit ad cauſas pias, vel ſaltem honeſtas, nam quaſcunque donationes ad cauſas malas, & illicitas factas, neque licitas, neque validas credo, quamuis probabiliter oppoſitum ſuſtineri poſſe etiam affirmarem propter authoritatem ſupra allegatorum Doctorum, qui tales donationes, ſicut & bonorum Eccleſiaſticorum vſum ad illicitos, & malos fines admittunt.

242 Attamen loquendo de Religioſo Epiſcopo, Dico iſtum nullo modo teſtari poſſe neque de bonis ex Eccleſiaſticis redditibus acquiſitis, neque de alijs quocumque modo ad eius perſonam pertinentibus, nihilque donare poſſe cauſa mortis, cum enim donatio cauſa mortis, & teſtamentum non niſi poſt mortem incipiat valere, & dictus Epiſcopus habeat tantum adminiſtrationem, ſeu vſum quoruncunque bonorum, quæ morte interueniente ceſſant, ſequitur euidenter ipſum nullum habere ius diſponendi poſt mortem de dictis bonis. Ita Barboſa *in Collect. extra de teſtam. cap. ſupradicto num. 7. & de iure Eccleſ. lib. 1. cap. 42. num. 211.* adductis authorum grauiſſimorum locis,

cis, in quibus hoc ipſum oſtendunt. Inter viuos vero poſſe Regularem Epiſcopum donare, & diſponere de ſuis bonis, ad cauſas tamen pias, vel ſaltem honeſtas, eadem amplitudine, qua poteſt Epiſcopus Sæcularis, probat idem Barboſa ſecutus plurium aliorum ſententiam *de off. Epiſcopi par. 3. alleg. 114. num. 22.* Sed quando inſtante morte, Epiſcopi de facto donant ea, quę donare poſſunt inter viuos, maxime ſi donatio eſſet moderata, ſeu intuitu eleemoſinæ, vel alterius cauſę piæ, idque fieret irreuocabili traditione, donatio valet, etiamſi actualis traditio rei donatæ non interceſſiſſet ante mortem Epiſcopi donantis, ſi verò donatio eſſet immoderata, ſeu non intuitu eleemoſinæ, vel alterius cauſæ pię, ſeu ſi fieret reuocabili traditione, v. gr. ſub hac conditione, dono ſi modo moriar, nulla eſſet donatio, & quia in donationibus factis inſtante morte hęc conditio pręſumi poteſt appoſita, Miniſtri Camerę Apoſtolicę eas reijcere ſolent. Videndi Sanchez *vbi ſupra dub.* 53. & Barboſa *num.* 34. *&* 35. *loco cit. ex tract. de offic. Epiſcopi, & voto Can.* 101. *num.* 18. qui dictas donationes in infirmitate factas expendunt, & volunt eas ſuſtineri poſſe, ſi factę fuiſſent ad cauſas pias, ſeu titulo remunerationis, vel ratione prę ſtiti obſequij, ſeu ſeruitij; at Barboſa *num.* 16. tenet inualidas eſſe donationes, quas quocunque tempore inter viuos faceret Epiſcopus Regularis, ſi ſibi reſeruaret rei donatę vſumfructum ſua vita durante.

243 Deinde donationes inter viuos, etiam extra periculum mortis factę ab Epiſcopo Regulari ad fauorem alterius, quam Eccleſię ſuæ, exempli gratia, ad fauorem ſuorum conſanguineorum, familiarium, vel etiam ſuę Religionis, ſi conſiſtant in magna pecunię quantitate, vel Prędijs, Domibus, aut alijs rebus magni prętij, videntur eſſe inualidę, & teneri donatarios ad reſtitutionem, prout ſentiunt Doctores, quos allegat Barboſa in eodem *Voto Canon* 101. *num.* 11. dixi *de donationibus magni pretij*: quia exiſtimo non poſſe ex redditibus Eccleſiaſticis Epiſcopos Sæculares, Regulares verò ex illis, & alijs bonis augere ſuos conſanguineos, familiares, &c. emendo ad fauorem eorum agros, dominia, pretioſam ſupellectilem, &c. quod prohibetur in *cap. diſtin.* 86. infra allegando, & 12. *quæſt. 2. cap. Quiſquis Epiſcopus*; ſed ſi Epiſcopi conſanguinei eſſent plebeij, vel notabiliter pauperes, in hoc caſu puto Epiſcopos poſſe eis dare, ne dum vt attento ſuo ſtatu non indigerent, vt ſupra dicebam *num.* 237. verum & vt eos augerent ſuperfluis ad terminum

Digitized by Google

tamen, & illam menſuram, vt dictis bonis aucti, iam non eſſent perſonæ Epiſcopi dedecori: Ita Siluius *vbi ſupra* cum Nauarro, & Maldero, & innuitur *diſt. 86. cap. Eſt probanda*, vbi dicitur, *melius eſt enim vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptus depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitati*, Sanchez *vbi ſupra dub.* 38. *num.* 2. ait Epiſcopos dare poſſe conſanguineis (cum ſupradicta tamen moderatione) non ſolum ad vitam ipſorum, ſed etiam pro ſucceſſoribus, vt ſecundum illum altiorem ſtatum, ad quem intuitu Epiſcopalis dignitatis in familia ſubleuati fuerunt, ipſi quoque viuere poſſint ſine penuria formam obſeruandam ab Epiſcopo Regulari in præſtando conſanguineis ſubſidia actu ſuo præſcripſit Sanctus Thomas de Villanoua, quam recenſet Pater Michael Salon in eius vita *lib.* 2. *cap.* 6. Poſſe Epiſcopum Regularem de redditibus Eccleſiaſticis, & ceteris ad ipſum ſpectantibus prouidere neceſſarios ſumptus conſanguineis ad ſtudendum, alere filios, ſi quos haberet, etiam ſpurios, filiaſque dotare, ſi non haberent aliunde, colligo ex his, quæ de Clericis docet Bonacc. *vbi ſupra num.* 13. Donationes verò, quas inualidas, & reſtituendas eſſe Eccleſiæ dixi, vti tales declaratas fuiſſe patet ex *cap. Cum olim* 2. *de Priuilegijs*, vbi condemnatur quoddam Monaſterium ad reſtituendum Eccleſię duo millia Marabatinorum, quę illi dederat Epiſcopus Canonicus Regularis, dum viueret, ex acquiſitis in Epiſcopatu, vbi *gl.* dicit, recte iuſtam fuiſſe hanc reſtitutionem, quia quicquid poſt ſuam conſecrationem Epiſcopus Regularis acquiſiuit, Epiſcopatui acquiſiuit, quare donare illa non poterat, *quia, qui nihil habet, nihil donare poteſt*, & Laurentius de Franchis *vbi ſupra quæſt.* 119. refert deciſum fuiſſe Neapoli ex eadem ratione reſtituendas eſſe Epiſcopo Liparenſi ſucceſſori quaſdam poſſeſſiones, quas prædeceſſor, qui fuerat Regularis, emerat, & viuens donauerat conſanguineis, oppoſitum tamen reſoluunt Nauar. *tomo primo conſil.* 2. *editionis tit. de Donat. lib.* 3. *conſil.* 6. loquendo de donatione inter viuos facta ab Epiſcopo Regulari in magna ſumma ad fauorem ſui Ordinis Monaſterij, & Barboſa *in dicta alleg.* 114. *num.* 33. *& in Voto Can. ſupracit. num.* 14. loquendo de Donatione etiam non modica, & ad profanos vſus: Sanctus Thomas de Villanoua aſſignauerat Matri, Fratribus, & quibuſdam conſanguineis ſuis certam ſummam pecuniæ pro quolibet anno, meræ eorum neceſſitati ſatisfacientem, ſed erogauit aliquando eiſdem vnica ſolutione quantum ſpatio decem anno-

Digitized by Google

annorum accepiſſent, vt ex illa maiori quantitate emere poſſent cenſum perpetuum, ita narratur in eius vita vbi ſupra, vnde conſtat idem licere cuicunque Epiſcopo Regulari præſtare ſuis conſanguineis, cum huius B. Epiſcopi actiones omnes norma fuerint ſanctitatis.

244 Alij Doctores apud Dianam *par.* 5. *tract.* 8. *reſol.* 31. *&* Barboſâ *vbi ſupra num.* 18. *& in Collect. de Teſtamentis cap. Quorundam num.* 7. extincto in Religioſo Epiſcopo Voto Paupertatis, dicunt eum poſſe de ſuis bonis teſtari, eaque donare cauſa mortis ad omnem finem, & cuicunque voluerit, ſed hæc ſententia, quamuis à Barboſa *vbi ſupra* dicatur probabilis, à Miniſtris Cameræ Apoſtolicæ modo non admittitur etiamſi ageretur de Epiſcopo, qui in Curia deceſſiſſet, quamuis extent quædam iura, quibus Epiſcopi in Curia decedentes eximuntur à ſpolio, eaque adducit Nauarrus *vbi ſupra*, ſed modo non ſunt in vſu.

245 S. Thomas *vbi ſupra*, quem ſequuntur Barboſa, & Sanchez locis citatis, conſentiente magno Doctorum numero, rectius ſentit Epiſcopum Regularem, nec teſtari, nec donare poſſe cauſa mortis, idque dicti Doctores validis probant rationibus, Canonicisque ſanctionibus, ac Sac. Rotæ Romanæ deciſionibus cõfirmant, & concludunt cum eodem S. Thoma manere votum Paupertatis in Epiſcopo Regulari, per quod remanet inhabilis ad donandum cauſa mortis, & teſtandum omni eius vſu, & adminiſtratione in morte terminata, vt dictum eſt.

Hinc ſequitur morte intercedente, bona omnia Epiſcopi Regularis, ſi non adſit Collector Apoſtolicus, remanere Eccleſiæ ſuæ, vt colligitur *in cap. Relatum* 2. *de Teſtamentis in* 6. niſi poſſediſſet aliqua vinculata, quæ remanerent ijs, qui ſunt vocati, vnde in bonis eius etiam Patrimonialibus vinculo carentibus ſuccedit Eccleſia, ſi verò Eccleſiam dimiſiſſet, in bonis acquiſitis ex redditibus Eccleſiæ dimiſſę ſuccederet hæc Eccleſia dimiſſa in actu dimiſſionis, quę ſi eorum vſum indulgeret Epiſcopo eius vita durante, tunc teneretur Epiſcopus de illis condere inuentarium, cuius vigore Eccleſia poſſet illa tanquam ſibi debita poſt eius mortem repetere; in bonis verò aliunde acquiſitis, ſeu patrimonialibus, poſt mortem ſuccederet, vel Eccleſia, ad quam tranſiſſet, vel Summus Pontifex, & præcipuè, ſi nullius Eccleſiæ Epiſcopus decederet, non enim videtur probabile, quod ſuccederet Monaſterium, vt quidam dixere, ſed de iſtis redibit ſermo, *cap.* 3. *§.* 2.

Sum-

Digitized by Google

246 Summum Pontificem, ſi eſſet Regularis, poſſe teſtari, & donare, etiam cauſa mortis, certum eſt, cum prohibitio teſtandi, & donandi, vt ſupra, de facto proueniat ex lege Eccleſiaſtica, cui Papa non ſubiacet; neque id opponitur Voto Paupertatis, vt Soto ſupra innuebat; nam poſſe teſtari non pugnat cum Voto Paupertatis, cuius ſignum eſt Papam non diſpenſare in Voto, Paupertatis cum Regulari, cum quo diſpenſat, quod teſtari poſſit, vt rectè Card. Lugo *reſ. moral. lib. 5. dub. 12. num. 26.* Summum Pontificem poſſe Epiſcopo Regulari concedere facultatem teſtandi, & donandi cauſa mortis, conſtat euidenter, cum Papa poſſit tollere illam legem Eccleſiaſticam id prohibentem, & quotidie tollat, quæ tamen licentia debet eſſe expreſſa, vt docēt Authores adducti à Barb. *de Iur. Eccl. vbi ſupra n. 214. & 216. & in Collect. loco mox citando*; per prædictam facultatem teſtandi in dicto Epiſcopo Regulari non extinguitur Votum Paupertatis, vt dixit Soto, non enim teſtatur de proprio, quod non habet, nec habere poteſt, ſed, vt dixit Sanctus Thomas *22. quæſt. 185. artic. 8. ad tertium*, ampliatur ei commiſſa diſpenſatio, vt etiam poſt mortem eius diſpenſatio valeat; S. Thom. ſequuntur Authores, quos allegat, & ſequitur Barboſa *de offic. Epiſc. vbi ſupra num. 23. & in Collect. de Teſtam. cap. Quia ingredientibus n. 10.* Hæc autem facultas teſtandi conceſſa Regulari Epiſc. intelligi debet de bonis, quæ ipſe de facto poſſidet in ſtatu Epiſcopali, non verò de bonis, de quibus in re iam poſſeſſionem acquiſierat Monaſterium eius intuitu, vel de quibus iam eſt acquiſitum ius tertio: ita Barboſa *de officio Epiſcopi ibidem numero 12.*

247 Remanet modo apud Doctores dubitatio. Vtrum Summo Pontifici liceat ſine iuſta, ſeu rationabili cauſa concedere Epiſcopo Regulari facultatem teſtandi, & donandi poſt mortem; itaut ſi non adſit iuſta, ſeu rationabilis cauſa id illi concedendi, Donatio, & Teſtamentum virtute dictæ facultatis conditum nullum eſſet, aſſerunt Suar. *tom. 4. de Rel. tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 30.* & Molina *de Iuſtit. loco mox citando concluſ. 13.* loquendo de Epiſcopo inhabili ad teſtandum, cum alijs adductis à Barboſa *vbi ſupra de offic. Epiſcopi*, hanc verò cauſam ſemper adeſſe, cum Summus Pontifex concedit teſtandi facultatem, illa etiam non expreſſa, certum eſt. Alia dubia, quę de hac teſtandi poteſtate excitari poſſent, ſoluit Diana cum Modernis *par. 12. reſolut. 71.*

Qui-

Quidam agendo de iſta facultate teſtandi, loquuntur cum diſtinctione, & dicunt; quando Papa concedit facultatem Epiſcopo Regulari condendi teſtamentum, & donationem valituram poſt mortem, ad cauſas pias, quam eſſe ſemper legitimam cauſam concedendi ius ad teſtandum nemo dubitabit, tunc non poteſt niſi ad cauſas pias donatio, & teſtamentum ſuſtineri; cum verò hanc facultatem concedit ad quoſcunque vſus, tunc dicũt poſſe Epiſcopum vigore dictæ facultatis teſtari, & donare ad cauſas etiam profanas, dummodo tamen cauſæ ſint honeſtæ, alias nullum eſſet teſtamentum, & donatio. Alij verò etiam hanc ampliationem excludunt apud Barboſam *in Collect. vbi ſupra num.* 11. Si enim Papa inquiunt, non exprimat in ſua conceſſione Epiſcopum Regularem teſtari poſſe, etiam ad cauſas profanas, quamuis dicat ipſum poſſe ad quoſcunque vſus teſtari; teſtamentum, ſeu donatio, niſi fiat ad cauſas pias, erit nullius valoris, nam licentia conceſſa teſtandi intelligenda eſt ad pios vſus, ſi ſit abſoluta, vel circa hoc dubium oriatur, vt cum Nauarro docet Molina *de inſtit. tract.* 2. *diſp.* 147. *concluſ.* 14. Sed alij illam clauſulam *ad quoſcunque vſus*, in conceſſione teſtandi expreſſam, ne dum extendunt ad cauſas profanas honeſtas, ſed etiam ad cauſas malas, & peccaminoſas, quod colligitur ex Bagnes 22. *quæſt.* 62. *artic.* 5. *dub.* 5. qui loquendo de Religioſo cum facultate interpretatiua Prælati expendente pecunias in rebus ſibi placitis, dicit eas expendere poſſe in meretrices; Sanchez *conſil. moral. lib.* 2. *dub.* 51. *num.* 6. docet facultatem teſtandi abſolutam eſſe interpretandam conceſſam ad cauſas pias, poſſe etiam concedi ex grauiſſima cauſa ad vſus profanos, ita *num.* 9. quocunque verò modo concedatur, etiam ſine vlla cauſa, teſtamentum valere, ita *num.* 7. Ego in illam ſententiam magis inclino, quæ dicitur Epiſcopum Regularem vigore indefinitæ facultatis Apoſtolicæ teſtari non poſſe de bonis ſuis niſi ad cauſas pias, quamuis aliorum opiniones, propter authoritatem grauium Doctorum, qui eas defendunt, probabiles eſſe credam, maxime in caſu, in quo adeſſet rationabilis cauſa diſpenſandi, quod fieret teſtamentum ad vſus profanos, puta cum pro munere circa ſuam perſonam optimè adminiſtrato, præſumeretur datum ius teſtandi à Summo Pontifice ſeruo ſuo Regulari Epiſcopo, ad effectum augendi facultatibus, & dignitatibus nepotes, conſanguineos, vel amicos, vt innuit Molina *vbi ſupra concl.* 12. & 14.

Papa

248 Papa concederet Epiſcopo Regulari facultatem teſtandi, & Epiſcopus decederet Teſtamento non condito, bona eius acquiruntur Eccleſiæ, ſeu Cameræ Apoſtolicæ, Barb. *dicta alleg.* 114. *num.* 27. quod etiam verificaretur de Clerico decedente ab inteſtato bonorum, de quibus teſtari potuiſſet, ſiue ex patrimonio, ſiue ex redditibus Eccleſiaſticis prouenirent, ſi conſanguineos non haberet, qui ſuccedere poſſent; Ita Sanchez *vbi ſupra dub.* 54. *num.* 1. *& gl. cap. Sancto, de ſucceſſion. ab inteſt.* Si vero Papa concederet, quod etiam decedente Epiſcopo Regulari ab inteſtato, bona eius non ſubiacerent ſpolio, ſi aliud non exprimeretur in gratia, exiſtimo tunc etiam excludendos eſſe à ſucceſſione ab inteſtato proximiores ſecundum Carnem, & ſuccederet in omnibus eius bonis Eccleſia Cathedralis, vel Camera Apoſtolica, quibus Epiſcopus Regularis acquirit, vt dictum eſt, & à fortiori probatur *in deciſ.* 594. Seraphini *num.* 9. *par.* 1.

249 Cum Epiſcopus Regularis ſit incapax ad teſtandum, & donandum bona, quę Eccleſiæ intuitu, ſeu alio quouis iure acquiſiuit, ex duplici titulo, ſcilicet, quia eſt Epiſcopus, & quia eſt Regularis, in facultate Apoſtolica Teſtandi, & donandi, eſſet neceſſario exprimendum, quòd diſpenſatur ſuper vtraque incapacitate, niſi adeſſent coniecturæ, quibus oſtenderetur Sum. Pontificem id intendiſſe, etiamſi non expreſſiſſet in gratia, aliàs gratia nulla eſſet, vt dicit Barboſa *de iure Eccl. vbi ſupra num.* 213. nam Papa grauiores exigeret cauſas, vt id concederet Epiſcopo, ſi intelligeret ipſum eſſe Regularem, & fortaſſe exprimi deberet etiam in ſupradicta gratia cauſa iuſta, vel rationabilis, ex qua Papa fuiſſet perſuaſus ad illam concedendam, nam talis conceſſio facta Regulari Epiſcopo, ſi non fiat ex dictis cauſis, nulla iudicari poſſet, vt ſupradictum eſt, & inſinuant Suarez *Tomo* 4. *de Rel. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 30. *& Molina loco citato concil.* 13. Vnde ſequitur in facultate teſtandi conceſſa Epiſcopo Regulari eſſe tot diſpenſationes exprimendas, quot ſunt impedimenta, quibus à teſtando iure reijcitur, quod aduertit Barboſa *vbi ſupra num.* 24.

Nota quòd quamuis Epiſcopus Regularis ſit incapax ad teſtandum, & donandum, ne dum bona, quę ex redditibus Eccleſiaſticis acquiſiuit, ſed etiam omnia alia, quæ, vel ex propria induſtria, vel quocunque alio iure ad ipſum peruenerunt, vt dictum eſt, tamen de bonis, quæ aliunde quàm ex redditibus Eccleſiaſticis habet, teſtari non poteſt ex ſolo Titulo, quia

eſ

Digitized by Google

eſt Religioſus, & ideo in gratia teſtandi, vel donandi dicta bona ſatis eſſet exprimere hanc gratiam illi conceſſam eſſe, non obſtante, quod ſit Religioſus, nulla facta mentione quod ſit etiã Epiſcopus, vt cum multis firmat Barboſa *vbi ſupra*.

250 Hæc facultas teſtandi, vel donandi cauſa mortis non ſpirat per mortem concedentis, vt oſtendit contra quoſdam oppoſitum ſentientes Barboſa *de iure Eccleſ. vbi ſupra num.* 218. *& de off. Epiſcopi etiam vbi ſupra num.* 25. *& num.* 26. quo in loco probat vigore dictæ facultatis Teſtatorem prædictum poſſe Teſtamentum ſemel à ſe factum renocare, & nouum toties, quoties eidem placuerit condere, debitis tamen ſolemnitatibus interuenientibus, *& in num.* 27. *de off. Epiſcopi, numero verò* 217. *de iure Eccl.* probat licentiam prædictam teſtandi ſuperuenientẽ validare Teſtamentum ante licentiam conditum, cum ſufficiat ad valide teſtandum, hanc habilitatem adeſſe tempore mortis, Teſtamentum præfatum etiam valet, quamuis non exprimatur conditum eſſe vigore indulti priuilegij, vt Molina *loco inf. citando* dixit. Hanc facultatem teſtandi extendendam eſſe ad facultatem donandi cauſa mortis, vna eſt authorum ſententia; Verum non eſſe extendendam ad conficiendos Codicillos docet aliqui, quos Barb. *ibidem* adducit. Vnde Epiſcopus Regularis, cui facta eſt poteſtas teſtandi, nulla facta mentione de poteſtate condendi Codicillum, ſi Codicillum conderet, dubitari poſſet de illius validitate, quia cum dicta facultas ad teſtandum ſit odioſa, vtpotè exorbitans à iure communi, debet reſtringi, vt dicitur *cap. Is qui, de filijs Presbyterorum in 6.* & conſequenter ampliari non poteſt ad condendos Codicillos, ſed Molina *vbi ſupra diſp.* 141. reſoluit oppoſitum ſub his verbis. *Cui facultas teſtandi conceditur, eo ipſo cenſetur conceſſa facultas donandi cauſa mortis, codicillumque conficiendi*.

251 Summus Pontifex, qui teſtandi facultatem conceſſit, vel eius ſucceſſores ſemper poſſunt abſque vlla iuſtitiæ læſione irritare conditum ab Epiſcopo Regulari teſtamentum, vel donationem cauſa mortis, etiamſi illi hæc facultas Apoſtolica non defuiſſet; nam Epiſcopus Regularis, cum ſit ex vi voti obſtrictus obedientiæ Sum. Pontificis, hic habet facultatem ſemper irritandi totum illud, quod contra regulæ præſcriptum pro obſernando rigore paupertatis, etiam ex diſpenſatione, ipſoque conſentiente Epiſcopus Regularis fecerit, idemque poſſet Prælatus Regularis in ordine ad ſimplicem Religioſum, vt docet Sanchez

Decal. lib. 7. cap. 8. num. 13.

252 Quæres; ſi in aliqua Eccleſia introducta eſſet conſuetudo quòd Epiſcopi teſtari poſſent, & donare cauſa mortis bona, quæ ex redditibus Eccleſiaſticis onera ſupradicta excedentibus acquiſierunt, quæ conſuetudo, ſi modo alicubi ſit rationabiliter introducta mihi notum non eſt, ſed ſi introduceretur, eam tribuere poſſe Epiſcopis ius teſtandi ad pios vſus docet Sanchez *conſil. moral. lib. 2. dub. 50. num. 11.* & cum Nauarro, a ijſque Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 147. concl. 6.* quod in ſequentibus concluſionibus extendit ad omnes vſus, vtrum poſſet vigore eiuſdẽ conſuetudinis teſtari etiam illius Eccleſiæ Epiſcopus, ſi eſſet Regularis; Negatiuè reſpondent plures, quos citat Sanchez *loco infra citando*, inter quos Suarez *vbi ſupra num. 31.* dicit hanc conſuetudinem nunquam ſuffragare poſſe Epiſcopo Regulari, cum ipſe ſit incapax ad teſtandum, & eo modo donandum, quia nihil proprij habet, vt patet ex *gl.* ſuper *cap. Cum olim 2.* ſupra adducta, ſed ego oppoſitum ſentio, nam in primis poteſt fieri per conſuetudinem, quod poteſt fieri per priuilegium, vt probat Nauar. *in Comment. 2. de Regul. num 44.* dixi autem ſupra poſſe Epiſcopum Regularem teſtari de Papæ priuilegio. Item prohibitio teſtandi in ordine ad Regularem eſt de iure humano, cum de licentia Papæ teſtari poſſit, ius autem humanum conſuetudine aboletur. Ita Gl. *in cap. conſuetudo, diſt. 1.* & Doctores, quos adducit Barb. *ibidem in Collect.* Item conſuetudo iſta non eſſet valida in ordine ad Epiſcopos quoſcunque, niſi acceſſiſſet ad eam conſenſus explicitus, vel ſaltem interpratatiuus Sum. Pontificis, qui poſtquam bene cognouiſſet dictam conſuetudinem per actus frequentes, & à ſe non improbatos introductam, cenſeri deberet eam tamquam rationabilem approbaſſe, & loco legis haberi voluiſſe, vt ſuppono ex his, quæ dici ſolent in materia de Conſuetudine, & probat idem Suarez *de legibus lib. 7. cap. 13. num. 12.* Modo ex hucusque dictis deduco Sum. Pontificem approbando dictam conſuetudinem, ſuppoſuiſſe in illa Eccleſia etiam Regulares Epiſcopos inſtitui poſſe cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus cæteri Epiſcopi in illa Eccleſia inſtituti frui, & gaudere conſueuerunt, prout moris eſt in Bullis Apoſtolicis explicari, quapropter ſi nullã limitationem Pontifex expreſſiſſet in approbando modo ſupra explicato conſuetudinem prædictam, nulla eſſet ratio, quę conuinceret ipſum non approbaſſe eandem conſuetudinem in fa-

fauorem omnium Epiſcoporum etiam Regularium dictæ Eccleſiæ, non enim nos debemus limitare, quod lex ſine limitatione diſponit, vel approbata conſuetudo ſimpliciter introduxit. Si ergo demus Pontificem approbaſſe vt ſupra dictam conſuetudinem, dicere cogimur illum etiam pro Epiſcopis Regularibus eandem conſuetudinem approbare, illique ſuffragare, ac ſi in ſpeciali diplomate de hac re emanato indiuidua mentio de Epiſcopis Regularibus illius Eccleſiæ facta fuiſſet; Conſuetudo enim parificatur priuilegio, & priuilegium inducit, vt dixit Gloſ. *diſt. 64. cap. Quia per ambitiones*, verbo *Antiquitus*, & *9. quæſt. 3. cap. Conquaſtus*, verbo *Conſuetudo*, & *extra de Arbitris, cap. Dilecti, & de Iudicijs, cap. Nouit*, verbo *Conſuetudinem*. Idem ſentiunt Doctores quos adducunt Sanchez *in Decal. lib. 7. cap. 8. num. 63.* & Barboſa *in Collect. extra de teſtam. cap. Quia ingredientibus*.

ARTICLVS QVARTVS.

De Votis citra tria Religionis ſubſtantialia.

253 DE Iuramentis Epiſcopi Regularis non oportet ſpecialem habere tractatum, quæ enim dicam de Votis eorum poterunt ad eorundem iuramenta facile applicari: nam omnia iuramenta obligant ad ſui obſeruantiam iurantem, & de facili non relaxantur, ſi ſint facta etiam homini, ita & Vota obligant ad ſui obſeruantiam vouentem, & non relaxantur niſi cum difficultate, maximè ſi ſint facta in commodum tertij; quando tollendum eſt iuramenti vinculum, recurrendum eſt pro eius ſolutione ad Superiorem competentem, eodem prorſus modo recurrendum eſt pro Voti ſolutione ad legitimum Superiorem, & ſicut Vota in ſæculo emiſſa commutari poſſunt in Vota Religionis, ita & iuramenta in eadem Vota commutantur ad vouentis arbitrium, vt dixit Nauarr. *conſil. tomo primo Tit. de Regul. conſil. 3. num. 2.* quapropter adeò conueniunt iuramenta cum Votis in prædictis, de quibus eſt hic præcipuus agendi ſcopus, vt dixerit Suarez *Tomo 2. de Relig. tract. de Voto lib. 6. cap. 14. num. 12.* iuramenta ſe habere quaſi Vota quædam.

Loquendo igitur de Votis, & iuramentis Epiſcopi Regularis, vtraque ſub nomine Voti comprehendo, & quia hæc Vota, ſeu

Digitized by Google

iuramenta reperiri poſſunt in ipſo dum eſt Epiſcopus, quamuis non omnia in ſtatu Epiſcopali nuncupauerit, ſed quædam emiſerit in ſtatu Sæculari, & quædam in ſtatu religioſo, in nulloque illorum ſtatuum relaxata, quærendum eſt de Votis Epiſcopi Regularis in quocunque ſtatu nuncupatis, cum ipſo in Epiſcopali ſtatu perſeuerantibus, ſit ergo,

PVNCTVM PRIMVM.

De Votis emiſſis ab Epiſcopo Religioſo in ſtatu Sæculari.

SVMMARIVM.

Iuramenta, & Vota in ſæculo emiſſa in Religioſa commutantur. 254
Excipienda illa, quæ ſunt ad fauorem tertij. 255
Quædam limitationes adducutur. 256
Votum in ſæculo factum de non acceptando Epiſcopatum. 257

254 VOta emiſſa in ſæculo, religioſa profeſſione ſequuta, in tria ſubſtantialia Vota commutantur. Ita docet Sanctus Thomas 4. *diſt.* 36. *quæſt.* 1. *artic.* 4. *quæſt.* 4. *ad ſecundum*, & *diſt.* 39. *quæſt.* 1. *artic.* 4. & 22. *quæſt.* 88. *artic.* 12. *ad primum*, & *quæſt.* 189. *artic.* 3. *ad tertium*, cum eo conſentiunt omnes grauiores Theologi, idem decernitur in ſacris Canonibus *cap. Scripturæ, de Voto*, & *cap. Qui poſt Votum, de Regular. in 6.* Præterea hanc commutationem fieri ipſo iure, & abſque alia commutandi intentione, dixit Barboſa *in Collect. illius cap. Scripturæ*, allegatis pluribus huius ſententiæ Doctoribus: quòd etiam iuramenta extinguantur per religioſam profeſſionem, docet Suarez *tomo* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 12. & Nauarr. *vbi ſupra*.

255 Limitanda eſt hæc vniuerſalis doctrina ad iuramenta promiſſoria, quæ relaxari poſſunt ſine præiudicio tertij, ſeu ad Vota, quæ facta non fuere in commodum tertij, promiſſio enim, quæ eſſet Voto firmata, & illi, cui facta fuerat, fuiſſet intimata, ab eoque acceptata, per religioſam profeſſionem non tollitur, vt docet Aragon. 22. *quæſt.* 88. *artic.* 12. *in ſolutione ad primam*. Illud enim ius tolli non poteſt ſine conſenſu tertij, niſi

ex

ex vrgentiſſima cauſa. Ita Bonacc. *in 2. Præcep. Decal. diſp.4. quæſt.1. p. 17. num.* 8. vbi enumerat iſtas cauſas vrgentes, per quas tolli poteſt præfatum ius non conſentiente tertio. Votum ſubſidij Terræ Sanctæ non commutari in religioſam profeſſionem, docent aliqui aſſerentes illum, qui vouiſſet ad Terræ Sanctæ loca peregrinari, ſeu ad illa ſubſidium aliquod promiſſione facta Deo deſtinaſſet, poſt emiſſam religioſam profeſſionem, non teneri quidem ad laborem peregrinationis, ſed teneri ad mittendum integrum ſubſidium promiſſum, ſeu expenſas, quas eundo, manendo, & redeundo inſumpſiſſet, oppoſitum ſentiunt alij, Barboſa *in illo cap. Scripturæ*, adducit Doctores vtramque partem ſuadentes.

256 Limitant alij ſupradictam doctrinam ad omnia Vota perſonalia, excluſis realibus. Ita Silueſter verbo, *Votum 4. quæſt.* 7. cum Paludano, & Antonino, ſed oppoſitum eſt modo apud Doctores magis receptum, & tenet Couarr. & Suarez mox adcendus, Præterea ſi ante religioſam profeſſionem, vel in ipſo actu profitendi intendiſſet Religioſus, ſaltem virtualiter, continuare omnia Vota ſua in ſtatu Religioſo, Vota emiſſa in ſæculo non commutarentur in Vota religioſa, iuxta probabilem ſententiam, eſſet enim illa voluntas continuandi, quædam noua promiſſio, & noua illorum Votorum nuncupatio, quæ rata iudicatur, ſi vota non ſint de materia religioſo ſtatui, quem aſſumit, repugnante, & cum illius regulis incompoſſibili. Ita Suarez *Tomo* 3. *de Relig. lib. 6. cap.* 14. *num.* 14. In caſu vero, quo materia eſſet repugnans, votum ſuſpenderetur tantum pro tempore, quo repugnantia duraret, nam ceſſante illa repugnantia, vt accideret, ſi vouens tranſiret ad Epiſcopatum, vbi nullam pateretur huiuſmodi repugantiam, voti obligatio reuiuiſceret. Idem cenſerem de tempore Nouitiatus, vel quando profeſſio fuiſſet nulliter emiſſa, nam relicto habitu Regulari, ceſſaret repugnantia, & vota reuiuiſcerent.

Aliæ limitationes inueniuntur apud Doctores dicentes vota cum regulis Religionis compatibilia, & quæ ſunt moraliter loquendo maioris momenti, quàm vota Religionis, nullo modo extingui per religioſam profeſſionem, ſed iam communiter dicitur illas limitationes non eſſe attendendas.

257 Dubitari tamen poteſt an voto facto in ſæculo de non acceptando Epiſcopatum per religioſam profeſſionem derogetur, maxime ſi adeſſet conditio, quod nollet vouens diſpenſari in

tali

tali voto, niſi à Sum. Pontifice Aduerto hoc votum non comprẹhendi in Vrbanis Conſtitutionibus ſupra adductis; nam illę Conſtitutiones loquuntur de voto facto à Religioſo ſecundum exigentiam regulę à Sede Apoſtolica confirmatę, vt ex earum tenore patet, quo ſuppoſito, exiſtimo voto illi, ſi ſine ſupradicta conditione accipiatur, per religioſam profeſſionem derogari, nam tunc eſt votum omnino abſolutum, & ſimplex, omni autem voto ſimplici per ſolemne derogatur, vt dicitur *in 6. de Regul. cap. Qui poſt votum*; Si vero accipiatur cum illa conditione emiſſum, dico, quamuis ſit votum ſimplex, in Religione adhuc perſeuerare, importat enim in Religioſo quandam virtualem voluntatem votum illud etiam poſt profeſſionem continuandi, ſed poterit poſt religioſam profeſſionem à Prẹlato regulari relaxari, non obſtante dicta conditione, nam illud votum eſt eiuſdem naturæ cum cęteris in ſęculo emiſſis, & in Religione continuatis, etiam dicta conditione penſata, vt patebit inferius. Vota in ſęculo emiſſa, ſi in religioſam profeſſionem fuerint commutata, quia iam ceſſauerunt, non ſunt neque in ſimplici Religioſo, neque in Epiſcopo Regulari conſideranda, quia vero poſſunt ex voluntate vouentis continuari in ſtatu religioſo, vt dicebam, in ſequenti puncto videndum eſt quomodo poſsint in Epiſcopali ſtatu perſiſtere, ſit ergo.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Votis Epiſcopi Regularis emiſſis in ſtatu religioſo citra ſubſtantialia.

SVMMARIVM.

Vota quæ tranſeunt cum Religioſo à ſæculo. 258
Religioſus poteſt vouere. 259
Vota quæ remanent in Epiſcopo Regulari. 260
Vota quæ relaxantur à Prælato regulari. 261. 263
Quæ non relaxantur ab ipſo.

258 VOta ſupradicta emiſſa ab Epiſcopo Regulari in ſęculo, quęque tranſeunt cum perſona, quę aſſumit ſtatum religioſum, à ſęculo ad Religionem, vti dicebam, ſunt connume-

meranda cum votis, quę Religioſus citra exigentiam regulę nuncupare poteſt, de quibus mox agam, ac eadem fieri Prę-laris Religionum, vel diſpenſabilia, vel commutabilia, vel irritabilia, ſicut exigunt vota prędicta in religioſo ſtatu e-miſſa.

259 Poteſt Religioſus vouere in ſtatu religioſo Vota quædam perſonalia de opere in materia neceſſaria, vel communiter omnibus, vt ſi eſſent de obſeruandis præceptis Dei, & Eccleſię, vel de opere ſecundum regulam ſub pręcepto impoſito, vt de non frangendo ieiunium in ſexta feria, prout præcipitur in regula Ord. Minorum, vel de opere in materia ſupererogationis à regula non impoſita, vt ſi quis vouerer abſtinentiam carnium in die Aſcenſionis Domini, quod à regula non pręcipitur. Ita S. Th. 22. *quæſt.* 88. *artic.* 8. & late probat Suarez *tomo* 2. *de Relig. tract. de Voto lib.* 3. *c.* 5. At S. Th. & cęteri Doctores in huiuſmodi Votis à Religioſo in ſtatu Religionis emiſſis, volunt ſemper incluſam eſſe hanc conditionem, *ſi Superiori placuerit*, *vel ſi Superior non contradixerit*.

260 Omnia illa Vota, quæ vt ſupra Religioſus emiſit, ſi non fuerint in Religione irritata, commutata, ſeu diſpenſata, remanent in eodem ad Epiſcopatum promoto, ipſumque obligant iam Epiſcopum in ſtatu Epiſcopali, & cum dixerim illam promiſſionem voto firmatam, & acceptatam ab eo, in cuius commodum facta fuit, nunquam extingui, niſi modo dicto; ſi illa promiſſio non fuiſſet extincta, tenebitur Epiſcopus Regularis ad eam implendam, dummodo in illo ſtatu ſit ad id potens, & habilis.

261 Omnia vota Religioſi facta de re non neceſſaria, vel etiam neceſſaria, ſeu de iure diuino, vt non peccare, ſeu de iure Eccleſiaſtico, vt in Quadrageſima abſtinere à carnibus, & lacticinijs, & ieiunare, ſeu ex pręſcripto regulæ, vt non frangere ieiunium in 6. feria, vel non adhibere linea ad carnes, quamuis includerent conditionem non petendi, nec acceptandi diſpenſationem niſi à Sum. Pontifice, poſſe reſpectiue irritari, commutari, & diſpenſari à Pręlato regulari docent Azor *Inſt. Mor. par.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. *quæſt.* 15. Sanchez Dec. *lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 79. Suarez *Tomo* 2. *de Rel. tract. de Voto cap.* 21. *num.* 15. Omnes enim iſti fatentur per talem conditionem votum non fieri reſeruatum, & cum non ſit in poteſtate ſubditi priuare Prælatum iure ſuo, quod habet illud votum diſpenſandi, commutandi, vel ir-

irritandi, voluntate ſua de non acceptanda diſpenſatione, &c. non præiudicat Prælato, quin in illo voto, ſi voluerit, diſpenſet, &c. Addit Suarez *ibidem lib. 2. cap. 11. num. 6.* Vouentem cum ſupradicta conditione non petendi relaxationem voti ſui, bene petere poſſe iſtam relaxationem, ſi ſit ei vtilius, quod votum relaxetur, vel intendat id iudicio Superioris ſubijcere, vt decernat quod melius eſſe iudicauerit.

262 Ad noſtrum inſtitutum pertinet quærere, à quo ſint irritanda, commutanda, vel diſpenſanda vota Epiſcopi Regularis, quæ de ſeculo cum ipſo ad Religionem venerunt, vel in Religione ipſe nuncupauit, & adhuc non erant relaxata cum Epiſcopalem dignitatem adeptus eſt.

Dico, vota Epiſcopi Regularis, quæ in Religione vt ſupra emiſerat, vel continuauerat, irritari, commutari, ſeu diſpenſari poſſe reſpectiue à Prælato Regulari, ſicut idem Prælatus irritare, commutare, & diſpenſare ea potuiſſet ſi Religioſus Epiſcopus non eſſet: ſuppono Prælatos regulares poſſe præfata ſuorum ſubditorum vota modo, quo dictum eſt, relaxare, etiam ſi eſſent de opere in materia neceſſaria, vt ſupra explicaui, non tollendo obligationem rei promiſſæ per Votum, ſed amouendo vinculum, quod Votum ſuperinducebat; ita communiter Doctores, S. Thom. *vbi ſupra*, Caiet, *ibidem*, Nauarrus *in man. cap. 12. num. 65. &c.* eoſdemque Prælatos non eſſe accipiendos materialiter, hoc eſt, pro hac ſingulari perſona, ſed formaliter, pro illa perſona, quæ hic, & nunc eſt Prælatus, certum eſt, & hunc Prælatum dico contra Dianam, aliosque ab ipſo allegatos *par. 6. tract. 7. Miſcel. reſ. 76.* poſſe reſpectiuè vt ſupra Vota præfata Epiſcopi Regularis relaxare, quamuis Epiſcopus Regularis tunc non ſit ſubditus dicti Prælati regularis ſimpliciter, nec habeat in ipſum dominatiuam poteſtatẽ, nam hoc non exigitur vt fruatur tali ipſius iure ſibi fauorabili diſpenſandi cum eo in votis in ſimplicis religioſi ſtatu nuncupatis, vel continuatis; Ita Emanuel Sa, *verbo Voti irritatio, num. 5*, & Siluius *22. quæſt. 88. artic. 8. concl. 5.* cum Nauarro *vbi ſupra num. 75.* & Caiet. ab ipſo adducto; ſi enim illa vota non fuerint ratificata in ſtatu Epiſcopali, retinent ad minus in ſe iſtam conditionem incluſam, *niſi Prælatus*, qui erat vouentis quando vouit, *contradixerit*, cui conditioni adhuc locus eſt, etiamſi ille Religioſus modo ſit Epiſcopus, & à dominatiua poteſtate ſiluis Prælati abſolutus, quandoquidem ſuppono per tranſitum ad Epiſcopalem

lem ſtatum, nullam circa illa vota factam fuiſſe ſubſtantialem mutationem, ergo poterunt per Prælatum illum regularem reſpectiue irritari, commutari, diſpenſari.

Inſuper ſi Regularis emitteret Votum implendum eo tempore, quo erit Epiſcopus, ſi ante Epiſcopatum à Prælato Regulari tale votum fuiſſet relaxatum, adepto Epiſcopatu eius obligatio non reuiuiſceret, nam hæc obligatio per præcedentem relaxationem omnino ceſſaſſet. Ita Siluius *eodem loco*; ſecus vero dicendum eſſet ſi ante Epiſcopatum illud votum nõ fuiſſet relaxatum, nam tunc ceſſaret illa conditio, *ſi Prælato Regulari placuerit*, & euaderet votum, vel abſolutum, vel ad minus à ſolo Papa relaxabile, nam illa conditio, ſi Prælato placuerit, ſolum Papam tunc includeret, cui tantum Epiſcopus Regularis de iure ſubijcitur.

263 Si quæras, quæ ſint vota irritabilia, commutabilia, vel diſpenſabilia à Prælato Regulari in ordine ad ſuos Religioſos, inter quos modo ſupradicto etiam Epiſcopus Regularis inuenitur.

Reſpondetur cum communi, omnia vota, præter ſubſtantialia Religionis, eſſe irritabilia à Prælatis Regularibus, ſi ſint citra regulam, de votis, quæ ſecundum regulam emittuntur, & expreſſam habent promiſſionem, vt in Ordine Minimorum votum de perpetuo comedendis cibis quadrageſimalibus, grauis eſt difficultas, verum ſint irritabilia, vel diſpenſabilia à Prælato Regulari, quam tractat Diana *par. 6. tract. 8. Miſcell. reſol. 34.* negatiuæ ſententiæ adherendo cum pluribus à ſe adductis authoribus, citato pro ſententia affirmatiua vno *Miranda in Manuali Prælatorum tomo primo quæſt. 9. artic. 6. concl. prima*, & 3. huius difficultatis reſolutio quatenus tangit Regulares Epiſcopos ex infradicẽdis *n.* 287. conſtabit. vota quæ excedũt religioſam obligationem, vt votum tranſeundi ad arctiorem, dico cum communi eſſe tantum diſpenſabilia à Prælato Regulari, Prælatus ſuperior poſſet aliqua vota irritare, quæ inferior tantum diſpenſare potuiſſet, quod tunc accideret, cum Superior prohibuiſſet inferiori, ne ſuper ſuorum ſubditorum votis talem faceret relaxationem, ſed de his agere modo non expedit, tantùm ſufficiat adnotaſſe vota ſemel rite irritata, &c. in quocunque caſu, & ſtante quacunque prohibitione ſequente, amplius non reuiuiſcere, ad differentiam votorum illorum, quæ ſuſpenduntur; nam vota ſuſpenſa, ſuſpenſione ceſſante, reuiuiſcunt, & obligant.

Digitized by Google

PVNCTVM TERTIVM.

De Votis Epiſcopi Regularis in ſtatu Epiſcopali.

SVMMARIVM.

Epiſcopus Regularis poteſt vouere. 264 271
Sed ſub conditione. 267.
Subijcitur Papæ. 265
Votum de re interdicta, & non interdicta. 266.
Votum Epiſcopi de inſiſtendo Animarum curæ. 268
Vota, quæ obligant Epiſcopum Regularem. 269
Modica peregrinatio Epiſcopo conceſſa. 270
Exempla de Votis Epiſcopi. 272
Licentia procuranda ad Vota adimplenda. 273
Quomodo procuranda. 274
Quoties petenda. 275

264 CErtum eſt Epiſcopum Regularem, etiam in ſtatu Epiſcopali, aliqua Vota emittere poſſe, quæ illum obligant ad obſeruantiam; nam ſi conceditur Religioſo, dum ſub iugo regulæ viuit, arbitrium vouendi rem de meliori bono, vt ſupra dictum eſt; multo magis hoc erit concedendum eidem Epiſcopo iam facto, cum ipſe à iugo regulæ tunc ſit abſolutus, dixi *de meliori bono*, nam vota aliàs facta, nulla cenſerentur, veluti ſi Epiſcopus voueret transferri ad alium Epiſcopatum, quæ non cenſetur apta materia ad vouendum, quia cum ſit iure Eccleſiaſtico prohibita, non eſt de meliori bono. Vnde in *Conc. Cart.* 3. c. 38. & habetur *cap. Non licet diſt. 4. de conſec.* dicitur, *non licet fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Epiſcoporum*, quod tamen limitandum eſſe puto, dummodo Votum non fieret de translatione ad Epiſcopatum Indiarum, vel ſimilium regionum, cui translationi iniungente Pontifice, conſentire deberet Ieſuita Epiſcopus ex vi ſui Voti de miſſionibus emiſſi, vt inferius patebit, & conſequenter etiam quilibet alius Epiſcopus Religioſus, ſi eandem translationem vouiſſet, cum conſtet illam tranſlationem eſſe materiam aptam ad Votum, ex hoc quod ſi ſit cum Miſſionibus connexa, vouetur in Societate. In ſtatu

Epi-

Epiſcopali habeo Regularis quædam cum omnibus Epiſcopis communia, etiam in ordine ad hanc facultatem emittendi Vota, quædam verò ſibi, vt Regulari Epiſcopo ſpecialia, dum eſt in regimine Epiſcopali occupatus; nam de Epiſcopis Titularibus, vel qui Eccleſiæ onus dimiſerunt, quantum ad facultatem vouendi philoſophandum eſt non ſecus ac de quocunque alio Sæculari Epiſcopo regimen Epiſcopale non habente, vel de quocunque alio Religioſo Epiſcopo in caſu, quo contingeret illum redire ad Monaſterium, de his verò modo non agam.

Pro dicendorum clara notitia præmitto quædam neceſſariò prius aduertenda.

265 Primò notandum eſt Regularem Epiſcopum conſiderari poſſe, & vt eſt Epiſcopus, & vt eſt Regularis, vt Epiſcopus ſubijcitur Papę, cui iuxta ſupradicta vltra eam ſubiectionem, qua illi ſubijcitur vt Chriſtianus, ſubijcitur etiam, quia ei promiſit in Sac. Ordinis, & Conſecrationis Epiſcopalis ſuſceptione obedientiam ſpecialem, & conſequenter Papa habet ex ſua præcipua iuriſdictione; qua in Eccleſia vniuerſali cæteris præſtat, ſuper eius voluntatem dominatiuum ius ſpeciale; vt Regularis verò vlterius ſubijcitur Papę, quia ei vt ſupremo Religionum Prælato vouit obedientiam; vnde etiam iure huius voti Papa dominatur in eius voluntatem.

266 Secundò notandum eſt votum ab Epiſcopo Regulari intelligi poſſe emiſſum de re, vel illi non interdicta, vel illi interdicta vouerì, res autem interdicta; prout hic ſumitur, illa erit, quę non à regula, cum illa amplius eum non afficiat, vt dicam §. *ſequenti*, & ſupra indicatum eſt; nec quæ de ſe illicita eſt, & inepta ad votum, cum hęc in ordine ad quoſcunque ſit interdicta, ſed quæ apta eſſet ad Votum, ſi de iure communi, vel aliquo ſpeciali Decreto non præciperetur quòd Voto non promittatur, ſeu niſi communi prohibitione vetaretur Epiſcopo, ne rem illam faciat, vel omnino, vel non ſine Superioris licentia, poſſet res aliqua dici quodammodo etiam interdicta, ſeu ſub forma prohibitionis diſſuaſa, vt dicitur in gloſ. *diſt. 5. cap. fin.* verbo *Prohibeantur*, dum à lege, vel Prælato per modum exhortationis ſtatueretur ne fieret ab Epiſcopo, declarando illam rem eſſe minus congruam, & illi parum conuenientem, per hanc tamen declarationem non neceſſitatem faciendo, ſed liberam voluntatem excitando, vt dicitur *diſt. 4. in fine*.

267 Tertiò notandum eſt Votum Epiſcopi Regularis, cuius

arbitrium alterius ſubiacet poteſtati, de quacunque re fiat, ſemper includere debere conditionem concernentem ſuperioris cõſenſum, attamen cum hac differentia, quod cum vouet rem, non interdictam, includere debet conditionem negatiuam, ſcilicet, dummodo Superior non contradicat, cum verò vouet rem interdictam, includere debet conditionem affirmatiuam, ſcilicet, dummodo Superior expreſsè conſentiat.

Tandem prænotare oportet, dum agimus de Votis, quæ Epiſcopus Regularis in ſtatu Epiſcopali nuncupauit, cum hæc communia eſſe poſsint Epiſcopis etiam non Regularibus, multa diceđa eſſe ad oẽs Epiſc. ampliãda, quod non erit à præſenti inſtituto alienum, cum id exigat doctrinæ ratio, quæ ſæpè cogit tractare de qualitatibus Epiſcopo Regulari attribuendis, quas in omnibus Epiſcopis eſſe attendendas nemo dubitabit.

368 Dico *primò*, Epiſcopus Regularis ſtatim ac acceptat onus Epiſcopale ſibi à Papa, vel à quocunque alio ab ipſo cum hac facultate delegato iniunctum, emittit Votum perpetuò permanendi in munere Epiſcopali, eoque ſe aſtringit ad perpetuam curam ſubditorum, qua ſubditos ad Deum adducat. Ita Sanctus Thomas 22. *quæſt.* 184. *artic.* 4. 5. *&* 8. *quæſt.* 185. *artic.* 4. *quæſt.* 189. *artic.* 7. *&* *opuſc.* 18. *cap.* 17.

Hoc Votũ aliqui dicunt eſſe ſolemne, ac neceſſarium ad perfectionem ſtatus Epiſcopalis. Ita Soto *de iuſt. lib.* 10. *quæſt.* 2. *ar.* 4. Carthuſianus *opuſc. de Regimine Epiſcoporum artic.* 3. Vualdenſis *in tomo* 3. *doctrinalis fidei lib.* 3. *tit.* 2. *c.* 17. & nouiſſimè Thomas Hurtadus *Var. tomo* 2. *tract.* 12. *capite* 1. *§.* 9. *limitat.* 2. Alij verò dicunt appellari votũ abuſiuè, ſed propriè nihil aliud eſſe, quam quoddam pactum Epiſcopi cum Eccleſia, quo ſe illi intendit, quantum in ſe eſt, vinculo indiſſolubili coniungere. ita Suarez cum alijs pluribus *de Relig. tomo* 3. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 24. cuius ſententiam ad verbum tranſcriptam ſequitur Diana *par.* 12. *reſol.* 94. adducto Gerunda *de Epiſcop. tomo* 2. *lib.* 8. *diſp.* 15. *cap.* 3. *num.* 15. Idem Diana *reſol ſequenti* tranſcribit eiuſdem Gerundi opinionem de Voto, ſeu iuramento, quod emittunt Epiſcopi viſitandi Sacra Limina Apoſtolorum, reprobata ſententia Sanchez, quam *Decal. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 12. tradit, eſt verò ſententia Sanchez Epiſcopis in ſupradicta obligatione adimpleda magis fauorabilis, an verò in praxi tuta ſit, Sacroſanctum Apoſtolicum iudicabit arbitrium. Emittit inſuper Epiſcopus quædam alia iuramenta ante, vel in ipſa Conſecratione,

de

Digitized by Google

de quibus in Pontificali. In Concilio Oxonienſi Anglicano ſic decernitur: *quia iuxta Scripturæ teſtimonium, Vota noſtra tenemur reddere Domino Deo noſtro, ſalubriter decernimus aduertendum, vt Epiſcopi formam ſuæ profeſſionis in ſua Conſecratione prolatam, bis in anno coram ſe legi faciant diligenter, vt tantò melius profeſſionis ſuæ recordentur, quantò ſæpius eorum fuerit auribus inculcata*.

269 Dico *ſecundò* Vota emiſſa ab Epiſcopo Regulari, tàm realia, quam perſonalia de re non interdicta, ipſum obligant ante omnem licentiam Papæ, ſeu ab ipſo delegati Superioris, vt ſupra explicatum eſt, donec Superior contradixerit; ita Sanchez *Decal. lib. 4. cap. 25. num. 6.* pluribus Doctoribus adductis, loquendo de qnauis perſona ſubdita alterius poteſtati.

Probatur. Nam Epiſcopus Regularis habet arbitrium vouendi rem, quæ eſt de meliori bono, & vt Epiſcopus, & vt Regularis; Ergo ſi res non interdicta voueri ſit de meliori bono, eam poterit Epiſcopus Regularis Voto nuncupato promittere, & implere, nulla petita, vel expectata Superioris non contradicentis licentia. Probatur antecedens, quia res illa, cum non ſit interdicta, eſt apta ad votum, & quamdiu non interdicitur, eſt ſita in vouentium poteſtate. Prob. conſeq. quia cum huiuſmodi vota ſint licita, ſtatim obligant, & donec Superior contradicat, hæc obligatio durat, vnde *cap. Monacho 20. quæſt. 4.* Vota Religioſi non dicuntur irrita, ſi ſine Abbatis licentia fuerint emiſſa, ſed dicuntur frangenda; ergo antequam frangantur ſunt valida.

Hæc Vota eſſe poterunt de precibus, ieiunijs, modica peregrinatione, & huiuſmodi, vt dixit Sanchez *Decal. vbi ſupra num. 43.*

Sed nota quod ſi res, de qua votum emiſſum fuit, non ſit quidem interdicta de iure, quia iuri non aduerſatur, nec alicui decreto, cui Epiſcopus Regularis ſubijciatur, contradicat, attamen contra præceptum Superioris de tali re votum nuncupatum ſit, vel poſtquam nuncupatum eſt, eiuſdem Superioris diminuat obſequium, tunc cenſendum erit ac ſi emiſſum fuiſſet de re interdicta. Ita Sanchez *vbi ſupra num. 6.*

270 Quæres. An peregrinatio, quæ trium Menſium ſpatio abſolui poteſt, poſſit eſſe Epiſcopo Regulari materia voti, ſola ibi incluſa conditione negatiua, & an ipſe hanc peregrinationem, nulla expectata Superioris licentia, complere poſſit. Videtur reſpondendum eſſe negatiuè: Nam Sac. Conciliũ Trid.

ſeſſ.

Digitized by Google

ſeſſ. 6, c. 1. Epiſc. indulſit, vt abeſſe poſſint tribus menſibus ab Epiſcopatus reſidentia; *dummodo hoc fieret ex rationabili cauſa*, ſed hæc rationabilis cauſa non apparet in abſentia Epiſcopi per tres menſes à reſidentia, ad effectum complendi promiſſam peregrinationem, ſemper enim melius eſt curæ ſubditorum inſiſtere, quàm peregrinari, maximè cum *cap. Magnæ de Voto* dicatur non licere Epiſcopo ſine Sedis Apoſtolicæ licentia peregrinari.

Verum cum ex Concil. Trid. vt dictum eſt, poſſit Epiſcopus abeſſe per tres menſes à ſua reſidentia ſine Papæ licentia, dũmodo id fiat abſque gregis detrimẽto, exiſtimo dictũ Epiſcopum obligari ad peregrinationem, quam Deo promiſerat, nulla expectata Papæ licentia, ſi illam in ſpatio trium menſium complere poſſit: nam illa cenſenda eſt modica peregrinatio, & ex rationabili cauſa aſſumpta, quæ permittitur Epiſcopo ſine Papæ licentia, vt docent Doctores apud Sanchez *ibi ſupra num.* 43. & Suarez *tomo 2. de Relig. tract. de Voto lib. 3. cap. 4. numero* 10. tradit quemcunque ad reſidendum delegatum, qui habet aliquod certum tempus anni, pro quo à reſidentia excuſatur, & peregrinatio maiorem abſentiam, non requirat, tunc votum huius peregrinationis abſolutum eſſe poſſe, quia eo tempore impleri poteſt, in quo nulla eſt prohibitio, neque alienus conſenſus neceſſarius eſt, Epiſcopum autem habere tempus trium menſium, pro quo à reſidencia excuſatur, patet ex Sac. Concil. Trid. loco ſupracitato.

In illo *c. Magnæ*, dicit. Epiſc. non debuiſſe ſine generali, vel ſpeciali licentia emittere Votum peregrinationis, qua tamdiu ſe abſentaret; vnde noſtræ reſponſioni Canon ille non contradicit cum non dicatur tamdiu abſentari, qui tempore ſibi conceſſo ad non reſidendum implet peregrinationem, quam vouerat.

271 Dico *tertiò*. Licet Epiſcopo Regulari emittere Votum de quacunque re ad Votum apta, cum hac conditione de futuro, *Si Superiori placuerit*, ſed Votum non eſt firmum ante Superioris conſenſum; ſi verò haberet intentionem excludendi omnem conſenſum Superioris negatiuum, vel affirmatiuum, quem debet includere, Votum de quacunque re eſſet prorſus irritum, & nullum, dixi *de omni re apta ad Votum*, in quo includitur res etiam interdicta, quæ voueri poteſt, quando ſub certis conditionibus eſt ad Votum apta, quod in ſequentibus explicabo.

Quo ad primam partem Concluſio eſt doctrina Sancti Thomæ

mæ 22. *quæſt.* 88. *artic.* 8. *ad quartum*, & probatur, nam accedente conſenſu Superioris, illa res obligat ad ſuum complementum, vt patebit inferius; ergo eſt apta ad Votum ſub hac conditione de futuro emiſſum. Ergo eam ſub futura conditione vouere poteſt Epiſcopus Regularis.

Secundam partem Concluſionis docent communiter Doctores apud Sanchez *vbi ſupra n.* 19. quam ipſe ita probat *num.* 8. materia, quæ omnino eſt ſubdito interdicta, non poteſt eſſe apta ad Votum; ſed vouere rem aliquam, excluſa illa conditione, eſt materia ſubdito prorſus interdicta, cum ſit ſub poteſtate alterius, & non poſſit dependentiam ab alio in ſuo actu deſerere; ergo non poteſt eſſe apta ad Votum; ergo ſi de illa Votum emittatur, erit Votum illud prorſus irritum, & nullum. Immo ad iſtud Votum implendum non poteſt Prælatus ſubditum aſtringere, quia Votum non obligat vltra intentionem vouentis, cum ergo ex eius intentione Votum ſit nullum, nullam conſequenter inducet obligationem.

Ex dictis colligo id, quod ſuperius attingebam, ſcilicet, Epiſcopum Regularem poſſe emittere Votum de quacunque materia apta ad vouendum, materia verò apta ad vouendum ab Epiſcopo Regulari eſt illa, quę vltra communes conditiones, quas debet habere quęcunque huiuſmodi materia, videlicet, quod ſit honeſta, licita, poſſibilis vouenti, &c. Eſt etiam apta ad Votum, vt eſt ab hac perſona, hiſce decretis, & præceptis ſpecialiter ſubiecta, &c. Inde ſequitur Votum huius Epiſcopi, vt ſit de materia apta ad Votum, neceſſariò includere debere conditionem, ſi Prælato placuerit, vel ſi ipſe non contradixerit, vt dictum eſt. Igitur omnes materię ſunt reſpectu Epiſcopi Regularis aptæ ad Votum, ſi dictam conditionem includat, etiam ſi muneri Epiſcopali prępudicare viderentur, & etiā ſi talis materia eſſet interdicta voueri modis ſupra explicatis. Vnde tale Votum, ſi emittatur ab huiuſmodi Epiſcopo, erit licitum, validum, & obligabit, Superiore conſentiente, ſed quia hanc prętuiam conditionem Votum neceſſariò ſupponit, ante eius aduentum Votum firmum cenſendum non eſt.

Dixi *Superiore conſentiente*, quia ſi res, quę vouetur, ſit non interdicta, ſufficit quòd Superior non contradicat, & obligat donec Superior contradixerit; ideoque ante eius poſitiuum aſſenſum cogit ad ſui obſeruantiam; ſed ſi Votum ſit de re interdicta quomodocunque, Votum obligat vouentem ad petendam

li-

Digitized by Google

licentiam poſitiuam, & expreſſam à Superiore, quia talis Voti nuncupatio valida eſt ante Superioris aſſenſum, ſed exequendi modus non eſt licitus donec Superior non conſentiat. Totum hoc colligitur ex S. Thoma 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 8. & oſtendit euidenter Suarez *dicto tract. de voto lib.* 3. *cap.* 5.

Epiſcopus Regularis, ſi votum emittat de rebus, quæ iure communi, vel Decretis, ac Præceptis Superiorum interdicuntur, & quæ, ne dum interdicuntur ne fiant, niſi licentia obtenta, verum etiam, quę abſolute prohibentur fieri; ſi iudicaret illa opera eſſe ſibi magis conuenientia ad diuinum cultum promouendum, vel ad ſuam ſalutem conſequendam, votum erit validum, etiamſi dicta opera contra præceptum Superioris vouiſſet, non tamen obligaret, donec Superior conſentiret, ſi vero Superior declaraſſet aliquam materiam voto promiſſam non eſſe vouenti de meliori bono, tunc votum eſſet de re illicita, & conſequenter nullum. Ita Sanchez *vbi ſupra num.* 18.

Idem dicendum eſt de Votis, quæ fiunt in materia, non ex pręcepto interdicta, ſed de conſilio minus bona iudicata; Nam hæc etiam erit apta ad Votum, ſed non obligabitur vouens ad exequendum, niſi licentia obtenta, ad quam procurandam omnino tenetur.

272 Sit exemplum de ſingulis, quę dixi & *primo in voto de re interdicta ſub iſta conditione, quòd non niſi de licentia fiat.* Epiſcopo præcipitur vt non diſcedat à ſua Diœceſi, niſi prius obtenta licentia à Romano Pontifice iuxta Sacrorum Canonum, & S. Concilij Tridentini ſanctiones, quas innouat *Conſtitutio Vrbana ſub dat.* 12. *Decembris* 1634. hoc non obſtante, Epiſcopus Regularis vouet longam peregrinationem, quæ expleri non poterit niſi per Annum, ſeu vouet renunciare Epiſcopatum, vel ad ſuam Religionem redire, hæc omnia prohibentur fieri ab Epiſcopo Regulari niſi de licentia Papæ, vt patet ex *cap. Magnæ, de Voto*, & ex alijs iuribus, quæ *cap. Sequenti* §. 2. adducam. Hęc vota, ſi à dicto Epiſcopo fuerint emiſſa, valida erunt accedente conſenſu Papæ, obligabuntque illum ad exequendum promiſſa; Vnde tenetur ad procurandam licentiam vt illa exequi valeat; *Exemplum in Voto de re abſolute interdicta.* Præcipitur Epiſcopo vt reſideat continuò in ſua Diœceſi. Ita Conc. Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 1. Hoc non obſtante Epiſcopus vouit aliquod opus, quod eſt incompoſſibile cum reſidentia, hoc Votum erit validum, & tenebitur Epiſcopus petere Superioris licentiam ad

illud

illud exequendum. Idem dico de re, quæ conſulitur tantum, vt melior, verbi gratia, Sac. Conc. Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Refor.* non imponendo neceſſitatem, ſed conſulendo, ſtatuit quod Epiſcopus nullo pacto abſit ab Eccleſia Cathedrali temporibus Aduentus, Quadrageſimæ, &c. niſi epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eum alio vocent, hoc non obſtante, Epiſcopus vouet manere in aliquo alio Diœceſis loco pro illis temporibus, occaſione operis non epiſcopalis, quia v. g. cauſa pœnitentię vult illo tempore in Eremo commorari, Votum erit validum, & tenebitur petere licentiam ad illud exequendum, ſicut in ſimili dixit Leſſius *de iuſt. cap.* 40. *dub* 10. *num.* 72. de Religioſo, qui vouit orare in templo, dum regula præcipit eſſe in cubiculo, ait enim tunc teneri ad petendam licentiam, Sanchez *vbi ſupra n.* 10. oppoſitum docet, aſſerit enim Votum, quod eſt contra præceptum Superioris, vel de re interdicta per regulam, quæ tamen ſæpe conſulitur, non præcipitur, vt patet, non obligare ad petendam licentiam, cùm melius ſit ſe conformare voluntati Superioris, & ſtatuto regulę, quam petere licentiam ad exequẽdum Votum, vel abſolutionem ab illius obligatione, quod dixiſſet etiam in caſu præmiſſo ex paritate rationis. Idem ait Nauarr. *in Man. c.* 12. *num.* 72. quando opus promiſſum eſſet impedimentum maioris boni, & complementum ipſius eſſet malum, vel inutile, tunc, inquit, nulla eſſet licentia, nec abſolutio procuranda, quia ceſſaret ex natura rei ſine alia abſolutione tota Voti obligatio. Verum liceat Epiſcopo Regulari vouere obedientiam præterquam Papæ, Vide ſupra quæ dixi agendo de Voto obedientiæ *num.* 193. ſed declarandum modo eſt, quando, & quomodo petenda ſit ista licentia, & procuranda à Superioribus, quibus intereſt illam concedere.

273 Ad *primum* dicendum, ſi Votum ſit alligatum tempori determinato, petenda eſt licentia tempore oportuno, & antequam expiret, Si vero Votum ſit perpetuum, petenda eſt licentia pro quocunque tempore, pro quo iuxta ſuam intentionem vouens obligari credit ad votum ſuum exequendum: Probatur, nam vouens debet facere totum, quod in ſe eſt, vt impleat Votum ſuum; Ergo debet procurare licentiam, quam ſi procurare non intendiſſet, vel non procuraret omni eo modo, quo poteſt, eius Votum eſſet vanum, & irriſorium, cum talis licentia ſit intrinſeca validitati illius Voti, non enim niſi ea ſuppoſita Votum validum eſſe potuiſſet. Ita Silueſter *verbo Votum* 3. *quæſt.* 3. *di-*

Ito 5. & Sanchez *vbi ſupra num.* 24.

274 De *ſecundo* diſputant Doctores, & quærunt, vtrum debeat vouens petendo licentiam, manifeſtare Prælato ſe Voto emiſſo illam actionem promiſiſſe. Negat Sanchez *vbi ſupra numero* 28. Partem affirmatiuam eſſe tutiorem, docet Caiet. 22. *quæſt.* 88. *artic.* 8. *dub.* 2. eamque admonet regulariter amplectendam eſſe. Caietanum ſequuntur Authores multi, quos adducit idem Sanchez *vbi ſupra num.* 28. Vide quæ fuſius dixi Superiori *cap.* §. 7. *numero* 156.

275 Diſputant etiam Doctores an ſemel petita, & denegata licentia, cenſendum ſit Votum à Superiore fuiſſe relaxatum, vel iterum, atque iterum petenda ſit, & quotieſcunque iudicabitur adeſſe tempus oportunum ad illam de nouo petendam, procurari debeat, etiamſi pluries fuerit denegata.

Qui dicunt non eſſe in petenda licentia Votum manifeſtandum, dicunt etiam licentiam denegatam, eſſe toties petendam durante obligationis tempore, quoties iudicabitur oportunitas adeſſe ad eam impetrandam; cum enim Superior de Voto non ſit informatus, præſupponendum non eſt voluiſſe illud relaxare, dum talem licentiam denegauit. Qui verò volunt manifeſtandum eſſe Votum, docent ſemel licentia ſimpliciter denegata, cenſendum eſſe à Superiore relaxatum, nec vlterius reuiuiſcere: Vnde ſubinferunt ſufficere, vt licentia vnica tantum vice à Superiore poſtuletur.

Dixi *licentia ſimpliciter denegata*, poſſet enim denegari tantum pro illo tunc, nam ſi Superior diceret, *nolo modo quod facias*, vel *de hac re loquemur iterum*, huiuſmodi verbis ſuſpenderet licentiam petitam, non denegaret omnino, & conſequenter ſuſpenderet pro illo tunc Voti obligationem, ſed illam prorſus non tolleret; ſubditus ergo teneretur in hoc caſu prudenter iudicare, quando inſtaret obligatio eandem licentiam iteratò petendi, & tenebitur toties oportunè petere, quoties vel ſimpliciter concedatur, vt Votum impleat, vel ſimpliciter denegetur, vt Votum ceſſet; tunc enim redderetur materia Voti ablata, cum euaderet impoſſibilis vouenti, erat enim tantum ad Votum apta ſub illa conditione, ſi Superior dederit licentiam id agendi. Ita Suarez *de Relig. tomo* 2. *tract. de Voto lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 14. & 15.

PVN-

Digitized by Google

PVNCTVM QVARTVM.

Ad quem Superiorem pertineat irritare, commutare, ſeu diſpenſare Vota Epiſcopi Regularis in quocunque ſtatu fuerint emiſſa, citra tamen illa, quæ ſunt Religionis ſubſtantialia.

SVMMARIVM.

Prælatus, qui relaxat Vota Epiſcopi Regularis. 276. 301
Vtrum omnia Vota commutentur in religioſa profeſſione. 277
Vota realia quando relaxantur. 278
Quomodo vota cætera ante Epiſcopatum emiſſa. 279
Quomodo Vota in ſtatu Epiſcopali nuncupata. 280. 283
Limitationes quadam. 281
Epiſcopus poteſt ſecum diſpenſare. 284. 302
Diſtinctio inter diſpenſatum, & diſpenſantem expenditur. 285
Cap. fin. de Inſtitutionibus adducitur. 286
Vota citra tria ſubſtantialia. 287
An intelligantur extincta in Epiſcopo. 292. 293
Diſcrimen inter tranſitum ad aliam, & ad Epiſcopatum. 288
Oracula Pontificum. 294
Reſpondetur obiectis. 295
Difficultas Voti. 296. 297
Epiſcopus eſt liber à pœnis regulæ. 299.
Ponuntur quidam caſus. 300
Vrbani Conſtitutio expenditur. 301.

276 AD quæſitum immediate reſpondendo, dico, Ad illum Superiorem pertinere relaxare Vota Epiſcopi Regularis, cui Vota ſunt reſeruata, igitur Papæ reſeruata, à Papa relaxari debent. Si dicta Vota fuerint ab Epiſcopo Regulari nuncupata in ſæculo, & nunquam relaxata, nec in Religioſam profeſſionem commutata, non poterunt relaxari, niſi à Papa per commutationem, vel diſpenſationem, nam Papa non irritat Vota Sæcularium, vt probat Suarez *de Relig. tomo 2. tract. de Voto lib. 6. num.* 2. Si verò dari poſſit aliquod tale Votum, quod in religioſam profeſſionem non potuerit commutari de iure, in dubiũ

reuocari poteſt, & pro parte negatiua facit, quòd dici ſolet. Omnia Vota ſimplicia de iure in ſolemnia Religionis Vota commutari; prout *cap. Scripturæ de Voto* decernitur.

277 Sed quicquid ſit de hac re, certum eſt per Papæ ſtatutum prohiberi poſſe dictam commutationem, vel omnium, vel aliquorum Votorum, cum non ſit de natura rei iſta commutatio, vt probabilius dicitur. Quapropter poſſet à Papa declarari aliquod Votum non eſſe cenſendum in dictam ſolemnem profeſſionem fuiſſe commutatum. Poſſet etiam eſſe aliqua Religio, in qua decerneretur, quod Religioſorum Vota in ſæculo nuncupata per profeſſionem, quæ in illa emittitur, ſuſpenderentur, non commutarentur, ſeu quod intacta perſeuerarent. De qua re adduco in exemplum Votum emiſſum in vna Religione non acceptandi Epiſcopatum, quod ante Conſtitutiones Vrbanas probabiliter cenſebatur relaxari, vt aduertit Theſaurus *de Pœnis, verbo, Religio* 4. dum vouens ad aliam Religionem tranſibat, in qua tale Votum ex præſcripto regulæ non emittebatur, quòd modo, vt quidam dicunt, nouo iure, & ex vi Pontificiæ declarationis, in tranſitu illo non extinguitur, aliqui hoc idem extendunt etiã ad cætera Vota ſpeciali promiſſione ex præſcripto regulę nuncupata.

Præterea dici poſſet Vota commutari in prima profeſſione, non verò in poſteriori, ſicut in prima profeſsione omnia crimina pleniſsimè condonantur, vt docet Sanctus Thomas 4. *diſt.* 4. *q.* 3. *artic.* 3. *quæſt.* 3. *ad tertium*, & communiter Doctores; ſi verò contingat Religioſam iterum profiteri, in poſteriori profeſsione non obtinere hanc condonationem, aſſerit Barboſa *dicto capite Scripturæ*, cum Sanchez *loco ibi citato*.

Attamen cum eodem Sanchez docet in poſteriori profeſsione commutari omnia Vota ſimplicia in priori Religione emiſſa; quamuis conſulat tutius eſſe illorum Votorum petere irritationem. Patet ergo contingere poſſe, aliquod Votum in ſæculo nuncupatum, Papa prohibente, non commutari in religioſam profeſsionem, vel declarante commutatum non fuiſſe, cenſendum eſſe in ſua vi perſeuerare, etiam poſt profeſsionem.

Præterea certum eſt in Vota ſimplicia emiſſa poſt biennium à viris Societatis, quamuis Religionis ſubſtantialia, & quantum ad hoc ſolemnibus æquiualentia, non commutari Vota, quæ fuerunt emiſſa in ſæculo, niſi iſtam commutationem vouens ſine dolo intendiſſet, vt explicant Doctores Societatis apud Barbo-

ſam

ſam *vbi ſupra*, qui tenent Vota omnia, vno excepto Religionis determinatæ, per illa Vota poſt biennium emiſſa tantum ſuſpendi, & non extingui, ita vt ſi quis à Societate dimitteretur, & fieret Epiſcopus poſt biennium profeſſus, Vota illa reuiuiſcerẽt; ſed hoc eſt nouo iure introductum, vt conſtat ex eiuſdem Societatis declaratione facta in prima Congregatione Generali *Can.* 22. quam refert Suarez *tomo* 4. de *Relig. tract.* 10 *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 24.

278 Si Vota Epiſcopi Regularis fuerint realia, & includant ius tertij per acceptationem acquiſitum, non ſunt irritabilia, nec diſpenſabilia, vt ſupra indicaui *num.* 255, niſi is, in cuius commodum facta fuere, conſentiat, vel niſi occurrerent caſus ibidem expreſſi.

279 Vota Religioſi Epiſcopi in Religione emiſſa nunquam relaxata, vt dixi etiam ſupra, *num.* 262. poſſunt à Prelato Regulari irritari, ſeu diſpenſari, ſicut votum transeundi ad arctiorem, quod non eſt irritabile, ſed diſpenſabile, vt ex dictis conſtat.

280 Vota ab Epiſcopo Regulari in Epiſcopatu iam conſtituto emiſſa, quædam relaxari non poſſunt niſi à Papa, huiuſmodi eſt votum de non deſerendo per totam vitam curam paſtoralem, quod eſſe Papę reſeruatum, & ab ipſo tantum diſpenſari poſſe, cum ſit votum perpetuum, docet S. Tho. 22. *quæſt.* 185. *art.* 4. Idem dicerem de alijs iuramentis, quę emittit Epiſcopus dum conſecratur, vel ante conſecrationem, quę rarò, & non niſi cum multa difficultate diſpenſantur, dixit enim idem S. Tho. 4. *d.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 2. ſolum Papam diſpenſare poſſe in votis, quæ non de facili diſpenſationem accipiunt, aut frequenter, & rarò; Vota etiam reuertendi ad Religionem, & tranſmarinę peregrinationis, ac alia huiuſmodi emiſſa in ſtatu Epiſcopali à Regulari, poſſe à ſolo Papa, cui ſunt reſeruata, relaxari diſpenſatione, vel commutatione certum eſt, Verùm dico inſuper Papam poſſe illa irritare, nam includunt conditionem, qua omnino pendent à conſenſu Pontificis vt ſupremi Religionum Prælati; Hoc igitur conſenſu ceſſante, votum irritum remanebit; Ita Sanchez *lib.* 4. *Decal. capit.* 24. *numero* 19.

281 Sed duæ limitationes huic doctrinę à quibuſdam authoribus adiunguntur. Prima quod Epiſcopus, cuius votum de peregrinatione eſt irritatum, non abſoluitur ab expenſis, quas eun-

Digitized by Google

eundo, morando, & redeundo feciſſet; Vnde ad iſtas ſoluendas tenebitur. Ita Hoſtienſis, Silueſter, Tabiena, & alij allegati à Sanchez Dec. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 38. idque probant ex *cap. Magnæ de voto*. Vbi Papa votum peregrinationis Epiſcopi commutauit in vigilias, preces, ieiunia, & alia pietatis officia, declarauitque illum mittere debuiſſe expenſas ſupradictas ad locum, ad quem erat peregrinaturus; Sed caſum iſtum ſingularem, in quo Papa ita reſoluit, vt ſuccurreret vrgenti neceſſitati, quę tunc in illis partibus vigebat, mittendo ibi tale ſubſidium, non eſſe extendendum ad omnia huiuſmodi vota relaxata, maxime cum illa neceſsitas ceſſauerit. Docet cum communi Barboſa *de off. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 53. *num.* 22. quod etiam ratio ſuadet, nam Epiſcopo, qui vouit peregrinationem, Papa licentiam peregrinandi vel concedit, vel denegat, ſi concedit, obligatur ad explendum votum, ſi denegat, votum remanet irritatum. Vnde non indiget commutatione, nec diſpenſatione, & conſequenter non tenetur nec ad vigilias, &c. nec ad expenſas. Ita Sanchez *vbi ſupra cap.* 25. *num.* 41.

282 Altera limitatio eſt; Vota Epiſcopi reſeruata Papę; cuiuſmodi ſunt illa, quę habent materiam muneri Epiſcopali pręiudicialem, per licentiæ denegationem irritari, non directè, ſed indirectè, hoc eſt eſſe tantum ſuſpenſa, donec Epiſcopus in munere Epiſcopali perſeuerans redditur impoſsibilitatus ad ea exequenda, quia eorum materia eſt cum Epiſcopali opere incompoſsibilis, attamen ſi Epiſcopus Epiſcopatum dimitteret, reuiuiſcerent, & teneretur, verbi gratia, ad Religionem reuertere, ſeu ad explendam longam peregrinationem, ſeu ad tranſeundum ad ſtrictiorem, &c. ſi de his ſimilibus vota nuncupaſſet; Nam tunc Epiſcopus ille redditur habilis ad iteratum ingreſſum Religionis, ad tranſitum ad ſtrictiorem, & ad peregrinationem, &c. ab opere Epiſcopali amplius non impeditus, nec excuſatus ab impotentia reddendi Deo vota ſua. Ita quidam Doctores apud Sanchez *lib.* 4. Dec. *cap.* 26. *num.* 6. Ipſe vero, & Fagundez *in ſecundum Præcep. Decal. lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 15. tenent oppoſitum, exiſtimant enim cum Caiet. *in Summa Verbo Votum cap. de quatuor conditionibus*, & alijs Doctoribus ſupra à Sanchez citatis, qui loquuntur in ſpecie de Epiſcopis Regularibus, vota illa omnino ceſſaſſe, vtpote perpetuo, & directè irritata, nec vnquam amplius reuiuiſcere, cum dicta Vota haberent illam conditionem de conſenſu Papę inſertam, quo denegato, votum

tum omnem vim, & obligationem amittit, vt ſupradictum eſt, cui ſententię ego quoque aſſentior, & aſſentiri etiam debuiſſet Suarez *de Relig. Tomo 2. lib. 6. cap. 1. num. 5. in Tract. de Voto, & cap. 2. num. 7.* non enim eſt eadem ratio de Epiſcopo Sęculari, & de Epiſcopo Regulari, dum agimus de irritatione Votorum; ſi enim Papa in ſententia Suarez non poteſt irritare directè Votum Epiſcopi Sęcularis, inde eſt, quia, vt ipſe dicit, Papa non poteſt illi prohibere boni promiſſi complementum, niſi durante impedimento muneris Pontificalis, vnde ceſſante hoc impedimento, tenetur reddere Votum ſuum, ſi fuerit perpetuum, & non eſſet extincta obligatio, vel ex diſpenſatione, ſeu commutatione, vel quia tempus, pro quo erat promiſsio exequenda, iam pręterijſſet, ſed hęc ratio ceſſat in Epiſcopo Regulari, cuius Vota Papa, vt omnium Religionum Pręlatus ſupremus, poteſt directè irritare ex vi voti obedientię, per quod habet in Religioſi voluntatem dominium abſolutum, & hoc à Doctoribus non controuertitur.

283 Tandem reſoluendum eſt ad quem pertineat relaxare Epiſcopi Regularis Vota in ſtatu Epiſcopali emiſſa, quæ non ſunt Papæ reſeruata, vt Vota realia, & perſonalia, à quorum impletione non excuſatur per impotentiam, & incompoſſibilitatem materię promiſſę cum munere Epiſcopali.

Id non pertinere ad Prælatum Regularem etiam ſuprępmum certum eſt, nam nec perſona, quæ vouit, nec materia Voti ſubiacet Prælato Regulari, vt docet Suarez *de Relig. tomo 2. Tract. de Voto lib. 6. cap. 7. num. 10.* Neque id pertinere ad aliquem alium Pręlatum, vt Archiepiſcopum, Primatem, &c. ſi non habeat ad hoc aliquam facultatem Apoſtolicam delegatam, vel niſi id per legitimam conſuetudinem fuiſſet alicubi introductum, ex eadem ratione conſtat, & docet idem Suarez *ibidem c. 11 num. 3.* vbi concludit hanc relaxationem pertinere ad ſolum Sum. Pontificem, vnicum Prælatum Epiſcopi Regularis, qui eius Vota commutare, diſpenſare, & irritare poterit, eodem prorſus modo, quo id agere potuiſſet cum dicto Epiſcopo, quando erat ſimplex Regularis, Prælatus Ordinis ex quo eſt aſſumptus, hoc ſuppoſito, idem Suarez *vbi ſupra* negat poſſe Epiſcopum Regularem committere ſuo Confeſſario, vt ſecum diſpenſet in Votis, quorum relaxatio pertinet ad Prælatum, & id ipſum multo magis denegat eidem Epiſcopo, quem vult ſecum in nullo Voto diſpenſare poſſe, nec quidem in illis, in quibus ipſe po-

Digitized by Google

poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare, cum ſentiat hanc iuriſdictionem ſecum diſpenſandi eſſe propriam, & ſingularem in Summo Pontifice, qui nullum habet Superiorem, ad quem recurrere poſſit pro diſpenſatione ſuorum Votorum, quod dixi de diſpenſatione, dico etiam proportionabiliter de commutatione, & irritatione.

284 Hæc Suarez opinio reddit omnium Epiſcoporum conditionem deteriorem ſubditorum conditione, cum iuxta illam ipſi poſſint ab Epiſcopo, quem præſentem habent, cum multa facilitate obtinere, quod Epiſcopus cogeretur à Papa diſtante, & cum multa difficultate procurare; Vnde ipſemet Suarez ex hac ratione concedit Epiſcopo poſſe ſuo Confeſſario committere, vt ſecum diſpenſet in irregularitatibus, in quibus ipſe poteſt cum alijs diſpenſare; Ita *tomo 5. in 3. p. diſp. 41. ſec. 2. num. 9* Aliqui hanc opinionem mitigant, dicendo, poſſe Epiſcopum ſecum diſpenſare, quando non poteſt commode Superiorem adire, quos refert Sanchez *de Matr. lib. 8. diſp. 3. num. 5.*

Sed idem Sanchez *num.* 8. euidenter probat poſſe Epiſcopum ſuo Confeſſario iniungere, vt illius Vota diſpenſet, & hanc iuriſdictionem poſſe etiam erga ſe ipſum exercere in omnibus caſibus, in quibus ipſe poteſt cum ſibi ſubditis, quod ita probat: Poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, ſi non prohibeatur, quod poteſt Papa in toto Orbe, ſicut probauerat *lib. 1. diſp. 61. num. 3.* cum communi, in iure autem nullus inuenitur Textus, qui interdicat Epiſcopo quod non poſſit committere ſuo Confeſſario facultatem ſecum diſpenſandi ſuper Votis, ſi ſit Epiſcopus Regularis, & inſuper quod non poſſit idem Epiſcopus ſecum in Votis huiuſmodi diſpenſare, ſi itidem ſit Regularis. Præterea Epiſcopo conceditur eligere poſſe Confeſſarium, qui eum abſoluat à reſeruatis: *Cap. fin. de Pœn. & remiſſ.* Ergo poterit etiam eligere Confeſſarium, qui ſecum in Votis diſpenſet, non enim eſt aliqua apparens diſparitas aſſignabilis inter hæc duo; quicquid dicat Suarez *loco cit.* Nec Textus Canonis mox adductus obſtat, nam quamuis Textus ille loquatur de ſola abſolutione Sacramentali, tamen communiter cenſetur mentem Papæ Canonis conditoris fuiſſe indulgere omnibus Prælatis, vt per ſuum Confeſſarium ipſi obtinerent in foro conſcientiæ, quod ab ipſis eorum ſubditi obtinere in eodem foro poſſent. Ita Sanchez *vbi ſupra* cum pluribus adductis *num. 2.* & Suarez *Tomo 4. de Rel. Tract. 8. lib. 2. cap. 14. num. 4.* Tandem quia ratio conuincit id

eſſe adeo Sum. Pontifici ſpeciale, vt repugnet ordinariæ Epiſcoporum iuriſdictioni, quod idem Sanchez oſtendit *num.* 8. Ergo, &c.

285 Dices aſſignandam eſſe diſtinctionem inter perſonam diſpenſantem ſeu commutantem Votum, & perſonam cuius Votum diſpenſatur, ſeu commutatur, nam *cap. fin. de inſtitutionibus*, non approbatur à Papa collatio cuiuſdam Præbendæ, quam Abbas quidam receperat à ſe ipſo, ex hac ratione, quia inter dantem, & recipientem debet eſſe diſtinctio perſonalis. Ergo etiam hæc diſtinctio debet eſſe inter diſpenſatum, & diſpenſantem, &c.

Reſp. In quibuſdam tantum caſibus non poſſe aliquem exercere iuriſdictionem in ſe ipſum, ſcilicet, in abſolutione Sacramentali, quæ de iure diuino poſtulat diſtinctionem perſonalem inter abſoluentem & abſolutum, & in his in quibus exercetur iuriſdictio coactiua, per quam res terminantur per ſententiam, quam nullus poteſt ferre in ſe ipſum, quia in iudicio non poteſt idem eſſe Iudex, & Reus, vt docet S. Tho. 4. *d.* 20. *quæſt.* 1. *artic.* 5. *quæſt.* 4. *ad tertium*, tandem ius Canonicum in *cap. fin.* adductum, & *in cap. Per noſtras, de iure Patron.* ſtatuit neminem poſſe ſibimet conferre Dignitates, vel Beneficia Eccleſiaſtica, ſed in diſpenſatione Votorum non eſt neceſſaria diſtinctio perſonarum, nam diſpenſationem poteſt homo facere in ſeipſum, vt dixit S. Thomas *vbi ſupra*, & 22. *quæſt.* 185. *artic.* 12. docet poſſe Epiſcopum Regularem ſecum diſpenſare in obſeruantijs Ordinis Religioſi, ſicut poteſt Prælatus Regularis ergà ſe ipſum, quod etiam admittit idem Suarez *vbi ſupra num.* 4. & probat Sanchez *etiam vbi ſupra num.* 6. nec inuenitur Textus, per quem contrarium in iure decernatur.

Ex illa Sancti Thomæ doctrina, qua dicitur poſſe Epiſcopum Regularem ergà ſeipſum diſpenſare, ſicut poſſet Prælatus Regularis, patet Epiſcopum Regularem poſſe committere ſuo Confeſſario, vt diſpenſet ſecum in Votis, quæ diſpenſabilia ſunt à Prelatis Regularibus, idque ipſummet poſſe erga ſe ipſum, cum enim id poſſit quilibet Prælatus Regularis, ſi non prohibeatur, vt ex dictis patet, poterit etiam Epiſcopus Regularis, cui erga ſe ipſum attribuitur à Sancto Thoma Prælati Regularis ius diſpenſandi, &c.

286 Illa ratio, quę in contrarium affertur ex *cap. fin. de Inſtitutionibus*, ſcilicet inter dantem, & accipientem debet eſſe diſtinctio perſonalis, ex qua deducitur eandē diſtinctionem eſſe ponē-

dam inter diſpenſatum, & diſpenſantem, non conuincit intentum, nam Abbas ibidem adducit plures Textus, in quibus ſtatuitur integrum eſſe alicui ſuſtinere vices duplicis perſonæ, ex qua Abbatis animaduerſione colligitur in allegato *cap. fin.* Papam noluiſſe reddere rationē caſus ibi deciſi, quæ eſſet generalis, itaut in omnibus ſemper illa diſtinctio eſſet obſeruanda, ſed rationem tantùm ſpecialem reddidit, ex qua voluit collationem Dignitatum, & Beneficiorum nullam eſſe, ſi in collatione prædicta non ſeruaretur perſonalis diſtinctio, ne ſi ſecus fieret, perniciosū daretur exemplum Prȩlatis, dum frequenter ſibi Beneficia conferrent, & ſeipſos ad Dignitates promouerent. Præterea voluit Pontifex ſuo ſtatuto auertere à Prælatis omnem auaritiæ, & ambitionis occaſionem, hæc enim facilem haberent ad Prælatos ingreſſum, ſi à ſe ipſis recipere poſſent Eccleſiaſticos Redditus, & Honores.

287 Poſt Vota ſupradicta Epiſcopi Regularis, agere oportet de Votis eiuſdem, quæ citra tria ſubſtantialia fuere ab ipſo emiſſa in religioſa profeſſione iuxta ſtatutum ſpeciale quarundam Religionum, huiuſmodi eſt quartum Votum ſolemne, quod emittitur à profeſsis in Societate IESV, obediendi Sum. Pontifici miſsiones ad Infideles iniungenti, & alia quinque Vota ſimplicia eorundem, quæ habentur præcipuè in Suarez *tract. vlt. ſui operis de Relig.* vbi erudite, & docte explicantur, ac tuentur egregie. Item Votum ſolemne de non ambiendis dignitatibus extra ordinem, quod emittunt Carmelitæ, & Auguſtiniani ex diſcalceatis, Clerici Minores, Religioſi Societatis, alijque fortaſſe in alijs Religionibus. Item Votum ſimile de comedendis cibis quadrageſimalibus per totum annum; ſicut vouent Fratres Ordinis Minimorum, Votum de perenni miniſterio ȩgrotantibus exhibendo, quod emittunt Clerici Regulares miniſtrantes infirmis, & de redimendis captiuis, quod vouent Fratres Ordinis Mercennariorum, quibus adiungo iuramentum, quod faciunt Lectores, & Magiſtri Philoſophiæ, & Theologiȩ in Ordine Prȩdicatorum de ſectanda doctrina S. Thomæ, iuxta Decretum Capituli Generalis Romȩ celebrati anno 1629. quod ſapientiſsime iuſſum fuiſſe, & iuramentum prædictum à ſupradictis Lectoribus, & Magiſtris religioſiſsime fieri non dubito, quicquid in contrarium dixerit Thomas Campanella eiuſdem Ordinis, qui hoc iuramentum me prȩſente prȩſtitit, ſed poſtea acriter impugnauit in *quæſt. de Gentiliſmo non retinendo art. 3. con. 4.*

Iu-

Iuramentum hoc quantum ad validitatem, & relaxationem, iudicandum eſſe ac ſi eſſet quoddam votum, ex ſupradictis colligi poteſt.

288 De his Votis agendo, Quæro *Primò*, vtrum hæc Vota cenſenda ſint extincta in dictis Religioſis per Epiſcopalem ordinationem. *Secundò*, Suppoſito quòd non ſint extincta, cui pœnæ ſubiaceant eorum præuaricatores. Tandem, ad quem Superiorem ſpectet eorundem Votorum relaxatio.

Quantũ ad primũ, nota diuerſam eſſe rationẽ in hac cõtrouerſia apud aliquos Doctores de tranſeunte ad aliã Religionẽ ex vna parte, & de promoto ad Epiſcopatum ex altera; dicunt enim, ille, qui tranſit ad aliam Religionem, cùm non remaneat amplius Religioſus ſpecificus prioris Religionis, conſequenter nec ad Vota prioris Religionis obligatur; vnde Vota in priori Religione emiſſa, quæ in poſteriori nõ emittuntur, ipſum amplius non afficiunt, tum quia cenſentur in poſteriorem fuiſſe profeſſionem commutata, vt ſupra dicebam, tum quia congruum non eſſet illum Religioſum grauare oneribus duplicis Religionis, id enim eſſet contra diſpoſitionem *cap. At ſi Clerici, extra de iudicijs*; prout ſentiunt Doctores adducti à Barboſa *in Collect. ibi, verbo, nec duplici, num.* 11. ita Sanchez *Decal. lib.6. cap. 6. num.* 87. Suarez *de Relig. tomo* 2. *lib.* 3, *de Vot. cap.* 3. *num.* 7. Vega *in Summ. tomo* 2. *cap.* 86. Barboſa *in Collect. cap. Scripturę, de Voto*; At Epiſcopus Regularis remanet Religioſus ſpecificus eiuſdem Religionis, nec per aſſumptionem ad Epiſcopatũ eius vota commutantur, vt ſupra probatum eſt; ergo erit diuerſa ratio quantum ad huiuſmodi vota, de Religioſo tranſeunte ad Religionem alteram, & de Epiſcopo; quicquid ſit de hac diuerſitate rationis, quam infra improbabo: interim adducam argumenta, quibus graues aliqui Doctores conuincuntur ad ſuſtinendum in Epiſcopo Regulari dicta Vota ceſſare ſtatim ac Epiſcopalem dignitatem acquirit.

289 *Primum*: Nam Vota iſta emittuntur vt connexa profeſſioni illius vitæ regularis, & vt illam concomitantia, & quaſi acceſſoria; Ergo cum Epiſcopus Regularis euaſerit liber à principali vitę regularis obligatione, liberabitur quoque ab obligatione acceſſoria horum Votorum; iuxta illam *regulam* 42. *iuris Can. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.*

290 *Secundum*: Nam Votum deſinit obligare, quando facta eſt adeo notabilis mutatio materiæ, vt reddatur notabiliter diffi-

cilior, quæ difficultas, ſi præuiſa fuiſſet a principio, rettaxiſſet à Voti nuncupatione, ſed Religioſo creato Epiſcopo, circa materiã illorum Votorum fit notabilis mutatio, & redditur notabiliter difficilior vouenti; ergo Votum deſinit obligare.

291 *Tertium*: Quia Vota illa emittuntur ad felicem ſtatum illius Religionis conſeruandum, quę ratio durat vſque dum profeſſus eſt de religionis corpore. Ergo cum Religioſus factus Epiſcopus non ſit amplius de illius Religionis corpore, non obligabitur illis Votis.

292 Hæc ſunt argumenta, quibus probat hanc ſententiam, quam amplectitur, Sanchez *Decal. lib. 6. cap. 9. num.* 56. loquendo de eiectis, in quibus eſſe ſimilem rationem cum Epiſcopis dixerat ſupra *cap. 6. num.* 15. Eandem ſententiam alij Doctores vt certam, alij verò vt probabilem admittunt, inter quos Lezana *Sum. tomo 1. cap. 17. num.* 10. Diana *par. 3. tract. 2. reſolut.* 50. *& par. 5. tract. 2. reſol. 65. & tract. 1. Miſc. reſol. 39. & par. 9. tract. 8. reſol.* 70. noſter Texedo *lib. 2. tract. 1. controu. prima num. 9. 10. & 12.* Barboſa *de offic. Epiſc. par. 1. tit. 1. cap. 4. numero* 38.

Vota prædicta ego in duo genera diuidenda eſſe puto; ad primum genus reduco vota, quæ important in vouente vitam communẽ, & eſſe mẽbrũ actuale alicuius Relig. hęc ſunt illa Vota, quę primò, & per ſe cenſentur emiſſa ad cõſeruandũ ſtatum illius Religionis, ad poſterius genus reduco Vota, quæ emiſſa fuerunt primò, & per ſe ob cultum Dei: Vota primi generis puto in Epiſcopo Regulari manere ſuſpenſa, v. gr. Votum de non procurandis, vel acceptandis dignitatibus extra Ordinem Regularem, Epiſcopum in epiſcopali ſtatu per me non obligat: Vnde poteſt procurare, & acceptare alium Epiſcopatum, & Cardinalatum, quia hoc Votum importat primò, & per ſe conſeruationem Religionis, vt *cap. primo*, §. 3. innuebam, includitque in vouente vitam communem, & eſſe membrum actuale alicuius Religionis, quod de Epiſcopo Regulari non verificatur, ſed ſi Epiſcopus reuerteretur, vel reduceretur ad Monaſterium, tunc Votum reuiuiſceret, quia tunc eſſet actuale membrum alicuius Religionis. & ſi reuertere, vel reduci non poſſet ad Monaſterium, quia, v. g. Religio, ex qua fuit aſſumptus, eum ẽiecit, vel eſſet ſuppreſſa, tunc illud Votum per me maneret eodem modo ſuſpenſum, quo erat dum Epiſcopi officio fungeretur. Ad Vota poſterioris generis, de quibus eſt maior controuerſia inter

ter Doctores, dubium propoſitum coarctando.

Dico Vota iſta, quæ ex præſcripto regulę ſingulari profeſſione vouentur in ſupradictis Religionibus, non extingui per Epiſcopalem aſſumptionem; ſi vero Epiſcopalis muneris exercitio, & ſtatui repugnarent, tandiu ſuſpenderentur, quamdiu repugnantia perduraret.

Hæc exiſtimatur ſententia Caiet. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 8. *dub.* 2. *& in opuſculorum Tomo* 1. *tract.* 25. *quæſt.* 2. *&* Soto *lib. vltimo de iuſt. quæſt. vlt. art. vlt. concl.* 7. *verſ. ſed contra*, vbi dicunt Religioſum Epiſcopum non teneri ex vi coactiua ad obſeruantias regulares, ſecus vero eſſe de Votis, quia illas obſeruantias ipſe expreſſe non promiſit; vnde cum ad eas teneretur tantum ex vi religioſi inſtituti, ab hoc liberatus per Epiſcopalem ordinationem, ab obſeruantijs etiam conſequenter liber euadit; ſed ad illa Vota adhuc tenetur, quia ex propria promiſſione voluit ad illa teneri. Exemplificat hoc Soto in abſtinentia à carnibus, ad quam tenetur, verbi gratia, Carthuſianus, quia eſt à ſua Regula præſcripta, ſed Epiſcopus factus ad eam amplius non tenetur, quia non emiſit de hac abſtinentia ſingulare Votum, vbi indicat oppoſitum dicendum eſſe de ijs, de quibus in aliqua Religione ſpeciale Votum emittitur; hanc eandem ſententiam tuetur Suarez *Tomo* 4. *de Rel. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 8. Bonacc. *de Clauſ. quæſt.* 2. *punc.* 12. *§.* 3. *num.* 4. alijque non pauci.

Probatur primò. Nam Vota iſta ſunt ſpeciali promiſſione, quamuis non abſque regulę præſcripto, emiſſa pro tota vita, ſine aliqua limitatione, ſcilicet, vel vſque dum regula obligauerit, vel ſub alia ſimili circumſtantia terminum aliquem obligationi præſcribente; Vnde illa Vota coarctata non fuere ad aliquod tempus futurum, ſeu vſque dum durat conditio humilis Religioſi, excludendo epiſcopalem ſtatum, ſi contingeret ad illum vouentem tranſire; Ergo illa Vota ſunt perpetua; ergo durante vita ſemper ligant, & obligant Religioſum perſeuerantem huius ſpecificæ Religionis Religioſum, ſicuti etiam Epiſcopus factus perſeuerat.

Probatur ſecundò. Nam iſta Vota non obligant ex vi regulæ, ſed ex vi Voti abſolutè emiſſi, & principaliter, quia talia Vota ad cultum Dei nuncupantur, nec pertinent ad regulam, niſi concomitanter, quia, ſcilicet, ex præcepto regulæ non emittitur in illa Religione ſolemnis profeſſio, quin & Vota iſta

emit-

Digitized by Google

emittantur, vnde à regula habuit vouens cauſam impulſiuam, ſecundariam, extrinſecam, & ſine qua non ad illa Vota emittenda, non vero intrinſecam, & principalem, Ergo obligant ad ſpecialem obſeruantiam independenter ab obligatione orta ex regula, & conſequenter Votorum iſtorum præuaricatores in ſtatu Epiſcopali erunt ſacrilegi, quamuis à regulæ legibus ſint abſoluti.

Confirmatur. Nam Vota ſubſtantialia remanent in Regulari Epiſcopo facto, ſicut etiam Vota citra Religionis præſcriptum emiſſa in Religione, & non relaxata, nulla alia de cauſa, vt ſupra probatum eſt, niſi quia ex ſpeciali promiſſione ſunt obſeruanda, etiam independenter à Regula; Ergo ſimiliter Vota prædicta.

293 Dixi in Concluſione, *ſi vota iſta repugnent Epiſcopali muneri, ſuſpendi, ſed non extingui*, quia remota conditione, per quam repugnant, eorum obligatio reuiuiſceret. Vnde Ieſuitæ, verbi gratia, in ſtatu Epiſcopali repugnat Votum de non ambiendis dignitatibus intra Religionem, & ceſſat in ipſo cauſa, ex qua vouit eaſdem Dignitates extra Religionem non ambiendi, quia hoc Votum includit perſonam religioſam in Societatis communitate cum alijs Religioſis degentem, vt ſupradictum eſt, & ideo iſte Ieſuita Epiſcopus poſſet procurare abſque illius Voti præuaricatione Cardinalatum, & Papatum, vt Doctores Societatis dicunt, & in ſpecie Suarez *Tomo 4 de Relig. tract.* 10. *capit.* 9.

Si vero ad Societatem reuerteretur, ſeu à Papa ad religioſum ſtatum reduceretur ex vi Voti obedientiæ, & ad religioſas conditiones repararetur ac ſi Epiſcopus non eſſet, vt fieri poſſe ſupra dicebam, reuiuiſceret obligatio non ambiendi Dignitates intra, & extra Religionem, quia vero Votum de audiendis conſilijs Generalis in Ieſuita Epiſcopo nullam haberet repugnantiam, hoc Votum in omni Epiſcopo de Societate aſſumpto perſeuerare, nec extingui etiam Authores ex aduerſo concedunt, idque nunquam ſe negaſſe conatur oſtendere Diana *loco citato ex parte 9.* diſparitatem vero inter hoc Votum, & alia Epiſcopali ſtatui non repugnantia, quæ dicunt extingui in Epiſcopo Regulari per Epiſcopalem promotionem, adducere non poterunt, quæ plenè ſatisfaciat.

Quod vt clarius pateat, certum eſt non repugnare Mercennario Epiſcopo procurare captiuorum redemptionem, nec Ieſui-

Digitized by Google

ra Epiſcopo obedire Papæ volenti illum mittere ad Indos, in hoc caſu dicunt Doctores Societatis, quod Ieſuita ex vi Voti emiſſi, ne dum ſubiacere deberet Pontificis præcepto, verum etiam procurare deberet facultatem cedendi Epiſcopatui, quem habet, vt ad Indos proficiſci poſſet. Similiter dictus Epiſcopus non poſſet detrectare conſilia Generalis, quæ ſi eſſent de Epiſcopatu renunciando, vel etiam Cardinalatu dimittendo, & id ſibi melius eſſe iudicaret, teneretur innixus Generalis conſilio à ſe probato, ad renunciandum, ſeu dimittendum, vt ijdem Doctores ſuſtinent, quod non verificaretur in Ieſuita Sum. Pontifice. Videndus Suarez *vbi ſupra:* Pręterea non apparet quam repugnantiam habeat Epiſcopum Ordinis Prædicatorum eſſe ſectatorem doctrinæ S. Thomæ, prout iurauerat, & Epiſcopum ex Minimis abſtinere ab eſu Carnium, ergo non ceſſante Voti materia in ſtatu epiſcopali, nec ex impoſſibilitate, nec ex repugnantia, Vota de tali materia emiſſa à Regulari, ſi Epiſcopus fiat, non ceſſant, quamuis ceſſet regulæ obſeruatio coactiua, & non afficiatur pœnis, quæ in regula Votorum tranſgreſſoribus imponuntur, vt dicam §. ſequenti: nam à regula iſta Voti obligatio non manat niſi extrinſece, ceſſante vero cauſa extrinſeca, quam à regula promanaſſe dixi, Vota emiſſa non ceſſant, vt cum adductis authoribus tenet Theſaurus *vbi ſupra*, & dicit hodie eſſe inductam præſumptionem iuris, & de iure dicta vota cenſeri principaliter ob cultum Dei emiſſa, & non reſtricta ad præſentem ſtatum illius Religionis in ſpecie, vbi inſinuat talia Vota manere etiam in Religioſo ad aliam Religionem tranſeunte, ſed poſtea tenet cum Leſſio *de iuſt. lib. 2. cap. 4. num. 74.* & Sanchez Decal. *lib. 4. cap. 24. num.* 30. hæc Vota, quia non ſunt de iure reſeruata, poſſe à Prælato Regulari illius Religionis ex cauſa iuſta relaxari, vno excepto Voto de non acceptando Epiſcopatum, quod Vrbanus vbi ſupra Sum. Pontifici reſeruanit, ſed de huius aſſertionis veritate magis patebit inferius.

294 Peyrinus *in Priuilegijs Minimorum, Tomo 3. cap. 14. num. 3.* ſectatur ſententiam, quam propugno, & ad eam clarius demóſtrandam refert Sum. Pontifices Paulum V. Gregorium XV. & Vrbano VIII. diſertis verbis illi affauiſſe, immo Vrbanum Religioſum Minimum interrogatum coram ipſo, an in Epiſcopatu Minimus teneretur ad abſtinentiam carnium, cumque reſpondiſſet non teneri, dicit hoc graui verbo ipſum obiurgaſſe, Erras, ſed hæc Pontificum oracula, inquit Diana *dicta reſol.*

39.

39. par. 5. Miſcel. primo, non ſunt authentica, iis vero admiſſis, vult dicendum eſſe Pontifices præfatos ſecutos eſſe ſententiam probabilem abſque præiudicio probabilitatis oppoſitæ.

Verum ego illa Pontificia oracula tanquam authentica recipio, Peyrini enim fidem, qua ſuæ Religionis euentus teſtatur, dubiam eſſe non ſuſpicor. Vnde deduco conſequenter concluſionem ſupra poſitam Sum. Pontificum oraculis innixam videri adeo certam, vt probabilitatis fines excedat; quapropter & ſequendam eſſe ab Epiſcopis Regularibus in praxi, eiſque conſulendam ipſi aduerſarij fatentur, & Sanchez *vbi ſupra num. 43.* tutiorem eſſe declarat.

295 Ad Argumenta in contrarium reſpondetur.

Ad *primum*, Diſtinguo antecedens. Vota illa emittuntur, vt connexa profeſſioni illius vitæ regularis, & illam concomitantia, itaut à regula ſumant vim obligandi, nego, itaut à regula ſumant materiam, circa quam Votum emittitur, concedo, poſtea dum infertur; ergo cùm Epiſcopus Regularis euaſerit liber à principali vitæ regularis obligatione, liberabitur quoque ab acceſſorio illius vitæ, nego conſequentiam, quia cum obligatio non oriatur ex illo principali, non ceſſat obligatio acceſſorij ceſſante principali. Hoc patet in Votis ſubſtantialibus, & in alijs, quæ non fuere ante Epiſcopatum initata, & tamen non ceſſant dum Religioſus fit Epiſcopus, quia obligatio non eſt ex regula, ſed ex Voto. Ad regulam iuris reſpondeo, tunc acceſſorium ſequi naturam principalis, quando in vtroque eſt eadem ratio, non verò quando in acceſſorio eſt diuerſa ratio à principali, vt eſt in Votis, de quibus agimus, quæ ſumunt aliunde ab obſeruantijs ſuam obligationem; Præterea acceſſorium non ſequitur naturam principalis, quando acceſſorium per ſe ſubſiſtit, etiam principali ceſſante, tunc enim acceſſorium habet tantum figuram acceſſorij, vere autem eſt principale, vt *cap. Debitores, extra de Iureiur.* quamuis vſurarum promiſſio nulla iudicetur, validum tamen iudicatur præſtitum iuramentum de earum ſolutione, quapropter iuramentum acceſſorium iudicatur ſubſiſtere ceſſante principali, ſcilicet, ſolutionis vſurarum promiſſione; Ita in caſu noſtro, ceſſante obligatione regulæ, quæ habetur vt principale, non ceſſant Vota prædicta acceſſoria, nam iſta vota cum aliunde obligationem ſortiantur, habent quidem figuram acceſſorij, ſed verè ſunt principalia, & deficiente principali per ſe ſubſiſtunt, vt dictum eſt. Authoritas Doctorum, quibus

bus hęc reſponſio innititur, videnda eſt in Barboſę *Collect. ad ſupradictam regulam, num. 8. & 20.*

296 Ad *ſecundum* Reſp. diſtinguendo maiorem, Votum deſinit obligare (quando facta eſt notabilis mutatio in eius materia, itaut reddatur notabiliter difficilior) ſi hęc notabilis mutatio ſit perpetua, concedo, ſi non ſit perpetua, nego quod deſinat Voti obligatio, & dico quod ſuſpenditur; modo ad minorem, ſed Religioſo creato Epiſcopo, circa materiam illorum Votorum ſit notabilis mutatio, &c. diſtinguo, in omnibus Votis, nego, in his, in quibus eſt repugnantia cum ſtatu Epiſcopali, concedo, deinde ad conſequentiam, ergo Votum deſinit obligare, diſtinguo conſequens, ſi illa mutatio in materia ſit perpetua, concedo, ſi non ſit perpetua, nego quòd deſinat omnino, ſed ſuſpenditur modo dicto.

297 Ad illam conditionalem eiuſdem argumenti videlicet, ſi difficultas illa præuiſa fuiſſet à principio, retardaſſet a Voti emiſſione; reſpondetur in primis negando hanc difficultatem non fuiſſe in caſu noſtro præuiſam, nam cum extet ſententia grauiſſimorum Doctorũ illa Vota cum tali difficultate adhuc obligare in ſtatu Epiſcopali, huius ſententiæ erunt etiam plures Doctores illius inſtituti, in quo Vota emittuntur, Vnde credibile non eſt, Legibus, & Conſtitutionibus eiuſdem inſtituti, quæ præ manibus haberi debent ab eo, qui vouet, non eſſe hanc ſententiã veluti quãdam declarationem annexã, & quòd ſæpius in anno probationis non fuerit Nouitio manifeſtata, dum de Votis illis, quæ in religioſa profeſſione emittere parabat, à Magiſtris eius inſtructioni prępoſitis admoneretur; Ergo non præſumitur vouiſſe non præuiſa dicta difficultate. Dico ſecundo, dato etiam quod præuiſa illa difficultate, Religioſus non vouiſſet, adhuc Votum obligat, nam eſt communis Doctorum ſententia, Vota ob difficultatem materiæ non irritari, ſi illa difficultas non ſit adeo immutatiua illius materiæ, vt reddatur multum notabilis; Si verò non ſit multum notabilis, quod arbitrio prudentis viri aſſimandum eſt, Votum non irritat, etiamſi præuiſa retardaſſet a Voto. Ita Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 2. num. 22.* Item ſi mutatio facta non reddit abſolutè impoſſibilem obſeruantiã Voti, non ſufficit ad tollendam obligationem, etiamſi talis ſit, quod ſi à principio pręuiſa fuiſſet, homo non vouiſſet. Ita Suarez *tomo 2. de Relig. tract. de Voto lib. 6. cap. 9. num. 8.* In caſu autem noſtro cèrtè non poteſt facta notabilis materiæ mutatio,

prout prudentes viri iudicant, nec impoſſibilis redditur obſeruantia Voti, vt ſupra probatum eſt. Ergo, &c.

Dices cum eodem Suarez *ibidem*, irritari tale Votum, quia moraliter creditur non fuiſſe extenſam intentionem vouentis ad ſtatum epiſcopalem. Reſpondetur cum eodem Suarez *num.16.* hoc non obſtare, quando de tempore Voti ſtatus ille iam erat, & fuit conſideratus, tunc enim adhuc Votum tenet, & intelligitur promiſſio facta etiam pro illo ſtatu, ſed in caſu noſtro ſtatus epiſcopalis coniunctus ad perſonam illius Religionis fuerat conſideratus de tempore Voti, nam vltra ea, quæ dixi, perpendendum eſt, quod de illo tempore fortaſſe extabat aliquis de illa Religione ad Epiſcopatum aſſumptus, vel ſaltem extitit, vel notum erat quod exiſtere poterat, & hoc certè vouens non ignorabat; Ergo intelligitur promiſſio facta etiam pro ſtatu epiſcopali, qui de tempore Voti fuerat conſideratus, & conſequenter dum ad illum ſtatum vouens peruenerit, tenebitur obſeruare Votum ſuum.

298. *Ad tertium Reſp.* diſtinguendo Antecedens: Vota illa emittuntur ad felicem ſtatum illius Religionis conſeruandum, ſi hoc intelligatur præciſa quacunque alia ratione, & de omnibus Votis, nego, dum poſtea ſubiungitur, hæc ratio, ſcilicet, conſeruandi felicem ſtatum illius Religionis, durat vſque dum profeſſus eſt de corpore Religionis, concedo; hoc enim denotat illam vitam communem, qua Religioſus viuit cum alijs in eodem Monaſterio, quod factus Epiſcopus ceſſat, ſed dum concluditur; Ergo cum Religioſus factus Epiſcopus non ſit amplius de corpore illius Religionis, non obligabitur ad illa Vota, diſtinguo; ad illa Vota, quæ primò, & per ſe ſunt emiſſa ad Religioſum ſtatum conſeruandum, concedo, ad illa Vota, quæ ſunt primò, & per ſe emiſſa ob cultum Dei, nego; nam loquendo de iſtis poſterioribus Votis, hac ratione ceſſante, quæ ſolum fuit impulſiua ad vouendum, alia ratio durat, quando profeſſus non eſt de corpore Religionis, quæ eſt principalis, & propter quam Vota abſolutè emiſſa fuiſſe cenſentur, ſcilicet, obligatio obſeruantiæ operis Deo ſpecialiter promiſſi in ſignificatu ipſius cultus, quæ promiſſio totam vitam concernit, & obligatio illam adimplendi non ſoluitur per aſcenſum ad Epiſcopatum, cum ſit perpetua, ſicut etiam Vota ſub tali ratione emittuntur, nedum ad felicem, verum etiam ad eſſentialem ſtatum Religionis conſeruandum, & tamen non ſoluuntur per Epiſcopatum, qui du-

durat obligatio promiſſionis perpetuæ factæ Deo de illorum Votorum materia, quæ & ſi præſcribatur à regula, non habet à regula vim obligandi, vt ſæpius dixi.

299 Ad illud, quod poſtea quærebam de pœna præuaricationis dictorum Votorum; Dico quod ſi Epiſcopus Regularis contra prædicta vota adhuc non relaxata, ſed quorum obligatio perſeuerat, ageret, ſine dubio peccaret, niſi tanta fuiſſet neceſſitas, vel occaſio, vt non remanſiſſet locus implendi Votum, tunc enim excuſaretur à culpa, vt dicit Suarez *tomo 2. de Relig. tract. de Voto lib. 6. cap. 9. num. 7.* ſed ſuppoſita præuaricatione Voti, & culpa, non teneretur ad pœnas in regula præuaricatoribus præſcriptas. Item ſi culpa eſſet reſeruata, etiam Sum. Pontif. ex ſolo præcepto regulæ, nulla eſſet quoad Epiſcopum reſeruatio, ſupra enim dixi, & infra probabo nullam pœnam regulæ Votorum etiam ſubſtantialium tranſgreſſoribus a regula ſtatutam Epiſcopum Regularem afficere.

300 Sed ſpecialis caſus eſt in præuaricatione Votorum, quando ex dicta præuaricatione materia promiſſa vouenti redditur impoſſibilis, vt, v. g. ſi quis præuaricaretur Votum de perpetuo manendi intra clauſtra; dum aliquam dignitatem extra Ordinem acceptaret, Voto non manifeſtato, non poſſet vlterius viuere intra Clauſtra. Præterea, ſi quis vouiſſet tranſire ad ſtrictiorem, accepto Epiſcopatu, ad ſtrictiorem tranſire non valet. Tandem Ieſuita, v. gr. qui vouit obedire Papæ Miſſiones iniungenti, factus Epiſcopus, iam non poſſet niſi cum magna difficultate mitti, cum alligatus Eccleſiæ, ad Miſſiones, quæ ſolutionem inducunt, fere eſſet inhabilis, idem diſcurſus, fieri poſſet de cæteris huiuſmodi Votis, quorum materia pugnat cum munere epiſcopali.

Reſp. Quoſdam dixiſſe iſtos præuaricatores teneri tantum ad petendum licentiam renunciandi Eccleſiæ, ſeu Dignitati, vt Voti materia illis poſſibilis fieret, non verò teneri ad manifeſtandum ſe Voti reos euaſiſſe, nam non vouerunt manifeſtare Votum ſuum, nec tenentur delictum commiſſum propalare: verum credo ipſos teneri ad manifeſtandum Papæ Votum emiſſum; & petendam poteſtatem Dignitati renunciandi; nam Voti obligatio, cum non fuerit relaxata, viget, & ideo facere deberent totum, quod in ipſis eſt, ad obligationem ſuam complendam; Si verò Votum non explicent, omittunt facere, quod in ipſis eſt, cum taceant aliquid, quod ſi Papa ſciret, probabile eſt permiſſurum re-

renunciationem, quam vel negabit, vel cum difficultate concedet ſi Votum ignoret. Quod confirmatur ex *cap. Per tuas, de Voto*, vbi certum eſt Epiſcopum illum manifeſtaſſe Papę Votum ſuum emiſſum de ingrediendo Religionem; nam aliàs Papa illi non conſuluiſſet vt Religionem ingrederetur, ſi ſuam ſanare deſiderabat conſcientiam, quia ſi Papa Votum ignoraſſet, iudicaſſet ad Religionis ingreſſum Epiſcopum non fuiſſe cogendum, & illud Votum tanquam de materia interdicta emiſſum irritaſſet, dicam enim *cap. ſequenti*, non licere Epiſcopo fieri Religioſum, idque ei per Sacros Canones prohiberi. De licentia autem prædicta, ſcilicet, quando, & quomodo petenda ſit, *dixi ſupra num.* 273. quæ ad caſum præſentem facillimo negotio applicantur.

301 Sed queramus nunc ad quem pertineat dictorum Votorũ relaxatio. Dico ſoli Sum. Pont. hęc Vota eſſe reſeruata; itaut nemini præter ipſum, liceat illa in totum, vel in partem relaxare. Ita Suarez *Tomo 2. de. Rel. tract. 8. cap. 12. num. 28.* contrarium ſuſtinuit Rodriquez *Tom. 1. quæſt. 26. artic. 1.* qui vult omnia Vota, dummodo non ſint illa tria ſubſtantialia Religionis, quamuis eſſent Vota, de quibus loquimur, poſſe à Superiore Regulari relaxari, ſed quod dixi, probatur *à* Suarez *loco cit.* hac euidenti ratione: nam hæc Vota pertinent ad ſpecificum huius Religionis ſtatum, vnde complent, & perficiunt huius Religionis inſtitutum, veluti quoddam prædicatum ſubſtantiale pertinens ad eius ſpeciem; Ergo non poſſunt præterquam à Sum. Pontifice relaxari, Antecedens per ſe patet, nam hæc Vota diſtinguuntur ab alijs Votis, quæ emittuntur à Religioſo de aliquo opere ſupererogationis, quia hæc emittuntur ex ipſius Religioſi ſpeciali, & proprio arbitrio, vt dictum eſt, illa vero emittuntur in manibus Superioris ex ſpeciali illius Religionis inſtituto; Ergo ad ſpecialem illius Religionis ſtatum pertinent, & vt prædicatum ſubſtantiale illum complent, & perficiunt. Probatur conſequentia; nam ſi Prelatus Regularis, vel quilibet alius Sum. Pontifice inferior poſſet dicta Vota relaxare, poſſet etiam diſſoluere Religionis ſpeciem, & ſubſtantiam, poſſet enim tollere eius ſubſtantialia, & ſpecifica prædicata, vt patet; Ergo cum nemo Summo Pontifice inferior id facere poſſit, nemo etiam Vota ſupra dicta poterit relaxare, inde ſequitur ex contraria ratione poſſe Prelatum tantum regularia his, quæ ſubſtantialibus non æquiparantur, & inſuper

Re-

Digitized by Google

Religioſorum ſubditorum Vota arbitraria relaxare, quia illa non pertinent ad ſpeciem illius religioſi Inſtituti.

Hęc ratio à Suarez aſſignata videtur non habere locum in Prelato Religionis, ad quam Religioſus tranſiſſet, ſi in illa Religione talia Vota non emittuntur ex prę ſcripto Regulę, nam hęc Vota à Prælato illius Religionis relaxari fortaſſe poterunt, ſi aliquo ſpeciali iure non prohibeatur, quia illa Vota ſunt ſimplicia, & non ſunt poſterioris illius Religionis ſubſtantialia. In Epiſcopo vero Regulari prędicta ratio viget, quia hic remanet illius ſpecificæ Religionis, in qua talia Vota emittuntur, Religioſus, vt dictum eſt.

Sed huic aſſertioni, quam, vt ſupra dicebam *num.* 288. ſuſtinent Doctores ſapientiſſimi; modo videtur contradicere authoritas Apoſtolica, nam Vrbanus VIII. in ſua *Conſtit.* 165. quæ incipit, *Honorum, Dignitatumque vana, &c.* de huiuſmodi Votis loquendo, ſic ait: *Aliqui ex ipſis Religionibus*, in quibus, ſcilicet, Votum de non acceptando Dignitates extra ipſas emittuntur: *prætendentes, quod à ſuis Superioribus Regularibus, præſertimque Generalibus Religionum*, videlicet ad quas tranſierant, *liceat præcipere, &c. aut ipſum Votum relaxare, & cum eis deſuper diſpenſare.* Hacuſque de Voto non acceptandi Dignitates; poſtea Pontifex loquendo de omnibus Votis eodem modo emiſſis in Religionibus determinatis, oſtendit vna, eademque ratione omnia eſſe ab inferioribus Papę indiſpenſabilia, ſic enim proſequitur, *ac etiamſi Vota prædicta tamquam emiſſa in manibus Superioris Regularis, dicantur ſolemnia, vel ſaltim efficaciam Voti ſolemnis habeant, Regulariumque Ordinum, & Congregationum, ac Societatis huiuſmodi Conſtitutiones ſint confirmatæ authoritate Apoſtolica, & cum Decreto irritante; à quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatæ exiſtunt*, poſtea declarat prędictum Votum non acceptandi Dignitates neminem, niſi ſit Summus Pontifex, relaxare poſſe, quę declaratio extendenda videtur ad alia Vota ſimilis formę, cum in eis militet eadem ratio, ſunt enim & ipſa in manibus Superiorum emiſſa, ſolemnia, vel ſolemnium efficaciam habent, & Regularium Ordinum Conſtitutiones, in quibus decernuntur, ſunt cum clauſula irritante Apoſtolica authoritate confirmatę; Vnde ſequitur quod ligatę exiſtant manus Summo Pontifice inferiorum ad omnia iſta

302 Vota relaxanda. Si vero Regula, vel Conſtitutio alicuius Religionis in aliquo caſu illa Vota laxaret, ſicut cùm Prelato

Mi-

Minimorum Ordinis Conſtitutiones indulgent, quòd cauſa infirmitatis de quadam Monaſterij parte eductum Religioſum, poſſit ad comedendum carnes habilitare, id non fieret à dicto Prelato per Voti relaxationem, ſed per interpretationem, quia in tali caſu Prelatus illud Votum non obligare declararet, vel ſubtraheret materiam eiuſdem Voti, quod Regula fieri concedit, quando ſtatuit à Prelato illam habilitationem poſſe concedi; interpretari autem Votum, vel materiam ſubtrahere iuxta Regulę Statutum, non eſt Votum relaxare, nec diſpenſare, vt patet; His autem modis poſſet etiam Epiſcopus Regularis ſecum agere, & in caſibus illis Votum ſuum laxare, ac interpretari Votum non inducere ſibi in hoc, vel illo caſu aliquam obligationem, idque agere poſſet non expectato alicuius Superioris aſſenſu, ſed ſibi conſentiendo, vel ſecum diſpenſando, non ſecus ac ſi ſui ipſius eſſet Superior, & Prelatus, vt in ſimili de Votorum relaxatione ſupra explicatum eſt *num.* 284.

§. III.

De Obſeruantijs, ad quas tenentur Epiſcopi Regulares.

SVMMARIVM.

Triplex genus obſeruantiarum. 303
Ad quas obſeruantias teneatur Epiſcopus Regularis. 304 *&c.*
Tenetur ex debito morali. 307
Debitum morale explicatur, 308
Diſcrimen inter Epiſcopos Sæculares, & Regulares. 309
Epiſcopus Regularis non tenetur deligere obſeruantias ſuæ Religionis. 310
Eſus carnium in Feria 6. vel Sabbato Feſti Natiuitatis Domini. 311
Congruum eſt Epiſcopum Regularem deligere obſeruantias ſuæ Religionis. 313
Cardinales Turrecremata, & de Vio commendantur. 314

303 OPortet *primò* diſtinguere obſeruantias regulares in tria genera, prout eas diſtinxit S. Th. 22. *quæſt.* 185. *artic.* 8. quem ſequuntur Caietanus, & Siluius ibidem, Soto *in artic. vlt. operis de Iuſt.* omneſque Thomiſtæ, ſoletque præfata diſtinctio eſſe

ſe frequẽs apud Theolog.& Canoniſt.vt patebit infra.*Obſeruantiæ primi generis* ſunt promouentes, & cuſtodientes perfectionem pontificiã, vt Continentia, Paupertas, & alia huiuſmodi, quæ extenduntur à Caietano etiam ad abſtinentias, ieiunia, & moderatam abdicationem Honorum. *Obſeruantiæ ſecundi generis* ſunt, quę officio Pontificali repugnant, ſicut eſt ſolitudo, ſilentium, & aliquę abſtinentię, vel vigilię graues, ex quibus impotens redditur corpus ad exequendum officium Pontificale, Caiet. numerat in hoc ſecundo genere etiam illas obſeruantias, quę dedecent Pontificalem dignitatem, vel ſimpliciter, vel in aliquo caſu, pro loco, officio, vel ſocietate, vt idem loquitur Caiet. pro loco, & officio, inquit ipſe, dedecet Epiſcopum habere ſocium ſui Ordinis, pro ſocietate verò, dedecet bibere cum duabus manibus, & ſedendo. *Obſeruantiæ tertij generis* iuxta Caiet. ſunt, quę officio pontificali non repugnant, nec dedecent ſimpliciter, ſed in caſu tantum, vt abſtinentia à carnibus, ieiunia, & huiuſmodi, quę fouent perfectionem vitę ſpiritualis, & hęc appellantur à Soto obſeruantię medij generis. Inter has obſeruantias tertij generis connumerat Soto habere ſui Ordinis Socium, bibere cum duabus manibus, & alias ceremonias Ordinis Regularis, quas Caiet. connectit obſeruantijs ſecundi generis, quia putat illas dedecere epiſcopalem dignitatem, quod negat Soto dicens, eas potius Religioſi illius Epiſcopi habitum decorare, Sanchez *Decal. lib. 6. cap. 6. num. 21.* concedit cum Soto dedecens non eſſe Epiſcopo Regulari habere Socium ſui Ordinis, verùm alias recenſitas cęremonias illi non conuenire in epiſcopali ſtatu cum Caiet. ſentit; Epiſcopum Regularem nunquam obligatum fuiſſe ad tenendum ſecum Socium ſui Ordinis firmat plurium Doctorum ſententia Acugna *diſt. 55. cap. primo, num.* 15. attamen talem Socium habere certè magnum illi ſolatium eſſet, quod ipſe S. Gregorius expertus eſt, vt ſcribebat *Ep. 19. lib. 7.* modo extat Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium negocijs prępoſitę Decretum, quo prohibetur Regularibus degere cum Epiſcopis etiam ſui Ordinis extra Clauſtra, abſque eiuſdem Sac. Congregationis licentia, quã ipſa concedere non ſolet niſi cum aliqua difficultate, & ad breue tempus ex cauſa vrgenti.

304 Ad obſeruantias primi generis, prout concernunt ſubſtantialia Religionis *Vota*, quę omnibus ſunt communia, ſcilicet, Vota Continentię, Obedientię, & Paupertatis, ſeu vt concernunt

nunc

nunt alia Vota ſpecifica quarundam Religionum, veluti eſt obſeruantia vitę quadrageſimalis in Ordine Minimorum, &c. Epiſcopum Regularem teneri iam probaui. Extant in aliquibus Religionibus quędam obſeruantiæ, quę non ſunt expreſsè promiſſæ, nam vt explicatum eſt ſupra, ex vi regulæ obligationem ſortiuntur, tamen videntur pertinere ad obſeruantias primi generis, quia in illis Religionibus cenſentur quaſi ſubſtantiales, & ad ſpecies ipſarum veluti prędicata eſſentialia pertinentes, vt v. g. reddere rationem conſcientiæ ſuæ Superiori in Societate, iuxta declarationem V. Congregationis generalis Can. 17. & abſtinentia carnium etiam in vltima ægritudine in Ordine Carthuſianorum, ſuper quibus non poſſe niſi rarò, & ex grauiſſimis cauſis Prælatos diſpenſare, quamuis ex vi regulæ ad culpam non obligarent, tenet Suarez *tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. num. 40.* innixus S. Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de Regul. cap. primo*, decernenti ſubſtantialia Religionis, vt ita ſunt, immobilia eſſe. De his obſeruantijs agam infra, cum obſeruantias tertij generis expendam.

De Habitu indicatiuo debiti obſeruantiarum primi generis, cuius propterea geſtationis obligatio ad obſeruantias primi generis pertinet, dicam § 5.

305 Ad obſeruantias ſecundi generis Epiſcopum Regularem non teneri, certum eſt apud S. Thomam *vbi ſupra*, Caietanum, Soto, cęteroſque Doctores, & decernitur 18. *quæſt. 1. cap. Statutum, & 16. quæſt. 1. cap. Nemo.* Quod tamen extendendum non eſt ad ea, ad quę per aliquam Eccleſiaſticam legem adhuc obligaretur, vel, quę ſunt materia Voti, ad hęc enim teneretur ſaltem petito, & obtento Superioris aſſenſu, etiamſi pontificali officio pręiudicarent, vt ſupra explicatum eſt.

306 Ad obſeruantias tertij generis dico Epiſcopum Regularem teneri, ſed in ipſis poſſe diſpenſatione vti ſecundum quod requirit neceſſitas perſonę, vel officij, vel conditio hominum, cum quibus viuit, eo modo, quo etiam Pręlati Religionum in talibus ſecum diſpenſant; Ita S. Tho. cui conſentiunt Caietanus, Soto, & ferè omnes Doctores; Probatur quoad primam partem Primò ex *lib. 3. Reuelationum S. Birgittæ cap.* 8. cui percontanti an Dominicani ad Epiſcopatum aſſumpti à regularibus obſeruantijs illius Ordinis eſſent abſoluti, reſpondit Beatiſſima Virgo, *nequaquam: Auguſtinus enim in Epiſcopatu vitam religioſam non reliquit, licet ad maiorem ſurrexerit digni-*

ta-

Digitized by Google

tatem. Probatur ſecundò ratione D. Thomę *ibidem*. Nam non ceſſat adueniente forma diſpoſitio illam conſeruans, niſi quatenus obſtat perfectioni formæ, non enim ceſſat calor generato igne; ſed obſeruantiæ prędictæ ſunt diſpoſitiones ad perfectionem ſtatus epiſcopalis, & ſunt veluti diſciplina ad magiſterium, ergo non ceſſant in dicto ſtatu niſi quatenus obſtant perfectioni illius; ergo illas obſeruantias tertij generis, quæ non obſtant Epiſcopali officio, tenebitur Epiſcopus Regularis in illo ſtatu complere: ſecunda pars Concluſionis eſt S. Thomæ *ibidem*, qui tamen, dum ait poſſe Epiſcopum Regularem in iſtis obſeruantijs ſecum diſpenſare, videtur innuere dictum Epiſcopum teneri ex debito legali, & ex vi coactiua à lege procedente ad illas complendas. Quapropteter, ſi regula præcipit ſub culpa ieiunium ſextæ feriæ, Aduentus, &c. vt accidit in Ordine Minorum, Epiſcopus ex Ordine Minorum aſſumptus tenebitur ad ieiunandum in ſexta feria, & in Aduentu ſub culpa læthali, & ſic de cęteris.

Hæc aſſertio expręſſa videtur *in cap. 3. 16. quæſt. 1.* vbi ſic dicitur. *De Monachis, qui diu morantes in Monaſterijs, ſi poſtea ad Clericatus Ordinem peruenerint, ſtatuimus non debere eos à priori propoſito diſcedere, ſeu deuiare*, ſatis autem diſcedit à priori propoſito, qui in ſtatu epiſcopali obſeruantias regulares non complet. In ſpecie loquendo de eſu carnium, ſi Religioſus à carnium eſu de ſtatuto regulæ abſtinere debeat, factus Epiſcopus, ad eam legem adhuc teneri videtur, maximè ſi ſit Monachus, cui prohibetur eſus carnium per Sacros Canones, vt patet *c. Cum ad Monaſterium, extra de Statu Monachorum, & cap. Carnem, de conſec. diſ.* 5. Idem dici poteſt de lineis ad carnem, quæ Monachis interdicuntur in eodem *cap. Cum ad Monaſterium*, & ita ſenſit in ſupradictis cap. decreti Hugo, & cum ipſo Zerola *in Praxi Epiſcop. par.* 1. verbo *Epiſcopus*, Acugna *cap. Benè diſt. 61.* & alij, quorum quidam hac vtuntur moderatione, dummodo inquiunt, ſubtractio carnium pontificale non impediret officium, vel non eſſet eidem officio dedecens: quod verò S. Thomas innuat ſe etiam ita ſentire, patet, nam vbi ſupra decernit Epiſcopum in dictis obſeruantijs vti poſſe diſpenſatione ex certis cauſis, ſcilicet prout requirit neceſſitas perſonæ, vel officij, & conditio eorum, cum quibus viuit, certum eſt autem, quod ille, qui indiget diſpenſatione, ſi abſque diſpenſatione tranſgrediatur legem, peccat, & ſi vtatur diſpenſatione ſine

rationabili cauſa, etiam peccat; Ergo iuxta S. Thomam Epiſcopus iſte, cum indigeat diſpenſatione; ſi ſine rationabili cauſa ſecum diſpenſet in obſeruantijs tertij generis, vel ſine diſpenſatione eas prætermittat, paccabit ad modum, quo peccaret Prçlatus Regularis eaſdem prætermittendo, & conſequenter ad has obſeruantias teneri videtur ex debito legali, & vera obligatione coactiua orta ex lege.

307 Verumtamen Caietani ſententia modò vt communis eſt recepta, qua dicitur Epiſcopum Regularem teneri quidem ad iſtas obſeruantias, ſed non ex debito legali, ſed tantum ex debito morali, quo etiam Princeps tenetur ad obſeruantiam legis communis; Tale debitum morale quidam explicant, dicendo nihil aliud eſſe, quàm decentiam, & honeſtatem ſtatus epiſcopalis in perſona Regularis, hanc fuiſſe mentem S. Thomæ Caietanus teſtatur, nedum 22. *quæſt.* 185. *artic.* 8. verum etiam *in opuſc. tomo* 1: *tract.* 25. *quæſt.* 2. *§. ex quibus*, fauet huic opinioni *cap.* 12. 16. *quæſt.* 1. vbi dicitur: *Nemo poteſt, & Eccleſiaſticis obſeruantijs deſeruire, & in Monaſtica regula ordinatè perſiſtere, vt ipſe Monaſterij diſtrictionem teneat, qui quotidiè in Miniſterio Eccleſiaſtico cogitur permanere*.

308 Debitum morale ſecundum quod à Caietano exponitur, diſtinguitur dupliciter à debito legali. Primò, quia debitum legale claudit in ſe debitum morale, & addit ſuper illud legalitatem; deinde, quia debitum morale eſt vinculum ortum ex recta ratione, debitum verò legale, eſt vinculum proueniens ex lege; inde ſequitur obligationem coactiuam debiti moralis oriri ex recta ratione; obligationem verò coactiuam debiti legalis oriri ex lege. Eſt exemplum in obligatione coactiua non mentiendi, quæ oritur ex recta ratione dictante dicendam eſſe veritatem, & ideo ex debito morali cogitur ad dicendam veritatem, ex quo contrarium eius, quod eſt mendacium, diffinitur eſſe actũ prauũ: ſimile vinculũ cõſiderari poteſt in debito vitãdi quælibet alia vitia. Ex his ſequitur debitum legale habere vim coactiuam à lege per pœnas, quæ ſunt legis media, per quæ ad ſui obedientiam inducit, vt docet S. Thomas 22. *quæſt.* 92. *art.* 2. Vnde qui ſubduntur legis virtuti coactiuę, eius pœnas contrafaciendo incurrunt, qui verò non ſubduntur legis virtuti coactiuæ, pœnas legis non incurrunt, quamuis contra legis præcepta operarentur, ſicut de Principe agente contra legem patet.

Cum

Cum ergo Religioſus Epiſcopus non ſubſit virtuti coactiuæ legis ſuæ Religionis, hoc enim ſignificant illa verba *Cap. Statutum, à iugo Monaſticæ Regulæ abſoluitur*, nam Iugum vim coactiuam regularis legis deſignat. Item cum non puniatur per dictas regulares leges, ſed per Canones, ſi puniendus eſſet, vt ſupra dixi, euidenter patet ipſum non incurrere dictas regularis legis pœnas, ſi tranſgrediatur ab ea ſtatutas obſeruantias, vt §. 6. clarius cõſtabit, & ad eaſdem obſeruantias ex debito legali non teneri; Debitum vero morale habet vim obligandi ex recta ratione. Vnde cum recta ratio dictet dedecens eſſe Epiſcopum Regularem deficere à fructu prioris vitæ, & perdere ea, quæ Pontificalem ſtatum conſeruant; & per quæ, tamquam per diſpoſitiones illius ſtatus perfectionem acquiſiuit, vt *S. Thomas* probat, ex hoc debito morali tenetur Epiſcopus Regularis ad illas obſeruantias, quæ conſeruationi Pontificalis ſtatus conferunt, & per quæ ad epiſcopalem perfectionem deductus fuit, nam per eaſdem obſeruantias conſeruari debet perfectio epiſcopalis, per quas in ſtatu religioſo fuerat acquiſita. Ex his reſpondet *Caiet.* authoritati *S. Thomæ*, ſupra adductæ, & ait, ipſum intelligendum eſſe de debito morali, non legali, quando obligat Epiſcopum Regularem ad obſeruantias tertij generis, & conſequenter dicendum eſſe docet voluiſſe *S. Thomam* dictum Epiſcopum vti poſſe in obſeruantijs diſpenſatione, non quidem ſuper his, quæ ex debito legali ſunt obſeruanda, ſed ſuper his, quæ ratio recta dictat eſſe exequenda, ad modum, quo etiam Princeps, qui ex debito legali ad obſeruantiam legum non cogitur, ſed tantum ex debito morali, deberet, ſi vellet præterire ſtatutum legis communis, vti diſpenſatione: Signum huius eſt, quod Romanus Pontifex, ſi eſſet Religioſus, vt colligitur ex rationibus *S. Thomę*, teneretur ad illas obſeruantias, ſicut alij Regulares Epiſcopi, cum in illo S. Doctoris rationes magis vigeant, vt ait *Caiet.* & tamen, quia Sum. Pontifex eſt ſuper omnem humanam legem, non poſſet niſi ex debito morali, & ex vi orta ex recta ratione ad eas obligari.

Ad *Gloſ.* adductam ex *Hugone* non eſt neceſſarium reſpondere, cum ibidem dicatur illam eſſe contrariam *Cap. ſtatutum* 18. *quæſt.* 1. Et idem dixit *Gl. in cap. de Monachis, Ad cap. tertium* 16. *quæſt.* 1. *Dico primo*, ibi ſermonem non eſſe de Epiſcopis, ſed de Monachis Clericis ordinatis, qui dum ex indulgentia illorum temporum id aſſequebantur, nec ab obedientia regulari, nec ab obſeruantijs liberabantur, quam interpretationem amplectitur

S.Thom op.18.cap.20. dum,inquit, *Ad Epiſcopatum autem promotus, ſtatum altiorem aſſumit*, ſcilicet,ab illo ſtatu Clericalis Ordinis, ad quem dixerat cum Canone, ſi promoueatur Monachus, ſtatum priſtinum non amittere, *Dico* 2. ſi ibi agitur etiam de Epiſcopis, ad quos *S. Thom.vbi ſup.* extendit eadem Canonis verba, falſum eſſe Regularem factum Epiſcopum, ſi obſeruantias prædictas deſerat, diſcedere à priori propoſito, ab eoque deniare; nam ſubſtantialia Vota in illo ſtatu retinet, & hoc ſufficit ad manendum in priori propoſito, vt ibi dixit *gl.* Præterea ſi obſeruantias non complet ex debito legali, non ideo deuiat à priori propoſito, quia quod lege cogente prius agere debebat, poſtea recta ratione dictante, & debito morali obligante,ſecundum decentiam; & honeſtatem quandam perficere tenetur.

309 Ex his colligo duo. *Primum*, Debitum morale ad ſectandum v.g. orationes aſſiduas, moderatas abſtinentias, ieiunia, honorum abdicationem, & huiuſmodi; quamuis ſit in omni Epiſcopo, cum omnis Epiſcopus ſectari debeat ea, per quæ perfectio illius ſtatus conſeruatur, maius tamen eſſe in Religioſo Epiſcopo, quem, cum ſit de Religioſo Ordine aſſumptus, prioris vitæ obſeruantias illas continuare in ſtatu Epiſcopali ſummopere decet, vt de ſe patet.

310 *Secundo* colligo quod quamuis Epiſcopi ſint ex varijs Religionibus aſſumpti, tamen quia à Iugo regulæ omnes per Epiſcopalem ordinationem ſunt æquè abſoluti, non tenentur ex debito nec quidem morali, ſtrictè loquendo, ad has potius obſeruantias, quæ in prioris vitæ regulis continentur, quam ad has quas quæcumque alia regula præſcripſit: Tenetur ergo Epiſcopus Regularis decenter viuere, & conſentaneè operari, inquit, Suarez *d.tract.8.lib.3.cap.17.num.16.* quod autem huiuſmodi opera ſint hæc,vel illa, niſi aliqua lege Eccleſiaſtica,vel diuina præſcribantur, vel ex voto, vel ex officio ſint debita, liberæ optioni, & determinationi operantis relinquitur; Si autem quæras, quænã ſint opera conſona ſtatui Epiſcopi Regularis? dico illa non eſſe, quæ regula prioris vitæ decernit, ſed quæ prudentis viri arbitriũ iudicauerit Epiſcopo Regulari magis expedire, & magis ſuum ſtatum decorare; Sit ergo firma ſententia, Franciſcanum Epiſcopum, v.g. non teneri ad ieiunia Aduentus, & ſextæ feriæ magis quam Dominicanum Epiſcopum, nec Dominicanum Epiſcopum teneri magis vti laneis ad carnes, quam Franciſcanum, vt dixit Soto *vbi ſup.* Inde eſt etiam Religioſum quemcumque

Mo-

Monachum, vel Carthuſianum, ſi quis illorum fuerit Epiſcopus, non teneri ad perpetuam carnium abſtinentiam, quamuis hæc ſit obſeruantia, quæ Monachis imponitur in ſupradicto *cap. Carnem*, & Religionis Carthuſianæ ſit veluti ſpecifica, & ſubſtantialis; cum illam abſtinentiam Epiſcopus Regularis Monachus, vel Carthuſianus nunquam expreſsè voto firmauerit, & à iugo regulæ vterque ſit ſicut cæteri aliorum Ordinum Epiſcopi abſolutus. Præterea illa præſcripta Monacho, vel Carthuſiano carniũ abſtinentia connotat neceſſariò vitam cum alijs Religioſis communem, & actuale membrum eſſe illius Religionis, vtrumque autem ceſſat per epiſcopalem ordinationem. Vnde ceſſat etiam illa Monachalium obſeruantiarum obligatio.

311 Tandem ex dictis ſequitur poſſe quemcumque Epiſcopum Religioſum in die 6. feriæ, vel Sabbato, in quo incideret dies Feſtus Natiuitatis Domini, comedere carnes, & ieiunium frangere iuxta Priuilegium *Cap. Explicari, extra de Obſeru. Ieiun.* quamuis ibi excipiantur, *qui ex Voto, aut ex regulari obſeruantia ieiunare aſtricti ſunt*, nam præfata exceptio compræhendit tantum illos, qui ex Voto expreſsè illud ieiunium, & abſtinentiam vouerunt, & qui regulari obſeruantia ad hæc debito legali ſunt aſtricti, exiſtimo enim ſimplices Religioſos, qui per regulam tenentur à carnibus abſtinere, etiamſi ad culpam regula non obliget, vt accidit in Ordine Prædicatorum, non poſſe diebus Veneris, & Sabbati, ſi in illis cadat Feſtum Natalis Domini, carnes comedere, nec vti indulgentia ſupradicti Canonis: quamuis oppoſitum ſapientiſſimorum Doctorum authoritas probabile reddat, & tutum: at Epiſcopus Regularis, nec illi regulari obſeruantiæ ex debito legali eſt aſtrictus, cum à Iugo regulæ ſit abſolutus, nec expræſsæ vouit ea, quæ in regula præſcribuntur: igitur ceſſante regulæ obligatione legali, ceſſat & eius legalis vis coactiua: Caiet. *in 22. loco cit.* oppoſitum docuit, ſed in *opuſc. ſupradicto* mutauit ſententiam, quam amplexus eſt Soto, & eſt communiter recepta, etiam à Canoniſtis, ſcilicet videre apud Hoſtienſ. *in Summa Tit. de ſtatu Monachorum num. 5. in Gloſ. cap. de Monachis, 16. quæſt. 1. in* Barboſa *de off. Epiſc. part. 1. tit. 1. cap. 4. num. 24. in Azor. Inſt. moral. par. 1. lib. 12. cap. 7. §. Quæritur quarto &c.*

312 Si vero Epiſcopus Regularis, vel ex ſpeciali ſpiritu, vel iuxta regulã ſuæ Religionis exigentiam expreſsè vouiſſet illud Ieiunium, vel illam abſtinentiam, vt vouent Minimi, exiſtimo illum Epiſcopum cogi ad abſtinentiam carnium etiam Na-

ta-

tatis Domini die feria 6. vel Sabbato occurrente, neque in eodem poſſe frangere Votum ſuum de ieiunio. Ita Suarez *de Rel. lib. 4. tract. 8. cap. 17. num. 19.*

313 Conſulto dixi ſupra *ſtricte loquendo, neque ex debito morali teneri Regulares Epiſcopos ad has magis obſeruantias prioris vitæ, quam ad iſtas alterius Inſtituti*, quia his non obſtantibus, ſatis congruum eſſet, vt iſte Regularis in ſtatu Epiſcopali eas obſeruantias eligeret, quæ ſunt ſuæ Religionis regulis ſingulares, & ſectaretur laudabiles conſuetudines in eadem ſua Religione exerceri ſolitas, ad modum, quo dixi ſupra congruum eſſe Epiſcopum ex Ordine Capuccinorum, verbi gratia, in vſu veſtium ſeruare aliquam maiorem vilitatem redolentem ſtatum prioris paupertatis, & ſimiliter nunc dico decentiſſimum eſſe, & ſummopere congruum Regularem Epiſcopum in Ieiunijs, Abſtinentijs, Orationibus, & huiuſmodi ſe accomodare, quantum fieri poteſt, ſeruataque epiſcopalis ſtatus conuenientia, modo, formæ, & circumſtantijs ſpecialibus ſuæ Religionis, veluti aliquos Epiſcopos, & etiam Cardinales egiſſe narrant hiſtoriæ.

314 Hæc refert Ciacconus *in Vita Io. Card. de Turrec. Ord. Prædicatorum. Igitur Cardinalis factus, vt erat moribus grauis, adamuſſim in omnibus priſtinum viuendi modum, quem tot annis in Ordine Prædic. didicerat, ſeruauit, & apprime retinuit*; De Thoma Cardinali de Vio Caietano ex eodem Ordine hæc leguntur *in Addit. ad opus Ciacconianum ab erudito D. Ferdinando Vghello Mon. Ciſt.* elaborata. *Purpuram à Leone X. aſſecutus, veſtes religioſi Inſtituti, viuendi rationem, ſtudia, diuitiarum contemptum, paupertatem, & cultæ virginitatis amorem nunquam reiecit.*

An vero Epiſcopus Regularis, ſi neglecta vi debiti moralis obſeruantias regulares omitteret in totum, vel in partem, aliquam culpam incurreret, dicam infra §. 6.

§. IV.

De Ritibus Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Epiſcopus Regularis debet ſe accomodare in Ritibus Sac. Clericis. 315.

Poſt

Poſt confirmationem ſuam in Epiſcopum. 316
Commenſalium Epiſcoporum Priuilegium. 317
Epiſcopus Regularis vtitur Cotta. 318
Vſus Rochetti adducitur. 319
Rochettum veſtis ſacra. 320
Rochetti vſus prohibitus Epiſcopis Regularibus. 321
Quibuſdam conceſſus ex priuilegio, ibidem.
Veſtes, quibus vtitur Epiſcopus Regularis in Eccleſia. 322
Ius, quo Clerici Regulares mutant habitũ in Epiſcopatu. 323
Idem queritur de Canonicis Regularibus. 324
Ex conſuetudine quilibet Epiſcopus Regularis poſſet aſſumere veſtes ſæculares. 325.

315 SVb nomine Rituum primo, & per ſe veniunt Ritus obſeruandi in complendo Sacroſanctæ Miſſæ ſacrificio, recitatione Diuini officij, & in aſſiſtentia in Eccleſia, vel extra ad ſacras functiones cum cæremonijs, & veſtibus in rubricis deſignatis; Epiſcopus Regularis in omnibus iſtis ſe conformare debet Cæremoniali Romano, ſuæ Eccleſiæ approbatis conſuetudinibus, ac formę, & modo, quem Clerici, cum quibus viuit, obſeruant, ac ſi eſſet Epiſcopus Sęcularis. Relicto ergo ritu ſuę Religioni proprio, aſſumere debet in celebrando Miſſę ſacrificium, & in recitando Diuinum Officium Ritus Romanos, & quos in ſua Eccleſia rationabilis conſuetudo pręſcripſit. Ita à S. Cong. Rituum *ſub* 11. *Iunij* 1605. deciſum fuiſſe refert Nouarinus *in Lucerna Regular.* Verbo, Epiſcopus, *num.* 4. & dicunt communiter Doctores *in Clement.* 2. *de celeb. Miſſ.* & apud Barboſ. *Apoſtolic. Deciſ. collect.* 284. *& de off. Ep. par.* 1. *cap.* 4. *num.* 15. Vbi refert Card. Turrecrematam Ordinis Prædic. ex gratia ſpeciali obtinuiſſe ab Eugenio IV. vt poſt Cardinalatum liceret ei continuare recitare diuinum officium iuxta formam Breuiarij Ordinis ſui: Epiſcopi Ordinis Sancti Franciſci Minorum ob ſeruantiæ, apud Nouarinum *vbi ſupra, num.* 5. ex conceſſione eis facta à Sac. Cong. Rituum, poſſunt recitare officia Sanctorum Ordinis ſui, & Miſſam celebrare, dummodo priuatim celebrent in ſua Capella diebus ipſis dedicatis, ſeruato tamen Breuiarij, & Miſſalis Romani Ritu: Thomas Delbene *de Immunit. Ecc. par.* 1. *cap.* 4. *dub.* 9. *num.* 21. cum Portello tenet Epiſcopum Religioſum recitare poſſe Horas Canonicas in Breuiario ſuæ Religionis cũ ſocio ſecũ recitante, & è contra; ſed quicquid

Digitized by Google

ſit de hac opinione, oppoſita mihi certior apparet,& ſequenda, cum hæc mutatio Ritus in recitandis diuinis officijs, & in perficiendis ſacris Altaris miniſterijs ſit cenſenda conuenire Epiſcopo Regulari, non ex aliquo Priuilegio, ſed de iure. Quo ſuppoſito. Dicto

316 Statim ac eſt electus in Epiſcopum, & confirmatus; quamuis non eſſet conſecratus, tenetur hanc mutationem amplecti, quia,vt ſupra dixi, per electionem confirmatam ſtatim abſoluitur à Iugo regulæ Monaſticæ profeſſionis, & perpetuo transfertur ad ſtatum epiſcopalem, cui ſtatui de iure connexa eſt illa mutatio,cum obliget Epiſcopum ad ſe conformandum ijs, cum quibus conuerſatur, *iuxta gloſſ. in dicta Clem. 2.* Epiſcopus vero confirmatus, ſtatim egreditur de Monaſterio, & cum Clericis conuerſatur. In mea conſecratione, cum perueniſſem ad Collectam, *A Cunctis*, dixi, *atque Dominico Patre noſtro*, correxit me vnus de aſſiſtentibus Epiſcopis in Ceremonijs Eccleſiaſticis accuratiſſimus, dicendo me iam Epiſcopum exprimere non potuiſſe in officio Eccleſiaſtico illa verba, *Patre noſtro*, quia debebam conformari Clericis Eccleſiæ meæ, quibus illa verba vſui nō erant, & Magiſter Ceremoniarum Capellę Apoſtolicæ eiuſdem conſecrationes Præfectus Epiſcopi illius correctionem veluti iuſtam, & ſequendam approbauit, inde deducitur Epiſcopos Regulares nec debere in *Confiteor* poſt *SS. Apoſtolos Petrum, & Paulum*, addere SS. ſuæ Religionis nomina, prout antea conſueuerant, nec in Collecta, *A cunctis*, omittere Sanctum ſuæ Eccleſiæ Titularem. *Diana parte ſecunda, tractatu duodecimo, reſolut.* 35. cum *Rodriq. & Portel.* dicit ſocium aſſumptum ab Epiſcopo Regulari ſatisfacere oneri ſuo recitando officium cum Epiſcopo iuxta Ritum Clericorum, quo vtitur ipſe Epiſcopus, relicta ſui Ordinis recitandi formula, hoc enim indulgetur omnibus Clericis Sæcularibus, & Regularibus commenſalibus domeſticis Cardinalium, & quorumcumque Pontificum *in d. Clem. 2.* Vbi notá, Papam in dicta ſua Conſtitutione noluiſſe includere Epiſcopos electos, & confirmatos,ſed non dum conſecratos,nam appellatione Pontificum non veniunt electi in Epiſcopos, & cōfirmati, niſi ſint conſecrati, prout dicit ibi *Gloſ. verbo Pontificū.* Inſuper aduerte Papam dixiſſe *poſſint dicti Commenſales ſe coaptare Epiſcopis prædictis*, non dixit *teneri*; immo ante hanc Clementinam id non licebat. Ita *gloſ. ibidem verbo Indulgemus*, vnde ſequitur iſtam coaptationem in diuinis officijs, non eſſe attri-

tri-

tribuendam dictis Commenſalibus de iure, ſed ſolum ex mera Pontificis gratia, & ex Priuilegio; Tandem *eadem Gl.* aduertit Papam dixiſſe Regulares ſe coaptare poſſe Epiſcopis in diuinis officijs, non in cibis, *ſi vero de cibis addidiſſet*, inquit, *hoc multum Monachis placuiſſet*, ſed in præfato iudicio *gloſ.* voluit eſſe magis faceta, quam pia.

318 In Veſtibus, quibus vtitur, dum ſacra operatur, Epiſcopus Regularis, de quibus modo loquar, exceptis Canonicis, & Clericis Regularibus, nulla alia inuenitur diuerſitas ab Epiſcopis Sæcularibus, dictiſque Canonicis, & Clericis, niſi in veſte linea, vulgo Rochetto, quàm Amicto, & quandoque immediatè etiam Stolæ tantum, vel Stolæ, & Piuuiali, quandoque vero immediatè Albæ illi ſupponunt, iuxta quod in Cęremoniali, vel Pontificali decernitur, hæc in Epiſcopo Regulari non Canonico, nec Clerico, debet eſſe Cotta, vel ſuperpelliceum loco illius, quæ in cœteris Epiſcopis eſt Rochettum, quod ſignificatur per illud indumentum lineum, quo *Innoc.3.* & habetur. *cap. Clerici officia de vit. & hone/t. Cler.* iuſſit Pontifices Sæculares vti debere in Eccleſia, & in publico, ibidem ab huius linei indumenti geſtatione expreſsè Epiſcopos Monachos excludendo, quos dixit: *Oportet ferre habitum Monachalem:* Cottam prędictam Epiſcopis Regularibus dedit *Clem.8.* vt patet in Cęremoniali, & Pontificali, eius iuſſu editis, decernendo quod illa vtantur ſub Amicto, ſiue dum aſſumunt omnes ſacras veſtes ad ſolemniter, vel priuatè Miſſam celebrandam, vel dum aſſumunt Pluuiale, vel aliquando Orariũ, ſeu Stolam tantum ad ſacras Cęremonias, in miniſtrando Sacramentum Confirmationis, in Collatione primę Tonſurę, ac Ordinum Minorum extra generales Ordinationes, & in varijs benedictionibus, & conſecrationibus perficiendas; Vnde Cotta eſt ab Epiſcopis Regularibus tantum ſub Amicto, vel ſub Stola, & Alba ſuperinduenda, nunquam vero ſub Mozzetta, vel Cappa, vel Mantelletto geſtanda, ſicut Rochettum geſtari ſolet à Sęcularibus Epiſcopis.

319 Sunt, qui exiſtimant vſum Rochetti fuiſſe Epiſcopis Sęcularibus conſuetum etiam à temporibus Sanctorum Epiſcoporum, & Martyrum Alexandri, & Cypriani, cuius ſententię eſt *Baronius Anno 261.* quem ſequitur *Gauantus in Theſ. Sac. Ri. part. 2. tit. 1. cap. 1. num. 2.* duplici fundamento innititur hęc ſententia. *Primum eſt*, quia in Ordine Romano, dum numerantur veſtes Pontificis, recenſentur hoc ordine; Linea, Amictus, Linea, Cin-

gulum, Dalmatica, Orarium, Stola, Planeta, ergo, inquit Gauantus, Linea Pontificis ante Amictum, Rochettum erat. Secundum fundamentum eſt, quia in Legenda S. Cypriani dicitur ipſum in Agro Sexti perductum, vbi iuſſu Galerij Maximi gladio animaduertendus erat, expoliaſſe ſe Birro, & genuflexo, ſe Dalmatica expoliaſſe, ac Diaconibus tradidiſſe, & in Linea ſtetiſſe, quam Lineam, etſi aliqui dicant fuiſſe Albam, Baronius verò, & Gauantus volunt fuiſſe Rochettum: S. Thomas *in 4. diſt. 24. q. 3. ar. 3.* recenſendo ſacras veſtes Pontificis, incipit ab Amictu, illa Linea ante Amictum prætermiſſa. Extat aliquorum Canoniſtarum ſententia, quam in reſponſis de Birreto rubro dando Cardinalibus Regularibus legi, reſponſione prima incerti authoris, *num.* 38. Innocentium III. ideo iniſſe Epiſcopum Religioſum vti habitu Religionis, quia Epiſcopus ratione ſtatus, prætermiſſis Veſtibus ſacris, non habet veſtitum ſic adeò proprium; Habitus enim, quo vtuntur Epiſcopi, qui Monachi non ſunt, tam quod attinet ad colorem, ſiue ille ſit niger, ſiue violaceus, quam quod attinet ad formam, eſt communis multorum Eccleſiaſticorum, ideoque datum illis fuiſſe indumentum illud lineum, immo & indumentis illis vtuntur multi præter Epiſcopos. Cum igitur Epiſcopus non habeat Habitum proprium, meritò Epiſcopus Religioſus iubetur induere ſe Habitu Monaſtico, quem antea geſtabat, cum nulla ſit ratio cur alio vti debeat. Vbi quãnis videatur indicari ab hoc Authore Rochettum non fuiſſe datum Epiſcopis Sæcularibus pro Veſte ſacra, ſed tantum quia cum prius non dignoſcerentur ab alijs diſtincti, & an eſſent Epiſcopi non cognoſcerentur, voluit Pontifex hoc lineo indumento eos ab alijs dignoſci, ac ex illa veſte in Eccleſia, & in publico agniti Epiſcopi, vti tales honorarentur.

320 Attamen cum Rochettum in Eccleſiaſticis miniſterijs à Sacerdotibus, & Epiſcopis adhibeatur, Veſtis ſacra omnino dicenda eſt, nam Rochetto Sacerdotes Sæculares, & Regulares vtuntur in Eccleſia ſub Stola, & Pluuiali, etiam dum ſacram Sinaxim deferunt, & Pontifices Sęculares, dum ſacras exercent Cęremonias, conferendo Minores Ordines, & Confirmationis Sacramẽtum. Præterea in perficiendo Benedictiones, & Sacramentalia, ac huiuſmodi, iuxta Cęremonialis, & Pontificalis Romani diſpoſitionem, Rochettum cum Stola ſuperinduunt, nulla alia ſacra Veſte aſſumpta.

321 Hoc indumentum lineum, quod Rochettum dicimus, certum

tum eſt ſuperinduere non poſſe Epiſcopos Regulares ſolis Clericis, & Canonicis Regularibus exceptis, iuxta *Cæremonialis Epiſcopalis Rubricas, lib. 1. c. 1. & 3.* nam vt dicebam, Rochetti vſus videtur prohibitus expreſsè Epiſcopis Regularibus in illo *cap. Clerici officia*, vt eſt communis Doctorum ſententia, & expreſſius prohibetur in Cæremoniali, & Pontificali, dum loco eius Cotta ſubſtituitur, quod inſuper confirmari poteſt ex facto aliquorum Summ. Pontificum, qui vſum Rochetti aliquibus Epiſcopis Regularibus ex gratia ſpeciali concceſſerunt. Catena *in ſuo tractatu Italico de Birreto rubro dando Cardinalibus Regularibus num. 59.* refert Ioannem Treuiſanum Venetiarum Patriarcham, & Georgium Cardinalem Tranſiluanum, ambo Monachos, a Sum. Pontifice habilitatos fuiſſe ad induendum cum Rochetto etiam Veſtes Epiſcopales, & Cardinalitias Sæcularium. Idem refert à Iulio III. indultum fuiſſe Ioanni Xauarez, ſeu Soario Auguſtiniano Epiſcopo Conimbricenſi vſum Rochetti, retento in Veſtibus colore Habitus ſuæ Religioni conformi, quod prius fuiſſe permiſſum a Leone X. Cardinali Aegidio Viterbienſi ex eodem Ordine fertur ab aliquibus; ideoque eum ſemper Rochettum ſuperinduiſſe, & in Simulacris, cum Rochetto delineari ſolitum fuiſſe: in cuius rei teſtimonium duas Tabulas vetuſtiſſimas, quarum vna in Bibliotheca Conuentus Romani S. Auguſtini, alteram in quadam Capella Eccleſiæ SS. Trinitatis Viterbij Ordinis ſui vſque ad hæc tempora ſuperſtites intuemur. Verùm quidam Patres eruditi, cum ab illius ætatis ſcriptoribus non inuenerint inter Aegidij decora hoc priuilegium Apoſtolicum vtendi Rochetto connumeratum, ſuſpicati ſunt illarum Picturarum expreſſionem in ſolam Pictorum pingendi poteſtatem eſſe reducendam.

Pœnas, quas incurreret Epiſcopus Regularis, ſi aſſumeret non permiſſus Rochettum, expendam infra §. 6. Interim dico relatum ad me fuiſſe in aliquibus Eccleſijs inueniri introductam conſuetudinem, cuius vi Epiſcopi Regulares licitè ſuperinduunt Rochettum, quam conſuetudinem rationabilem iudicari poſſe puto, ſi illi debitæ circunſtantiæ ad rationabilem conſuetudinem requiſitæ non deſint, nam vt innuebam ſupra §. 2. *num.* 252. id, quod fieri poteſt per Priuilegium, poteſt etiam fieri per conſuetudinem, cum conſuetudo pariſicetur Priuilegio, inducat, & det Priuilegium, ac Iuriſdictionem, vt dixit *gloſ. locis ibidem adductis*; Vnde etiam ſic, vt eodem loco probaui, id quod huma-

Digitized by Google

no Iure præcipitur, poſſe conſuetudine aboleri. Rochettum autem ex Priuilegio conceſſum aliquando fuiſſe Epiſcopis Regularibus patet ex ſupradictis, eiuſque prohibitionem nonniſi ex humano iure petendam eſſe de ſe conſtat. Præterea, vt dicam §. *ſeq.num.*332. Epiſcopus Regularis, ſi ex omiſſione illius linei indumenti, vel dum non induit etiam violaceas veſtes, ſcandalũ oriri animaduerteret, deberet de ſtatuto Iuris Canonici Veſtes illas, & Rochettum aſſumere ad tollendum ſcandalum. Ergo conſuetudo rationabilis introduci poteſt, ex qua Epiſcopus Regularis licitè ſuperinduat Rochettum, aliàs illam conſuetudinem introductam ad vitandum ſcandalum Ius Canonicum improbaſſet tamquam corruptelam, vt dicitur *cap. fin. de conſuetudine*, Vbi decernitur conſuetudinem rationabilem, & præſcriptam Iuri poſitiuo præiudicium generare, *non generaliter*, inquit *gloſ. ibi, ſed in eo loco præiudicat Iuri, vbi conſuetudo ſeruatur*, & ſeruandam eſſe pro lege dicitur *extra de Arbitris cap. Dilecti*.

322 Sunt aliæ veſtes, & Capitis indumenta, quibus vtitur Epiſcopus Regularis, dum ſacris intereſt, vel dum ad ſacra peragenda ſolemniter proficiſcitur, videlicet Mozzetta, & Cappa magna cum Pellibus, ſeu ſerico colore ſuæ Religionis Habitui conueniente. Item Birretum clericale nigrum, & Galerus etiam niger ex lana, viridi ſerico, & eiuſdem coloris floccis ornatus; Mozzettam geſtare debet, nunquam ſericam, niſi tantum in foderatura, ſed vel ex lana, vel ex ciambellotto cum vndis, qua vti poterit in diebus feſtiuis, & in Dominicis extra Aduentum, & Quadrageſimam, ſextas ferias, Vigilias, & quatuor Anni tempora. Extra Diœceſim Mozzettæ Mantellettum ſupponit, ſed per totam Diœceſim Mozzettam geſtat ſine Mantelletto ſuper nudum habitum, etiam in locis exemptis, & etiam nullius Diœceſis vbi exercet iuriſdictionem. Excipe caſum, in quo in Diœceſi reperiretur Cardinalis S.R.E. nam tunc, ſi eſſet Legatus, nunquam deberet incedere cum ſola Mozzetta, & habitu nudo, in loco, vbi Legatus præſens eſſet. Ita deciſum à S. Congregatione Rituum in Peruſina, 2. Octobris 1601. refert Barboſa *in Collect. Bull. verbo Mozzetta*; Si verò ille eſſet Cardinalis, non verò Legatus, ſatis eſſet, vt tantum coram ipſo in debitæ reuerentiæ indicium, ſub Mozzetta Mantelletto habitum tegeret. Item Cappam Magnam cum Pellibus, ſeu ſerico geſtat in Proceſſionibus publicis, & dum Sacra coram ipſo peraguntur, vel Concio-

Digitized by Google

ſolemnis habetur: Hanc Cappam cum Pellibus dediſſe Epiſcopis Regularibus Iulium III. dixit Hieronymus Catena *in ſuo diſcurſu Italico*, de quo ſupra *num.* 38. ſed illam vſui fuiſſe Cardinalibus Religioſis ante Iulij III. tempora, nos docet Pictura ſexaginta annis, & ſupra ante Iulium III. elaborata Romæ in Porta Laterali Eccleſiæ S. Mariæ Transtyberim, quæ Cappa Magna cum Pellibus albis indutum exprimit Fr. Ioannem Cardinalem de Turrecremata Ordinis Prædicat. quamuis modo vſus obtinuerit, quem etiam *Ceremoniale Episcoporum lib.* 1. *c.* 1. *&* 3. amplectitur, vt Pelles, & ſericum in Cappa Epiſcopi Regularis retineant colorem Cappæ, qui vſus etiam temporibus Fr. Thomæ de Vio Card. Caietani pariter Ordinis Prædic. vigebat, memini enim me illum vidiſſe Florentiæ in peruetuſta Tabula depictum cum Cappa, & Pellibus nigris: Antiquitus etiam Cardinales non Monachos geſtaſſe Pelles coloris non albi, ſed griſei in Cappis obſcuris, refert Catena *vbi ſup. num.* 36. Item Epiſcopus Regularis habet pro Capitis tegumento Birretum nigrum clericale, quem etiam temporibus *S. Thomæ* Epiſcopos Regulares geſtaſſe dixit idem Catena *in ſupradicto diſcurſu nu.* 74. Tandem geſtat Galerum nigrum, ex lana viridi ſerico, ac eiuſdem coloris floccis ornatum in Proceſſionibus, & dum incedit per viam cum Cappa magna, quem Galerum dediſſe Epiſcopis Religioſis Leonem X. refert idem Catena *ibidem nu.* 86. Dixi ſupra Clericos, & Canonicos regulares ad Epiſcopatum promotos aſſumere poſſe ex Pontificalis, & Ceremonialis diſpoſitione Rochettum, modo dico inſuper iſtos ita deponere religioſas Veſtes prioris vitę, vt omnino ſe Sæcularibus Epiſcopis conforment, quæri modo poteſt, quo Iure id faciant.

323 Loquendo primo de Clericis regularibus, hos non habere habitum religioſum certum, ſed communem cum Clericis Sęcularibus vſui patriæ, in qua viuunt, accomodatum, dixit Suarez *tomo* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. Et Sanchez *Decal. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 70. quem ſequitur Barboſa *de Iure Eccleſ. lib.* 8. *cap.* 42. *num.* 116. agendo tamen de Clericis Soc. IESV; ſed dictorum Clericorum vna eſt, eademque ratio cum cęteris aliarum Congregationum Clericorum regularium, vt patet. Ex his ſequitur, quod ſicut Clerici Sæculares Rochettum, & violaceas veſtes induunt dum fiunt Epiſcopi, ita etiam Clerici regulares eaſdem veſtes aſſumunt; in omni enim ſtatu, loco, & dignitate licet eis cum Clericis in veſtitu conuenire: Eiſdem

dem ergo de iure competere videtur variare habitum prioris vitæ in Epiſcopales Sæcularium veſtes. Sed Bonacc. *de Clauſ. quæſt. 2. pun. 2. num. 24. & de Cenſuris extra Bullam Cœnæ diſp. 2. quæſt. 8. pun. 6. ſecunda Propoſ. num. 25.* Castropal. *tomo 3. tract. 16. diſp. 4. pun. 6. num. 2.* quos nouiſſime ſequitur Diana *par. 9. tract. 7. Miſcel. reſol. 5.* docent Clericos Soc. IESV, & conſequenter alios Clericos regulares habere ſpecialem habitũ ab alijs Clericis Sæcularibus diſtinctum, ita vt ſi illum deponerent, eſſent Apoſtatę, & incurrerent in excommunicationem Canonis. Diuerſitas in habitu Clericorum Regularium à Clericis Sęcularibus innuitur *in gl. Clem. 1. de elect.* vbi dicitur, Clericos Sęculares non habere certum habitum, cum non ſit expreſſum in iure de colore, vel forma, per quę, vel quorum alterum oportet habitum diſcerni, ſed hoc non verificatur in Clericis Regularibus, nam iſtis Clericis certus habitus prefixus eſt in forma, & colore, quod conſtat ex vſu, quem exiſtimo eſſe in eorum Conſtitutionibus pręſcriptum, Clerici enim diuerſarum Congregationum, quamuis Clericalem habitum, & colorem nigrum omnes retineant, tamen per quaſdam peculiares formulas obſeruatas in Succintorio, Pallio, Veſte manicata, Lēnula, vel Cauſapina cubicularia; item in Collaris materia, & plicaturis, in Caligarum colore, in Calceorum forma, quibus inſuper aliqui non vtuntur, ſed nudis pedibus ſolea obtectis plātis incedunt, præſeferunt ſinguli ſuum diſtinctiuum, quo qualis ſint Congregationis agnoſcuntur ex aſpectu: hæc omnia conuincunt Clericos Regulares habere certum habitum in forma, & colore iure ſuarum Conſtitutionum, vel conſuetudinis præſcriptæ prædefinitum, & introductum. Vtrum vero hoc ſuppoſito, ipſo iure, vel ex conſuetudine, ſeu de beneplacito, benignitate, diſpenſatione, vel priuilegio, ſeu permiſſione Apoſtolica habitum Religioſum deponant, dum Epiſcopi fiunt, & quare non compræhendantur in communi lege Canonica, qua omnibus Regularibus id prohibitum eſſe conſtat, indicabunt ex eiſdem Congregationibus viri doctiſſimi, qui ad Epiſcopatus, & maiores dignitates merito ab Eccleſia, quam moribus, & doctrinis adeo illuſtrant, quotidie aſſumuntur.

324 De Canonicis Regularibus eſt magis apparens difficultas, quo iure deponāt habitum ſuum regularem cum Epiſcopi fiunt. Illi enim primò habent habitum diſtinctum, & diſtinctiuum, vt tenet Suarez *de Relig. tomo 4. tract. 9. lib. 1. cap. 5. num. 11.* qui

ha-

habitus in Clem. prima *de elect.* deſcribitur à gloſ. quòd ſit linea toga, quam ſub Cappa deportant. Vnde Cæremon. Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 1. *&* 3. hanc lineam togam, quam vocat Rocchetum, Canonicos Regulares, qui ea vtuntur, retinere debere in ſtatu epiſcopali decernit: deinde Canonici Regulares nec in colore, nec in modo geſtandi Pallium, & Veſtes cū Clericis conueniunt, non enim omnes Rocchetum ſuperinduunt, ſed olim aliqui Almutiam cum ſuperpellicco geſtabant, vt conſtat ex imaginibus Thomæ de Kempis, quas in ſuo libello de Imitatione Chriſti impreſſas conſpicimus. Multi vtuntur Birretis, & Galeris albis, multi Scapulare paruum lineum, Togę albæ, vel nigrę ſuperponunt; alij verò habent ſuper Togam lineam ſcapulare laneū. Et quamuis Nauar. *tomo* 1. *conſ. de Regul. lib.* 3. *conſil.* 13. *num.* 44. dixerit habitum Canonicorum Regularium nihil ferè diſtare ab habitu honeſto Clericorum ſæcularium, attamen *num.* 12. conſuluit quondam Canonicum Regularem, vt in quodam caſu, in quo palam habitum ferre non poterat, ſaltem occultè habitum ſuæ Religionis deferret, cùm Regularis eſſe non deſijſſet; ergo Canonici Regulares habent peculiarem, & certum habitum, & ideo quęritur quo iure facti Epiſcopi aſſumant ſæculares veſtes violaceas; iure ne ipſo, vel ex aliqua Apoſtolica diſpenſatione? Quod non iure ipſo, videtur probari ex *Gl. in Clemen. prima de elect. verbo, Habitu*, & ex *cap. Deus qui, de vit. & honeſt. Cleric.* vbi dicitur Canonicos Regulares habere habitum peculiarem; in *gl. vero cap. Deus qui*, declaratur, tam Canonicos regulares, quàm Monachos, ſi promoueantur ad Eccleſias Sæculares, debere interius ferre veſtes congruentes ſuæ Religioni. Item *in cap. ex parte, extra de Poſtulando*, dicitur *idem iudicium de Canonicis regularibus, quod & Monachis quantum ad ſupradicta credimus obſeruandum, licet de Monachis in Canone ſpecialiter ſit expreſſum*, quod extenditur à Doctoribus, ne dum ad ea, quę in illo capite exprimuntur, ſed etiam ad omnia alia, quę pertinēt ad ſubſtātiā, & decentiā ſtatus religioſi. Ita Lezana *Sum. tomo* 2. *cap.* 3. *num.* 6. Suarez *vbi ſupra num.* 10. *&* Nauarr. *de Regul. com.* 3. *num.* 40. *&* 41. vbi firmat, in materia, in qua eſt eadem ratio de Canonico regulari, & Monacho, & in qua iure antiquo regulariter reperiuntur exęquati, fieri extenſionem etiam ad exorbitancia, & pœnalia. Item Abbas *in dicto cap. ex parte*, dicit Conſtitutionem Pontificiam, ſiue Canonicam aliquid de Religioſis ſtatuentem, licet de Monachis ea

lo-

Digitized by Google

loquatur, ad omnes Religioſos trahi; niſi aliqua ſpecialis ratio diuerſitatis appareat. Inter ea vero, quæ ad decentiam, & ſubſtantiam ſtatus Religioſi pertinent, præcipuum locum obtinet Habitus Regularis. in quo exæquati ſemper fuere Monachi cum Canonicis regularibus. Vterque enim ſemper fuit exiſtimatus Apoſtata ſuę Religionis habitum dimittendo. Ergo ad habitum non mutandum tenetur Canonicus regularis factus Epiſcopus de iure cõmuni, cum talis mutatio per Canones prohibeatur Monachis, quibus in hoc dicti Canonici exęquantur. Confirmari poteſt ex S. Thoma 22. *quæſt.* 185. *artic.* 8. vbi docet habitum à Regularibus Epiſcopis eſſe retinendum in ſignum obligationis ad regulares obſeruantias, quę non impediunt munus epiſcopale; hęc autem ratio militat in omnibus Religioſis ex quocunque Ordine ad Epiſcopatum aſſumptis, omnes enim ęqualiter remanent ſaltem ad ſubſtantialia Religionis obligati; Cuius obligationis indicium eſt habitus; Ergo videtur etiam Canonicos regulares Epiſcopos geſtare debere habitum ſuę Religionis; Verum Leo Decimus *in ſua Conſtitutione* 34. *Nou. Bull.* omnem difficultatem extinxit, cum declarauit Canonicos regulares Sancti Auguſtini de antiqua conſuetudine pluribus in locis, etiam in Romana Curia in Epiſcopos promotos, tam in Capella Pontificia, quàm extra vſos fuiſſe habitu, & colore, quibus vtuntur Clerici ſęculares Epiſcopi, & idem Pontifex huic conſuetudini adhęrendo, prius viuę vocis oraculo, poſtea ſua ſpeciali Conſtitutione conceſſit dictis Canonicis authoritate Apoſtolica, vt habitus, & colores, quos Epiſcopi ſęculares geſtant, tam in ſua Capella, quàm extra geſtare poſſent. In contrarium non obſtantibus quibuſcunque.
325 Vnde iterum patet poſſe ex conſuetudine rationabili introduci, quod Epiſcopus Regularis vtatur habitu, Rochetto, & colore, quo vtuntur Epiſcopi ſęculares, cum ex conſuetudine, quam authoritas Apoſtolica ſuppoſuit iam rationabiliter introductam, declarauerit Summus Pontifex vbi ſupra potuiſſe Canonicos regulares ſuum habitum immutare, nõ obſtante diſpoſitione iuris Canonici, qua prohibebatur Canonicis regularibus, ne immutarent habitum ſuum regularem dum Epiſcopi fierent, vt ſupra probatum eſt, poſita igitur hac conſuetudine in aliqua Eccleſia, Regularis ad illam promotus aſſumere poſſet totum habitum ſęcularem, Rochettum, ſcilicet, & Veſtes violaceas, ſi conſuetudo eſſet de toto habitu introducta; ſi verò tantum de Rochetto vigeret, il-
lum

lum poſſet ſuperinduere ſine aliqua culpa, vel pœna, &c. rationabili conſuetudine abolente Iura contrarium diſponentia; immo teneretur omnino huiuſmodi Veſtes aſſumere ad tollendum ſcandalum, ſi eas non aſſumendo, in ſui Epiſcopatus populis oriretur, vt dictum eſt.

Verùm ego conſulerem Epiſcopos Regulares, nec Clericos, nec Canonicos, quod in nullo ex recenſitis caſibus mutarent habitum ſuum, nec Rochettum aſſumerent, niſi Sacra Congregatio Rituum de ſupradictis motiuis antea informata, id fieri poſſe prius probaret, & exequi poſſe declararet.

§. V.

De Habitu Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Epiſcopus Regularis tenetur ad geſtandum habitum Regularem. 326 335
Excipitur Regularis Summus Pontifex. 327
Caſus in morte Sixti Papæ IV. ibidem
Ius, quo Epiſcopus tenetur ad habitum regularem. 328. 329
Habitus quomodo dicatur de ſubſtantia Religionis. 330
Inſtitui poteſt Religio, quæ non habeat certum habitum. 331
Nouitij Epiſcopi habitus. 333
Electi Epiſcopi habitus. 334
Epiſcopi, cuius Religio ſupprimitur, habitus, ibidem
Epiſcoporum, & Cardinalium Regularium exempla. 336
Sancti Thomæ ſententia. 337
Epiſcopo Regulari an liceat occultare habitum. 338 340
Adducitur cap. Extrinſeci, de vita, & honeſtate Clericorum. 339
Collaris lanei vſus. 341

326 Regularem factum Epiſcopum teneri ad portandum habitum religioſum certum eſt, *ex gl. in cap. De Monachis, 16. quæſt. 1. & ex cap. Clerici officia, de vita, & honeſtate Clericorum,* vbi dicitur, *Pontifices, &c. niſi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitu Monachale.* Item ex *gl. 16. quæſt. 7. cap. in nona,* verbo *nec habitum,* & ex Synodo vniuerſali 8. *Can.* 27. vbi dicitur,

Monachi, qui vita, & doctrina vt Epiſcopi creentur meruerint, non mutent habitum, veſtiſque rationem ob nouam dignitatem, non minus enim hoc arrogans eſſet, quam pallio ineptè vti. Gregor. XIV. *in ſua Conſtit. 9. Noui Bull.* dixit Cardinales Regulares deferre habitum ſuorum Ordinum. Habitus tamen iſte, retento colore Religionis, ex qua Epiſcopus aſſumitur, debet in forma, & figura conformis eſſe formę, & figurę habitus aliorum Epiſcoporum ſęcularium, iam enim id conſuetudo ferè per totum Orbem introducta obtinuit, & in Rituali Romano reformato conceſſum fuiſſe à Clemente VIII. teſtatur Lezana *in Sum. par. 1. cap. 17. num. 19.* inſuper ſub pręcepto Epiſcopis Regularibus impoſitum eſſe, vt hanc formam Veſtium, qua vtuntur Epiſcopi ſęculares, ſeruent in publico, & in Eccleſia, dubitari non poſſe credo, nec ab ipſis ſine graui culpa prętermitti, niſi ex aliqua cauſa, vbi hęc habitus forma adhuc introducta non fuiſſet, & ſi ſeruaretur, in populi admirationem, & ſcandalum cederet, quo caſu exiſtimo dictam immutationem non eſſe faciendam, ſed ſeruandam eſſe formam habitus conſuetam, addito aliquo ſigno extrinſeco, vel Pileo nigro, quem viridis chordula circumuoluat, vel Cruce, quæ de Collo pendeat ante pectus, aut alio ſimili iuxta morem regionis, quo ſigno illius Epiſcopi perſona à ſimplicis Religioſi conditione ſeiuncta eſſe declaretur. Oportet enim Religioſum creatum Epiſcopum cuius ſit dignitatis occurrentibus vbique palàm innoteſcere, vt agnitus, ea, qua decet reuerentia, excipiatur. De numero, & vſu harum veſtium §. ſuperiori dixi. Conueniunt Theologi cum Diuo Thoma 22. *quæſt.* 185. *artic.* 8. quos adducunt Barboſa *de offic. Epiſcopi par. 1. tit. 1. cap. 4. num.* 17. & Gregorius Diedus *in reſp. de birreto rub. dando Card. regul. num.* 1. Regularem creatum Epiſcopum non mutare in colore habitum Monachalem, in quo ſenſu de habitu Epiſcop. Regularis loquar in ſequentibus, vno
327 excepto Regulari aſſumpto ad Romanum Pontificatum, qui cum deuenerit vniuerſalis Eccleſię Paſtor, nullius particularis Ordinis inſignia retinere debet. Memini me legiſſe in relatione Magiſtrorum cęremoniarum Capellę Papalis de morte Sixti Quarti, qui erat Franciſcanus, Pontificem iſtum immediatè poſtquam ceſſiſſet humanis, indutum fuiſſe ſub Alba, veſte purpurea; ſed dicti Magiſtri ibid. fatentur in hoc erraſſe, nam iudicabant induendum fuiſſe veſte coloris ſuæ Religioni conformis, cuius hanc reddebant rationem, *quia Papa mortuus, non eſt amplius*

plius Papa. Sed quicquid ſit de huius hiſtoriæ veritate, exiſtimo Sum. Pont. Regularem defunctũ induendũ eſſe eiſdem veſtibus, quibus in vita vtebatur, cum hic honor in funere cuicunque viro exhibatur, vt eiſdem prorſus dignitatis ſuę rectus inſignibus feratur, dum ad ſepulchrum humandus deportatur.

328 In exponendo ius cuius vi ad retinendum habitum Regularem Epiſcopus ex Ordine religioſo aſſumptus obligetur, diſcrepant ſupracitati, alijque Doctores, quorum placita, vt melius, & clarius expendam, quæro vtrum ex præcepto, vel tantum ex debito morali, ſeu ex quadam honeſtate teneatur Regularis Epiſcopus ferre habitum religioſum: Teneri tantum ex honeſtate dixit Abbas in illud *cap. Clerici officia de vita, & honeſtate Clericorum*, quem videtur ſequi Hurtadus *tract. de Char. diſp.* 160. *ſec* 1. dum ait, *relinquitur enim illis habitus, tum in honorem ſui Ordinis, tum vt ipſe Epiſcopus meminerit non oportere ad fluxum diffluere, qui Religionem fuerit tandiù profeſſus*, quod probari poteſt.

Primo, quia Regularis factus Epiſcopus tenetur tantum ad ſubſtantialia Vota Religionis, prout ſupra dictum eſt, ſed habitus non eſt de ſubſtantialibus Religionis, vt dixit idem Abb, *c. Porrectum de Regul.* ſed de accidentalibus, prout ſubiunxit Butrius ibidem. Vnde dicitur, *Habitus non facit Monachum*, in eodem *cap. Sola enim profeſſio facit Monachum, & ſolemnizat Votum*, vt dicit *gloſ. ibi, & in cap. Sicut bonum* 27. *quæſt.* 1. verbo *Apparuerint*. Ergo tantum ex honeſtate Regularis Epiſcopus tenetur ferre habitum religioſum. Confir. Nam Sum. Pontifex ſi eſſet Religioſus, retineret ſubſtantialia Religionis, vt ſupra dixi, & tamen mutaret habitum religioſum. Item Clerici, & Canonici regulares, ſi fiant Epiſcopi, retinent ſubſtantialia Religionis, vt etiã dictum eſt, & tamen mutant habitum. vt ex dictis patet. Tandem ex diſpenſatione Apoſtolica aliqui Religioſi Epiſcopi mutauerunt habitum, & tamen ex hoc non fuerunt diſpenſati in aliquo Religionis ſubſtantiali prædicato; ergo habitus non eſt de ſubſtantialibus Religionis.

Probatur ſecundò. Nam nullum extat ius expreſſum, quod obliget Epiſcopum Regularem ad geſtandum habitum religioſum; Ergo ad geſtandum habitum religioſum non tenetur ex debito legali. Probatur antecedens: nam Epiſcopum Regularem ad id non obligat regularis Conſtitutio, cum ab illius coactiua obligatione ſit abſolutus, vt dicitur *cap. Statutum* vbi ſupra, non

Decretalis *Clerici officia*, nam ibi vtitur Pontifex verbo *Oportet*, quod inducere non ſolet rigoroſam, & legalem obligationem. Tandem non *Canon* 8. *Synodi*, nam ibi dicitur, quod Monachus Epiſcopus, ſi mutaret habitũ, eſſet arrogans ac ſi ineptè pallio vteretur, non dicitur, eſſet legis prævaricator; arrogantia verò iſta, cum non ſit de re Eccleſiæ præcepto vetita, erit contra rectam rationem, inducens tantum venialem culpam, vt docet Caiet. *in ſumma*, verbo, *Arrogantia*. Tandem non tenetur ex Ceremonialis, ſiue Ritualis Romani diſpoſitione; Nam huiuſmodi diſpoſitio non ſolet eſſe adeo rigida, vt cenſeatur legis, ſiue præcepti vim habere, & legali coactione obligare ſub mortali in caſu, quo prętermitteretur.

Probatur *tertiò*; Nam ſi teneretur Epiſcopus Monachus ex prǽcepto ferre habitum, nunquam poſſet illum deſerere, ſed hoc eſt falſum; nam ex ſententia Apoſtil. ad Card. Zabar. *in cap. de ſtatu Monacho. ſub num.* 9. *in addit. littera A.* & authorum, quos adducit Diana *par.* 12. *reſol.* 104. poteſt Monachus habitum deſerere; Ergo non tenetur ex prǽcepto Regularis Epiſcopus ferre habitum religioſum, ſed tantum ex debito morali, ſeu honeſtate quadam, eo prorſus modo, quo tenetur ad cęteras tertij generis regulares obſeruantias, quas §. 3. ſupra explicaui.

329 His non obſtantibus dicendum eſt, Regularem factum Epiſcopum teneri ad geſtandum habitum religioſum ex debito legali, non quidem proueniente ex iure diuino, vel ex natura rei, ſed ex eccleſiaſtico prǽcepto. Nota habitum religioſum non conſiſtere in Veſte, quæ ſit huius, vel illius formę, de hac, vel illa materia; nam habitus in forma immutatus, & ex alia materia ab vſu Religioſorum aliena, vt ex ſerico, & auro, ſeu alia prętioſa textura compactus, ſi ſeruet colorem religioſo habitui conformem, etiamſi in forma, & materia diſcreparet, adhuc eſſet habitus regularis, color enim, qui eſt de modo panni, vt ſic, tranſit in ſubſtantiam eius, in quantum eſt habitus religioſus. Verùm, vt dicebam hic, & §. 1. huius capitis, mutata habitus regularis forma, caueant Epiſcopi Regulares à prętioſis, & fulgidis veſtibus; nam & ſi ſubſtantiam regularis habitus ſeruarent, tamen grauiter peccarent dictas prętioſas Veſtes induendo, dicitur enim 21. *q.* 4. *cap.* 1. *Epiſcopos, & Clericos, qui ſe fulgidis, & claris veſtibus ornant, emendare oportet*, quod quamuis de omnibus Epiſcopis dictum ſit, ſpecialius Epiſcopos Regulares tangit, quibus magis repugnant ſerica, & fulgida indumenta,

ta, quàm ſæcularibus, quibus conſuetudo regionis pretioſas, & fulgidas veſtes potuit indulgere, vt dicebam vbi ſupra: dato etiã quod Veſtes iſtæ culpam aliquam in omnibus Epiſcopis conſtituerent, in Regularibus hęc culpa eſſet grauiſſima: legendus Nauarrus *de Regul. Com.4.num.27.* Hoc ſuppoſito, adductam concluſionem conuincunt Iura ſuperius allata, quæ ne dum debitum morale, verum etiam legale inducere intendunt, dum ſtatuunt, Epiſcopum Regularem ferre debere habitum religioſum.

Probatur, nam in hoc ſenſu dicta Iura acceperunt communiniter omnes Theologi, & Canoniſtę, legendi ſunt pręcipuè Azor. *Inſt.Moral. par.1.lib.12.cap.17.§. Quæritur quarto,* Silueſter verbo *Religio 6.10.* Suarez *tom.4.de Rel.tract.8.lib.3.cap.17.nu.19.* Sanchez cum alijs ab ipſo citatis *Decal.lib.6.cap.6.num.22.* Lezana *Sum. qq. Regul. par.1. cap.17.num.9.* & Barb. *de off. Epiſcopi p.p. tit.1 cap.4 num.17.*

330 Ad ea, quæ dicebantur in contrarium, Reſp. Ad primum dico diſtinguendo antecedens. Habitus non eſt de ſubſtantialibus Religionis, vt id, in quo Religionis ſubſtantia conſiſtit, concedo, vt ſignum illius, in quo Religionis ſubſtantia conſiſtit, nego. Quapropter in ſubſtantialibus Religionis includitur habitus, velut quoddam ſubſtantiale relatiuum, reſpiciens pro fundamento ſubſtantialia Vota, & pro termino Eccleſiam, quæ de talibus ſubſtantialibus vult per extrinſecum hoc habitus ſigni certiorari. Vnde dixerim habitum eſſe de ſubſtantialibus Religionis, non abſolutis, ſed ex ſtatuto Iuris Canonici de ſubſtantialibus relatiuis; de ſubſtantialibus abſolutis loquuntur Canoniſtæ in argumento adducti, qui negant habitum non eſſe de ſubſtantialibus Religionis, & quia poteſt remanere abſolutum ſine relatiuo ex natura rei illi non connexo, & ſignatum ſine ſigno ad placitum, veluti eſt habitus, poteſt eſſe Monachus ex ſola profeſſione ille, cui habitus deeſt, & ſic verificatur quòd habitus non facit Monachum, patet hoc in Apoſtata, & in Eiecto, qui verè ſunt Religioſi, & tamen habitum non geſtant. Idem dicendum eſt de Religioſo Sum. Pontifice, idem de diſpenſato, vel ex conſuetudine abſoluto ab onere ferendi habitum religioſum, quæ conſuetudo modo omnino abſoluit vbique Clericos, & Canonicos Regulares, vt ſupra dictum eſt; Vnde patet Religioſum non teneri nec de Iure diuino, nec ex natura rei ferre habitum ſuæ profeſſionis ſignum, ſed ſolum de lege humana, vt benè Nauarrus *conſil.lib.3.de Regul.conſ.14.num.2.*

331 Immo poſſet inſtitui aliqua Religio, quæ nullum habitum certum haberet ſuæ profeſſionis ſignum, ſicut dicebam ſupra Sanchez, & Suarez voluiſſe de facto Religionem Societatis ex ſuo inſtituto non habere habitum certum: Tamen de Eccleſiæ præcepto, vno excepto Religioſo Sum. Pontifice, ſi conſuetudo, vel diſpenſatio Apoſtolica non adſit, ſubſtantialis Religionis ſtatus exigit, vt quiſque Religioſus, in quo religioſus ſtatus quantum ad ſubſtantialia perſeuerat, ſecum habeat habitum illius ſtatus ſignum perpetuò connexum. Sicut igitur tenetur Religioſus perpetuò ad præſtandum actus, ad quos religioſa profeſſio obligat, vt §. 2. explicatum eſt, ita perpetuò obligatur ad deferendum ſignum talis obligationis, & hæc eſt ratio D.Thomæ 2.2. *q.* 185. *art.* 8. vbi obligationem delationis habitus deduxit ex obligatione obſeruantiarum primi generis, quas dixi ſupra §. 3. in Votis Religionis ſubſtantialibus præcipuè ſitas eſſe.

332 Ad ſecundum dico Iura adducta conuincere euidenter adeſſe Eccleſię præceptum cogens Epiſcopos Regulares ad deferendum habitum religioſum, & concedo illud præceptum nullam habere vim ex regulæ ſtatuto, dico maximam vim habere ex Eccleſiaſtico Iure, & præcipuè ex illo *cap. Clerici officia*, vbi verbum *oportet*, & ſi aliàs non inferat grauem obligationem, vt in ſpecie *diſt. 64. cap. Epiſcopum*, prout dixit *gloſ. &* Achugna *ibidem*, eam tamen infert, quando importat neceſſitatem, vt probat idē Achugna *ſuper diſt. 23. cap. non oportet, num. 3. & diſt. 25. cap. vnum Orarium, num. 1.* Vnde cum in *d. cap.* illud verbum, *oportet*, inferat neceſſitatem, infert conſequenter grauem obligationem, quod ex communi Doctorum interpretatione oſtendit Suarez *vbi ſup.* Præterea præceptum de geſtando habitum regularem Epiſcopis Regularibus impoſitum habet vim ex illo *Canone* 8. *Synodi*, vbi Monachus factus Epiſcopus, ſi mutaret habitum religioſum, declaratur arrogans, quia, ſcilicet, ſibi vſurparet aliquid, quod illi non conuenit, ſed quia hoc inſuper faceret non curando de Eccleſiæ præcepto, eſſet conſequenter pręuaricator, & peccaret mortaliter, vt benè dixit Caiet. *ibid.* quod etiam verba Canonis, quę ſequuntur indicant euidenter, ſunt enim iſta, *quiſquis ergo Epiſcopus, præter definita ſibi tempora, ſe pallio induerit, aut Monaſticam veſtem depoſuerit, aut corrigatur, aut à Patriarcha proprio deponatur*, hæc enim adeò grauis pœna conſtituta à S.Synodo Monacho Epiſcopo habitum deponenti nonniſi pro mortali culpa imponeretur.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium reſp. negando ſequelam, nam veluti explicaui ſupra, ſicut poteſt remanere ſignatum ſine ſigno, ita poteſt remanere Religioſus ſubſtantialiter ſine habitu, ſed authoritati propoſitæ in argumento ex Zabarel. *add.* in qua dicitur Monachum poſſe habitum dimittere, apponenda eſt limitatio, ſcilicet, ſi adſit licentia Superioris, vel conſuetudo, vel neceſſitas ad euitandum ſcandalum, iuxta *cap. Deus qui Eccleſiam, extra de vit. & honeſt. Cleric. & cap. in nona, 16. quæſt. 7.* ibi, *decet Epiſcopos à ſuis non differre, nec in moribus nec in habitu*, vbi inquit Gloſ. *decet, vel quia ex rationabili conſuetudine ſic ſolet fieri in illa Eccleſia. vnde ad tollendam populi admirationem habitus mutandus eſt, vel quia ſi Epiſcopus differat in habitu à Clericis, populus ſcandalizatur:* Præpoſitus Mediol. *in cap. de his, diſt. 50. num. 9. verſ. eſt tertia regula*, dixit quod pro euitando ſcandalo quis, non ſolum non debet portare habitum ſui Ordinis conuenientem, verùm etiam illum in habitum minus conuenientem mutare, in caſu, ſi prudentia dictat.

333 Quæres. ſi Nouitius fieret Epiſcopus, ſicut accidere poſſet, vt dixi *cap. 1 §. 1.* ſuppoſito, quod certum eſt, ipſum non tener ad geſtandum habitum religioſum, cum poſſit etiam non Epiſcopus illum dimittere, Vtrum poſſet in habitu religioſo incedere, ſeu Vtrum teneretur habitum dimittere, & inſtar non Religioſorum veſtire.

Dicerem teneri ad dimittendum habitum religioſum; Habitus enim eſt profeſſionis religioſæ inditium, hanc autem profeſſionem Epiſcopus licitè abſque conſenſu Papæ emittere non poteſt, vt ſupra dictum eſt, *& c. ſeq.* probabo, vbi ergo non adeſt religioſa profeſſio, cuius habitus eſt ſignum, debet habitus remoueri, ne aliàs habitus, indicando quod non eſt, eſſet cauſa deceptionis, & ideo ad hanc deceptionem tollendam, non permittitur Epiſcopo Sęculari ex deuotione induere habitum religioſum. Quod dixi de Nouitio, idem dicerem de illo, qui concludenter probaret coram S. Congregatione Concilij ſuam profeſſionem nullam fuiſſe, nam etiam iſte non eſſet eſſentialiter Religioſus, & conſequenter non deberet cum habitu religioſo incedere, ſed conſuetudo introducta poſſet indulgere Epiſcopo Sęculari, vt etiamſi Regularis non eſſet, liceret ei habitum induere regularem, nam legimus in Baronio *Anno* 1062. S. Thom. Cantuarienſem Epiſcopum, & Martyrem ad epiſcopalem Cathedram aſſumptum dum eſſet Canonicus Sęcularis, habitum induiſſe

Digitized by Google

duxiſſe Monaſticum, ea de cauſa, *quòd experimentis multis declaratum fuiſſet eos, qui non Monachi Cathedram illam aſcendiſſent, à Deo malè mulctatos fuiſſe*.

334 Quæres ſecundò. Eiectus ſi fieret Epiſcopus, Vtrum teneretur reaſſumere habitum, quo fuerat in ſua eiectione priuatus, nam ſi in ſua eiectione habitu priuatus non fuiſſet, teneretur illum perpetuò geſtare, vt rectè aduertit Bonacc. *de clauſ. q. 2. pun.* 12. §. 5. *num.* 2.

Dico illum eiectum non debere, nec poſſe ipſo facto reaſſumere habitum ſuæ Religionis, ſi Epiſcopus fieret, fuerat enim illo perpetuo priuatus, nullum autem eſſet inconueniens Epiſcopum Regularem eiectum incedere ſine habitu, nam habitus nõ eſt annexus neceſſariò obſeruantijs regularibus, vt ait Sanchez *Dec. cap. 9. nu.* 55. & multo minus Votis ſubſtantialibus, ad quorum obſeruantiam eiectus tenetur, vt ex ſupradictis patet: Nec dici deberet eiectum factum Epiſcopum habendum eſſe tamquã reſtitutum ad habitum, nam cum fieri Epiſcopum, & ad habitum reſtitui ſint duæ gratiæ, quarum vna in altera non clauditur, indigent duplici conceſſione; benè enim *vna* ſine altera ſtare poteſt. In caſu verò, quo ſupprimeretur aliqua Religio, ſæculariʒatis omnibus illius Religioſis, vtrum poſſet Epiſcopus aſſumptus ex illa Religione dum conſiſtebat, mutare habitum dictæ Religionis proprium, & ſæcularem aſſumere, iudicabunt viri docti, quorum hoc noſtrum ſæculum ſingulari Dei beneficio eſt feraciſſimum; Dicam ego quod ſentio, probabile mihi videtur dictum Epiſcopum poſſe ſæcularem habitum aſſumere Regulari dimiſſo, quia remoto ſignato, ſignum eſt otioſum, & Pontifex, dum habitum Religionis illius amouet ab Eccleſia, præſumendum eſt velle eundem habitum à quocunque ſubiecto amouere, etiam ſi tale ſubiectum eſſet Epiſcopus; nam aliàs eius ſuppreſſio non eſſet totalis, & perfecta, ſed quia dubium eſt nouũ, & à nemine mihi noto Authore vſque modo reſolutum, quæ dixi Sanctæ Romanæ *Eccleſiæ* iudicio, quod infallibile eſt, ſubmitto.

335 Sed modo quæro, Vtrum teneatur Epiſcopus Regularis deferre habitum ſuæ religionis proprium, & ſpeciale, Clericis profeſſis deſignatum, vel ſufficiat, quod incedat in aliquo habitu, in quo ſeruetur ratio habitus religioſi in communi: Videtur hoc vltimum ſufficere, nam habitus non eſt magis annexus ſtatui huius Religionis, quam ſint annexæ obſeruantiæ regulares primi gene-

Digitized by Google

generis, ſed ad has obſeruantias, vt ſupra dictum eſt, non tenetur Epiſcopus Regularis, ſecundum quòd eſt talis Religionis in ſpecie, ſed tantum in communi; Ergo etiam tenebitur ad habitum religioſum ſub eadem communitate. Probatur Minor, nam, vt dixi ſupra, ad Paupertatem, & Continentiam, quæ ſunt obſeruantię primi generis, tenētur omnes Epiſcopi Religioſi, ſed Franciſcanus, v. gr. non tenetur ad Paupertatem iuxta ſeueros terminos, quos illi ſua Religio præſcribit, ſed tenetur ad Paupertatem ſub quadam ratione generali non habendi proprium, veluti ad eandem Paupertatē tenetur Dominicanus Epiſcopus, & quilibet alius ex quouis Ordine Regulari ſit aſſumptus; Vnde erit Franciſcanus Epiſcopus Religioſus pauper, quamuis non vt pauper Franciſcanus; Ergo ſimiliter non tenebitur Franciſcanus Epiſcopus ad geſtandum habitum coloris cinericei, quem illius Religionis Fratres geſtant; ſed alicuius coloris, qui quoquo modo ſit religioſus, & illum eſſe Religioſum deſignet, licet non deſignet illum eſſe Franciſcanum.

Oppoſitum tamen tenendum omnino eſt, nam conſuetudo Eccleſię, iuxta quam omnes Epiſcopi Regulares ſeruant habitum ſuę Religionis, id euidenter conuincit, & hęc conſuetudo eſt clariſſima ſupradictorum Iurium interpręcatio, qua probatur illa iura ſtatuere voluiſſe Regulares Epiſcopos ferre debere habitum regularem, ne dum generaliter acceptum, ſed etiam in ſpecie, in ſignum huius profeſſionis, quam in priori vita conſectabantur; & quod dico de habitu, dico etiam de tonſura; Vnde Monachus factus Epiſcopus debet in capite geſtare ſilamen, ſeu coronam linearem iuxta Monachalem conſuetudinem, & ſic de cęteris: Pileus, nedum Pontificalis, verùm etiam quotidianus, ſeu vſualis eſſe debet apud omnes Regulares Epiſcopos nigri coloris, cum chordula viridi, dimiſſo colore albo, cinericeo, ſeu alio quocunque, ſi eorum Religio in Pileo vſuali aliquem ex præfatis coloribus à nigro diuerſis retineret. In Italia omnibus Epiſcopis Regularibus imponitur, quod barbam nutriant, ea tamen forma, & modeſtia, quæ ipſos deceat, ſed in Hiſpania vſum iſtum ad Epiſcopos Regulares adhuc non perueniſſe audio.

Confirmatur præterea, quod dicebam de obligatione, quam habent Epiſcopi Regulares incedendi in habitu ſpecifico ſuę Religionis, ex S. Thoma, qui vbi ſupra dixit Epiſcopum Regularem deferre debere habitum ſuæ Religionis, & dicendo ſuæ, illam

Digitized by Google

generalitatem excluſit, & ſpecialitatem aſſeruit, quod iterum confirmari poteſt ex *gloſ. in illo cap. Deus qui*, vbi exprimitur colorem eſſe de ſubſtantia habitus, hoc eſt, ſignum ſubſtantialium Votorum, quæ in hac Religione emittuntur; Ergo Religioſus factus Epiſcopus, cum teneatur ad ſeruandum in habitu ſignum ſubſtantialium votorum, tenetur etiam ad geſtandum habitum, qui ſit huius Religionis, in qua talia vota emiſit, indicatiuum.

Nec valet dicere colorem eſſe de ſtatuto regulæ, ſicut abſtinentia carnium eſt de ſtatuto regulę Carthuſianorum; ſicut ergo Epiſcopus eſt ſolutus à regula, eſt etiam ſolutus à colore habitus, ſicut eſt ſolutus Epiſcopus Carthuſianus ab obligatione abſtinendi à carnibus.

Nam color habitus in ordine ad Epiſcopum Regularem non eſt de ſtatuto regulæ, ſed de Eccleſiæ præcepto, quo Eccleſia voluit talem colorem eſſe perpetuò annexum habitui huius Regularis in ſignum prioris profeſſionis factæ in hac Religione, per quam ſubſtantialia vota emiſerat, Vnde ſicut per Epiſcopatum non remanet abſolutus à ſubſtantialibus Votis in Religione approbata emiſſis, ita non manet abſolutus ab habitu, qui huius Religionis eſt ſignum; idque magis patet ex eo, quod Religioſus, etiamſi Epiſcopus, remanet Religioſus huius Religionis in ſpecie; Ergo tenetur ferre habitum huius Religionis in ſpecie; Conſequentia patet, probatur Antecedens *primò*, quia quedam congruentia, & honeſtas inducit talem Epiſcopum ad eligendas obſeruantias tertij generis, quas regula ſuæ Religionis in ſpecie præſcribit, vt ſupra dictum eſt; Ergo remanet huius Religionis in ſpecie Religioſus. Probatur *ſecundò* idem Antecedens, nam ſi Papa illum Epiſcopum priuaret munere Epiſcopali, vel exemptione dicto muneri annexa, & ita eum reducere vellet ad Monaſterium, vt fieri poſſe ex vi voti obedientiæ ſupra dixi, tunc vt iam probaui, ille Epiſcopus fieret ſubditus huius Religionis potius, quàm alterius, & ad hanc Religionem in ſpecie ex vi eiuſdem Voti reduci poſſet, & non ad aliam; Ergo quamuis actu ſubiectus non ſit legibus, & Prælatis huius Religionis in ſpecie, remanet tamen quaſi habitualiter illis ſubiectus, quod ſufficit vt dici poſſit Religioſus huius Religionis in ſpecie. Quapropter ſi Epiſcopus ex Ordine Mendicantium eligeretur in diſcordia ad Epiſcopatum, electio eſſet irrita ex *cap. Quorundam, de elect. in 6.* vt dixi ſupra *num. 72.* quia inquit gloſ. verbo, *Prædicatores, licet ſit Epiſcopus, nihilominus eſt ex Ordine Mendicantium.*

Idem

Digitized by Google

336 Idem tandem conuincit grauiſſimorum virorum exemplum, qui ad Epiſcopatus, & Cardinalatus dignitates aſſumpti nunquam habitum ſuæ Religionis mutauerunt. S. Auguſt. apparuit Alexandro PP. IV. indutus Pontificalibus, ideſt Pluuiali, & Mitra, ſubtus portabat Cucullum nigram præcinctam cingulo coriaceo, & ſuper Caputium Monachi: ita refert ſe legiſſe in Archiuio Auguſtiniano Romæ Thomas de Errera *in Apolog. Pacif. reſp. 4. §. 3.* S. Fulgentius Auguſtinianus Epiſcopus pelliceo cingulo tanquam Monachus vtebatur; ita dicitur in eius vita apud Surium. Hæc habitus regularis in ſtatu epiſcopali accurata geſtatio legitur de omnibus probus Epiſcopis Regularibus, qui vſque ad hæc noſtra tempora in Eccleſia præfulſerunt. De Cardinale Ioanne de Turrecremata Ordinis Prædicatorum hæc ſcribit Ciacconus *in vita Eugenij Quarti. Cardinalis factus, nec togam mutauit; licet mutauerit gradum, vt plerique leuiſſimi viri faciunt, qui ad aliquod dignitatis faſtigium euecti, toga ſuæ Religionis veſtiri verecundantur: vtebatur lanea ad carnes ſubucula, tunica, cucullo, & pallio prout conſueuerat, nec eum ab alio Fratre in veſtimentorum cultu licet Card. diſcreuiſſes.* De Card. de Vio itidem Ordinis Prædicatorum in Addit. Vghelli ad opus Ciacconianum, in vita Leonis X. hæc leguntur; *Veſtes Religioſi instituti nunquam reiecit.* S. Thomas de Villanoua in Archiepiſcopatu non mutauit conſuetum ſuæ Religionis habitum, ne dum in colore, ſed nec quidem in vilitate, & forma, vt refertur in eius vita *lib. 2. cap. 2.* Vt verò manifeſtum fiat quales fuerint proprij regularis habitus detentores acerrimi viri laudatiſſimi, adducam, quod narrat Catena *vbi ſupra num. 93.* videlicet Pium Quartum cogitaſſe dare purpuram Cardinalibus Regularibus, ſed Cardinalem Alexandrinum Ordinis Prædicatorum, qui poſtea fuit Pius Quintus, humiliter reclamaſſe, inſtanterque petijſſe, vt non cogeretur habitum ſuum cum purpura commutare; Cardinalis etiam Aſculanus eiuſdem Ordinis à Sixto Quinto creatus, vt retulerunt mihi quidam Patres ſeniores, cum coram Gregorio XIV ageretur de danda Cardinalibus Regularibus purpura, dixit eidem Sum. Pont. SS. P. adoleſcens indui habitum Ordinis Prædicatorum, & vſque ad ſenectam illum geſtaui, ſi deponere debeo meæ Religionis habitum, rogo à S. V. admitti meam Cardinalatus ceſſionem, vt liceat mihi in habitu mei Ordinis mori.

337 Ex hucuſque traditis rationibus, & exemplis patet euidenter falſum eſſe, quod aliqui dicunt, ideo S. Thomam docuiſſe Epi-

Digitized by Google

ſcopos Regulares arctari ad ferendum habitum Religionis ſuæ, quia eius temporibus Epiſcopi Sæculares non habebant certum habitum, ſed ſi modo viueret, dixiſſet oppoſitum; cum omnes Epiſcopi nunc certum habitum habeant. Ita Mag. Thomas Gratianus in diſcurſu ad Card. Alexandrinum *de dando Birreto rubro Cardinalibus Religioſis*; nam S. Thomas ex alio motiuo illam obligationem aſtruit, ſcilicet, ex eo, quòd habitus eſt ſignum religioſæ profeſſionis; ſicut ergo profeſſio ſubſtantialiùm per Epiſcopatum nunquam mutatur; ita nec eius ſignum mutari debet, cuius euidens argumentum eſt, quòd iam aſſignato à multis annis certo habitu Epiſcopis Sæcularibus, nunquam Religioſi ſuum habitum mutauerunt, & cum de tali mutatione ageretur, potius cedere dignitati viri religioſiſſimi, & doctiſſimi elegiſſent, quàm habitus mutationi aſſentiri, vt ſupra dictu eſt. Patet ergo nunquam ceſſare cauſam, qua prohibiti ſunt Monachi mutare habitum ſuæ Religionis, cum nunquam ceſſauerit effectus.

338 Tandem inquirendum eſt, an liceat Epiſcopo Regulari habitum ferre ſub veſtibus Epiſcopis Sæcularibus communibus, & ita ſatisfacere Eccleſiaſtico præcepto non mutandi habitum Monachalem.

Non defuere qui dixerint ſatisfacere, & id probare conatus eſt ille Greg. ſupradictus in reſponſione tertia *de dando Birreto rubro Card. Relig. num.* 2. pluribus adductis Gloſis, & Doctorum authoritatibus, adducit *primò gloſ. cap. In noua*, vbi ita dicitur, *Monachus factus Canonicus, vel Epiſcopus non abijciat habitum, ſed retento habitu, deſuper ferat habitum, in quo magis conueniat cum eis, inter quos eſt, vt extra, de vita, & honeſtate Clericorum, c. Deus qui*, deinde dicit ita ſenſiſſe Io. Monachum *in cap. vt periculoſa, in addit. ſub num.* 5. *de Clericis, & Monachis*, Laurentium Calcan. *conſil.* 123. *ſub num.* 4. *&* 5. & Io. Anan. *ſuper Decret. cap. Conſultationi, num.* 4. *verſic. Si autem, de Apoſt. & Baptiſm. reiter.*

Oppoſitum omnino tenendum eſt, ac dicendum Epiſcopum Regularem, ſi non obſtet rationabilis cauſa, vel conſuetudo, aut neceſſitas declinandi ſcandalum, vt dixit etiam Suarez *vbi ſup. num.* 12. teneri ad ferendum habitum ſuum, palam, & apertè hoc enim euidenter conuincit Eccleſiæ præceptum conſuetudine immemorabili confirmatum, & ita ſemper in praxi obſeruatum

339 fuiſſe deducitur *ex gloſ. in Clem.* 2. *de vit. & honeſt. Cler.* verbo *ex-*

trin-

trinſeci, vbi Monachus, qui cooperit habitum ſuum habitu Clericorum Sęcularium, declaratur Apoſtata; inſinuatur ergo apertè, eum, qui portat habitum occultum, non ſatisfacere oneri habitum portandi, cum habeatur ac ſi habitum dimiſiſſet, vt enim dixit Caiet. mox adducendus, retineret iſte habitum materialiter, dimitteret tamen formaliter, & bene Nauar. *de Regul. conſil. lib.3. cap.14. num.4* idem deducit ex ſigno, fere enim, inquit, tam difficile eſt diſpenſare, vt Monachus deferat ſubtus Veſtem habitum, ac diſpenſare, vt non deferat; ergo cum Epiſcopus Regularis non ſit diſpenſatus in hoc, quòd habitum non deferat, nec eſt diſpenſatus in hoc, quòd habitum deferat ſubtus veſtem ſęcularem.

240 Notandum ex Caiet. *in Sum.* verbo *Excommunicatio* 61. quod tamen ipſe de omnibus Religioſis dicit, ego mutatis mutandis Epiſcopis Regularibus applicabo, occultationem habitus poſſe fieri dupliciter, vel totaliter non habendo habitum, vel non habendo in ſuperioribus; ſi totaliter non habeatur, nulla eſt ambiguitas, quòd id non liceat, ſi verò abſconditus portetur habitus, conſideranda eſt qualitas occultationis, & diſtinguendum inter habitum ſic occultatum, vt reputetur communiter à conuerſantibus cum eo, qui eum aliter non nouerint, non Religioſus Epiſcopus, & ſic licet non dimitteret materialiter, dimitteret tamen formaliter ſuæ Religionis habitum, quia dimittit ipſum vt habitum, quo diſcerni poſſit, & cognoſci vt Epiſcopus Religioſus talis Religionis. Et habitum ſic occultatum, vt tamen à conuerſantibus cum eo, quamuis non ab omnibus prætereuntibus, videatur quod Religioſus eſt talis Religionis, & ſic nec materialiter, nec formaliter ſuæ Religionis habitum dimittit ex toto, quamuis ſecundum quid aliqualiter dimittere dici poſſit. Ex hac Caietani doctrina colligitur euidenter eccleſiaſtico præcepto Epiſcopos Regulares non cogi ad ferendum exterius omnia ſuæ Religionis indicia; vnde non eſſe cogendos puto Epiſcopos Religioſos ſuper alias veſtes Scapulare geſtantes, ad hoc indumentum numquam dimittendum, ſicut nec Auguſtinianū, & Franciſcanum Epiſcopos arctandos eſſe ad ſemper incedendum Zona pellicea, vel fune præcinctos, cum etiamſi ſupradicti Epiſcopi Religioſi eſſent ſine ſcapulari, ſine zona, & ſine fune, conuerſantibus cum eis quando ſunt Epiſcopi, innoteſceret hūc eſſe Epiſcopum Dominicanum &c. hunc Auguſtinianum, & hūc eſſe Franciſcanum. Hoc maxime verificatur eo tempore, quo Epi-

Epiſcopi Regulares iter agunt, ſeu dum in habitu breuiori in publicum procedunt, tunc enim non videtur eos obligandos eſſe ad geſtandum habitum totum, ſed bene poterunt illum in aliqua parte omittere, vel occultare, vt colligitur ex *c. Epiſcopi 21. quæſt. 4* vbi prçſcriptis Epiſcopo veſtibus, quas geſtare debet, excipitur ab earum geſtatione caſus, quo in itinere ambularet, id etiam conſuetudo iam obtinuit, cum modo Religioſi Epiſcopi, ex Religionibus prçcipuè, quæ habent habitum duplicis coloris, calorem, vel quem in Mantello, & Cappa ſeruat eorum Religio, vel magis obſcurum, veluti decentiorem ſeruent in veſte breui extrinſeca, nullo alio indumento adiuncto coloris alterius; Vnde Epiſcopus Dominicanus, dum incedit in habitu breui, colorem album occultare ſolet retento nigro, quo veſtis alba contegitur, & Carmelita griſeum aſſumit albo dimiſſo, grauarentur enim nimis Epiſcopi Dominicani, Carmelitç &c. ſi deberent etiam habitum breuem duplicare ad vtrumque colorem retinendum, vt patet, quod grauamen ſupponere debemus nunquā Eccleſiam dictis Epiſcopis imponere voluiſſe, ſicut nec Epiſcopis Sçcularibus, quibus publicè incedentibus lineum indumentum præſcripſit, impoſuit, vt quotieſcunque in publicum exirent, illud ſuperinduerent, vnde frequenter ab eis licitè omittitur, vt ex vſu legis interpræte ſatis conſtat, ſed quia ſemper remanet in Epiſcopo Regulari obligatio ferendi habitum ſuç Religionis ſpecificum, conſequenter ſemper etiam retinere debet aliquod ſignum extrinſecum, in quo omnino conſeruetur ſuæ ſpecificæ Religionis habitus formaliter, & nonniſi in caſibus ſupra expreſſis omittere poterit ſine culpa præfatum ſignum, in quo ſpecificæ Religionis ſuæ profeſſio reluceat.

341 Etiam in collari aliquod ſignum huius religioſç profeſſionis elucere dedet; Vnde erit ex materia lanea in Epiſcopo Monacho, vel alio Regulari, cuius regula vſum ſubuculç laneæ imponit, hoc laneum Collare, quod in alijs eſſe ſolet album, in Epiſcopis Franciſcanis, maximè Reformatis, vel Capuccinis decet eſſe coloris cinericei, quod & conſuetudo apud ipſos iam obtinuit.

Nunc facile eſt reſpondere ad Gloſ. ſuperius adductam in contrarium, ipſa enim, vt patet, duo dicit, primum, quòd Monachus factus Epiſcopus retineat habitum, ſecundum, quod deſuper ferat habitum, in quo magis conueniat cum eis, inter quos eſt, illud primum intelligendum eſt de retentione habitus publica,

Digitized by Google

ca, ſi verò ſit iſte habitus diſpar in colore ab his, inter quos eſt, *debet dimitti*, inquit *Gloſ. ibidem*, hoc eſt, ſi extaret aliqua rationabilis cauſa, vel conſuetudo, vel neceſſitas euitandi ſcandalum, quę cogerent talem Epiſcopum ad exteriorem habitum mutandum, *adhuc Epiſcopus habitum non abyciat*, vt eadem *Gloſ.* ſubiungit, ſed illo retento, ne ſcandalum fiat, ſuperferat habitum magis conuenientem &c. Vnde patet gloſ. prædictam his, quę ſupra dixi, minime contradixiſſe.

§. VI.

De Priuilegijs, & Pœnis Epiſcopi Regularis.

SVMMARIVM.

Priuilegia Epiſcopi Regularis. 342. 343.
Epiſcopus Regularis poteſt tenere in Baptiſmo. 344.
Non ſit habilis ad Epiſcopatum, ſi ſit irregularis, irregularitate amota per profeſſionem religioſam, vel per Regularium Prælatorum diſpenſationem. ibid.
Pœna Epiſcopi Regularis. 345.
Hic non poteſt conſentire in electionem ad Epiſcopatum Titularem. 346.
An peccet non obſeruando Regulam. 348.
Diſcrimen inter Principem, & Epiſcopum Regularem. 349.
Epiſcopus Regularis non coercetur pœnis regulæ, ſed Canonis. 350.
Si deſerat habitum Religioſum, ſeu aſſumat veſtem lineam, quas pœnas incurrat. 351.
Timere debet excommunicationem Canonis. 352.

342 DVm de Priuilegijs Epiſcopi Regularis diſſero, loquor etiã de Priuilegijs, quibus per cõmunicationem cum alijs Religionibus Religioſi fruuntur, loquor etiã de Regulari Epiſcopo Titulari, ſeu qui renunciauit Epiſcopatum, nam nulla poteſt eſſe inter iſtos, & qui officium Pontificale tenent, diuerſitas in gaudendo, vel non gaudendo priuilegijs ſuę Religionis: Regulares Epiſcopos non gaudere dictis priuilegijs dixit Laurent. de Franc. *vbi ſup. num.* 116. & Sanchez *Decal. lib.* 6. *c.* 6. *num.* 33. cum alijs, quos adducit: ſed Suarez *tomo* 4. *de Rel. tract.* 8. *cap.* 18. reſpon-

ſpondit huic quæſito hac adhibita diſtinctione; nam inquit, Gratię, & Priuilegia vel concernunt corpus Religionis, vt ſic, & fauorem eius quoad iuriſdictionem, adminiſtrationem temporalium bonorum, & alia huiuſmodi, aut reſpiciunt ſingulas perſonas. Prioribus Priuilegijs dictos Epiſcopos non gaudere, nec illis vti poſſe reſoluit Suarez, idque probat, quia talia Priuilegia nõ fundantur in ſolo ſtatu religioſo perſonali, ſed in vinculo, & coniunctione ad hoc corpus, cui per ſe primo conceduntur, & ad illius vſum, & commodum ordinantur; Cum ergo Regularis factus Epiſcopus ſit abſolutus à vinculo, & coniunctione ad corpus Religionis, ſequitur dicta Priuilegia ad eius vſum, & commodum conceſſa non fuiſſe, cum ad eius vſum, & commodum non ordinentur; Poſterioribus verò Priuilegijs concedit Epiſcopum Regularem gaudere, ijſque vti poſſe, ſi hoc non ſit Religioni, cui conceduntur, oneroſum: Vnde non gaudebit voce actiua, vel paſſiua, non regularibus Prælaturis, non reſidentia in Monaſterio, nec retentione Camerarum &c. iuxta Decretum S. Greg. PP. *Epiſt.* 18. *lib.* 7. vbi ſic dicit, *quiſquis autem ex prædicto Monaſterio ad Eccleſiaſticum Ordinem peruenerit, vlterius illic, nec poteſtatem, nec licentiam habeat habitandi*. Nam iſtæ gratiæ cum ſint Religioni oneroſæ, cenſentur conceſſæ in fauorem Religionis, veluti ſupradictę; ſed quæ non ſunt oneroſæ Religioni, & in commodum Animæ, vel Corporis particularium Religioſorum conceduntur, non ceſſant in Epiſcopo Regulari, ſicut enim non ceſſant huius ſpecificæ Religionis obſeruantiæ, quæ cum munere Epiſcopali non pugnant, ità nec gratiæ, quæ Religioni grauamen non inducunt, huiuſmodi ſunt, indulgentiæ, participatio omnium bonorum, & ſuffragiorum, quæ in illa Religione fiunt, ac ſimilia, quibus in commodum animæ omnes particulares Religioſi fruuntur. Forte nec etiam ceſſant Priuilegia de vſu Altaris portatilis, loquendo de Epiſcopo non conſecrato, quem non gaudere hac facultate conceſſa Epiſcopis, *cap. fin. de Priuil. in* 6. quidam opinantur; ſed oppoſitum tenet Diana *par.* 12. *Reſ.* 100. cum Tancredo *in qq. moral. tract.* 2. *quæſt* 48. Item de celebrando Miſſam immediatè poſt mediam noctem, de audiendis Confeſſionibus in aliena Diœceſi abſque Ordinarij facultate, de abſoluendo ab aliquibus caſibus, vel diſpenſando ſuper quibuſdam Votis &c. ſi hęc eſſent Religioni Epiſcopi illius conceſſa, & cæteris Epiſcopis intra, vel extra Diœceſim commorantibus non permiſſa, Vnde Ieſuita Epiſcopus, non Doctor Canonum,

num, neque Magiſter Theologię poſſet extra Diœceſim aperire Breuia Pœnitentiariæ D. Papę; hoc enim Priuilegium conceſſum eſt Ieſuitis *à Gregorio XIII. in Bulla data Tuſculi an. 1582.* quòd non poſſet alius Epiſcopus Regularis Religionis non communicantis cum Ieſuitarum priuilegijs, ſi non eſſet Magiſter Theologiæ, vel Doctor Canonum; Prętereà ſi Ieſuita euaderet Epiſcopus antequam eſſet ordinatus Subdiaconus, poſſet abſque alia diſpenſatione Apoſtolica ordinari ad ſacros Ordines in tribus diebus feſtiuis, prout idem Gregorius Ieſuitis indulſit *ibidem*. Iſta enim Priuilegia conceduntur ſingulis perſonis Societatis IESV: Tandem ſi alicui Religioni eſſet conceſſum ab Apoſtolica Sede, vt Prelati ipſius poſſent dare ſubditis licentiam legendi libros prohibitos, ſeu committere poſſe ſuis Religioſis adminiſtrationem Sacramenti Chriſmatis cum oleo benedicto ab Epiſcopo, poſſet Epiſcopus illius Religionis tantum confirmatus, cum reſpectu ſui Prelatus cenſeatur, vt ſupra dictum eſt, legere libros prohibitos, & Chriſmatis Sacramentum adminiſtrare, ſicque de cęteris, nam hęc Priuilegia ſunt ſingulis perſonis illius Religionis conceſſa, & fundantur in ſolo ſtatu religioſo eiuſdem Religionis in ſpecie, nec ordinãtur ad vſum totius Religionis; Vnde iſtis Priuilegijs Epiſcopus Regularis vti poſſet abſolutè, cum ex hoc nullum Religioni grauamen inferatur, neque à Capitulis Generalibus, ſeu à quibuſcumque Superioribus ſuę Religionis dicto iure ſub quocumque prętextu priuari poſſet. Hinc patet attendendas non eſſe quaſdam particularium Religionum Conſtitutiones, quibus in aliquibus caſibus priuant Epiſcopos ex ſuis Religionibus aſſumptos ſuffragijs, quę à Religioſis pręſtantur, in vita, & in morte, vt patet in Conſtitutionibus Ord. Pręd. *diſt. 2. cap. 13. V. & VI.* Epiſcopi enim Regulares remanent illius Religionis ſpecifici Religioſi, & conſequenter, ſi non membra ciuilia, vt ita dixerim, quia ciuilem vitam cum aliis Religioſis non ducunt, tamen ſemper permaneant illius Religionis ſpiritualia, & integralia, non deciſa membra; quapropter per Prelatos Regulares à Religionis ſpirituali corpore pręſcindi nõ poſſunt, & ideo de Iure, vt ſingulares perſonæ, ac ſpiritualia Religionis membra, hiſce ſuffragijs non ſecus ac cęteri illius Religionis homines ſunt participes, ſicut ergo dicti Prælati non poſſunt prędictis ſuffragijs priuare ſingulares Religioſos, nec poſſunt Epiſcopos ex eorum Religionibus aſſumptos, inde ſequitur dictam priuationem cenſendam eſſe comminatoriam, non rea-

 lem,

Digitized by Google

lem, quam ego puto ita interpretandam; Epiſcopus Regularis priuari mereretur ſuæ Religionis ſuffragijs, qui illius ſtatuta, quę pontificali officio non repugnant, negligeret obſeruare, ſi autem adeſſet conceſſa facultas Apoſtolica alicuius Religionis Prælatis in aliquo caſu priuandi Religioſos talibus priuilegijs, vel ſuffragijs, intelligenda eſſet hæc facultas conceſſa in ordine ad Religionis ſubditos, inter quos Religioſus Epiſcopus factus non poſſet connumerari, vt dictum eſt, & ideo à ſolo Papa, quem ſolum habet ſuperiorem, poſſet Epiſcopus Regularis dictis priuilegijs, & ſuffragijs ſpoliari, niſi adeſſet in facultate expreſſa conditio, quod etiamſi Religioſus ſit Epiſcopus, non poſſet frui eiſdem ſuffragijs, & priuilegijs, niſi de conſenſu Prælati Regularis; Loquendo de priuilegijs, quæ inferunt Religioni grauamen, adeſt explicatio Sixti IV. adducta à Suarez *vbi ſup.* in qua Sixtus concedit Regulari Epiſcopo, vt etiam priuilegijs, quæ Religioni ſunt onerosa, frui poſſit de conſenſu Prælati, quem tamen conſenſum dare non poſſunt Prælati Ord. Prædic. vt pluries in Capitulis Generalibus ſancitum eſt, quorum deciſiones affert Fontana *vbi ſup.* verbo, *Epiſcopus*.

344 Dubitant aliqui, an per epiſcopalem Ordinationem intelligatur indultum Epiſcopis Regularibus, maximè ex ordinibus Monachalibus aſſumptis, quòd poſſint eſſe Compatres in Baptiſmo tenendo, tum Monachis prohibeatur, ne tenendo faciant ſibi Commatres, *cap. Peruenit* 18. *quæſt.* 2. *cap. non licet, & cap. Monachi, de Conſec. diſt.* 4. vbi nota, quod quamuis etiam in baptizando fiant Commatres, vt dicitur 30. *quæſt.* 1. *cap. Omnibus*, Tamen hoc non obſtante, Monachis conceditur baptizare 16. *qu.* 1. *cap. Doctos, & cap. ex authoritate*, ſed prohibetur eis tenere baptizandos; diſparitatem dedit *gloſ. in ſupradict. cap. Peruenit*, *quia*, inquit, *in tenendo maior contrahitur familiaritas, quàm in baptizando*. Imola *in Clem.* 1. *num.* 21. *de ſtatu Monachor.* dixit Epiſcopos Monachos poſſe ſimiliter baptizare, ſed non tenere, quia in eis ſupradicta prohibitio non ceſſat: contrarium tenet *gloſ. in cap. vn.* 18. *quæſt.* 1. verbo, *Abſoluit*, vbi adducit exemplum S. Gregorij Magni, qui, cum eſſet Monachus, & Cardinalis Diaconus, Compater Mauritij Imp. factus eſt, hanc gloſſam ſequuntur inſignes Canoniſtæ, quos adducunt, & ſequuntur Sanchez *lib.* 6. *Decal. cap.* 6. *num.* 24. *&* 34. & Diana *part.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 67. ratio cur ceſſet in Epiſcopis Regularibus illa prohibitio, hæc adduci ſolet; nam in Epiſcopis Regularibus non ſupponitur illius familiaritatis.

Digitized by Google

tis nimiæ periculum, & inde incontinentia, ad quod periculum euitandum Canones prohibent Monachis ne tenendo faciant ſibi Commatres. Ex dictis colligo, dum prohibetur in Iure, vel alio Decreto etiam Apoſtolico aliqua actio Regularibus, non cenſeri hanc actionem Epiſcopo Regulari fuiſſe prohibitam, v. g. prohibetur Regularibus Decreto Sac. Congregat. 1590. ne cum Monialibus colloquantur, niſi cum conſanguineis, & quater in anno de licentia Ordinarij, &c. prout eadem Sac. Congreg. de mandato Vrbani VIII. 1623. ſupradictum Decretum mitigauit, hoc non obſtante, Epiſcopus Regularis extra ſuã Diœceſim cum Monialibus loqui poterit, illis circumſtantijs minimè obſeruatis, ſed eodem prorſus modo ac ſi eſſet Epiſcopus Sæcularis, idem dicam infra de aſſiſtentia prohibita Regularibus in Hiſpania, dum agitantur Tauri, omnes enim prohibitiones huiuſmodi concernunt Regularem ſub obedientia conſtitutum, & regulis aſtrictum, non verò Epiſcopum ab his abſolutum.

Dubitari etiam poteſt, an Regularis, in quo per ingreſſum Religionis Voto firmatum, vel per diſpenſationem à Prælatis Regularibus obtentam, irregularitates ceſſauere, quæ illum arcebant à Prælaturis, ſicut redditur habilis ad Prælaturas ſuę Religionis, reddatur habilis etiam ad Epiſcopatum, itaut ſi fiat Epiſcopus, non indigeat ſuper irregularitatibus impedientibus hũc dignitatis aſcenſum iterum diſpenſari; ſuppono communiorem eſſe inter Theologos, & Canoniſtas ſententiam, per ingreſſum Religionis voto firmatum non diſpenſari cum Regulari in omnibus irregularitatibus, ſed tantum in illis, quæ in Iure per talem ingreſſum diſpenſatæ exprimuntur, & ad illum ſolum effectum, quem Iura declarant, hæc verò ſola eſt irregularitas, quæ prouenit ex defectu Natalium, vt patet *ex cap. 1. diſt. 56. & c. 1. extra tit. de filijs Presbyterorum*, quæ diſpenſatio limitanda eſt ad effectum tantum Ordines ſuſcipiendi, non verò ad conſequendas Prælaturas etiam intra Religionem, vt ex dictis Iuribus conſtat, ad quas tamen Prælaturas Religioſi habilitari poſſunt à ſuis Superioribus Regularibus virtute priuilegiorum Apoſtolicorum, quæ priuilegia innouauit Gregorius XIV. in Bulla, quæ incipit *Circumſpecta, noui Bullarij, tertia*, eamque rectè expendit Diana *par. 10. reſ. . . num. 9.* Proſequuntur hanc difficultatem authores, quos citat Barboſa *in Collect. dicto cap. 1. tit. de filijs Præsbyterorum*, & Achugna *diſt. 56. cap. 1.* Sed indubitata res eſt, Regularem illegitimum per religioſam profeſſionem non habilitari

Ff 2 ad

ad dignitates extra Religionem, nec habilitari poſſe à ſuis Prælatis Regularibus ad illas conſequendas; Vnde nedum Epiſcopus, ſed nec Parochus, nec Vicarius Epiſcopi eſſe poſſit illegitimus Regularis, niſi ſuper dicta irregularitate fuerit ſpecificè à ſolo Sum. Pontifice ad ſupradicta conſequenda diſpenſatus: Ita cum communi Azor. *Inſtit. mor. par. 1. lib. 12. cap. 5. quæſt. 12.* Sanchez *Decal. lib. 5. cap. 5. num. 16.* cum alijs, quos citat, & ſequitur Barboſa *in Collect. vbi ſup.* & Achugna *etiam vbi ſup.*

Quæ dicta ſufficiant de Priuilegijs Epiſcoporum Regularium, quibus vltra communia omnibus Epiſcopis, gaudent vt Regulares: modo inquiram de Pœnis, quibus ſubiacent ijdem Epiſcopi, vt Regulares ſunt, nam agere de Pœnis, quibus ſubiacent etiam vt ſunt Epiſcopi, eſt præter noſtrum inſtitutum. De Pœnis omnibus Epiſcopis communibus conſulendi ſunt viri doctiſſimi eruditis ſatis noti, qui tam de Priuilegijs, quam de Pœnis Epiſcoporum omnium in editis libris abſolutiſſimè tractauerunt.

345 Monachus Epiſcopus, ſi propter aliquod delictum à dignitate deponeretur, & in Monaſterium ad agendum pœnitentiam detruderetur, non poſſet iterum ad Eiſcopatum aſſumi, ita dicitur *cap. poſt translationem, extra de Renunc.* iuxta Concilij Conſtantinopolitani Decretum, quod exponunt Achugna *in cap. Bene. diſt. 61.* & Barboſa *de off. Epiſc. par. 1 cap. 3. num. 47.* Si Epiſcopus Regularis deponeretur ab Epiſcopatu ex propria culpa, & depoſitus degradaretur, teneretur redire ad Monaſterium, & in eo reuiuiſceret obligatio ad regulam in his, quæ eſſent obſeruāda ad Votorum cuſtodiam, & Monachalis ſtatus honeſtatem, ac ſi nunquam fuiſſet Epiſcopus; Nam per degradationem exuitur omnibus priuilegijs epiſcopalibus. Ita Sanchez *Decal. lib. 6. c. 6. num* 30. quod non eſſet dicendum de Epiſcopo ex propria culpa depoſito, ſed non degradato, vt probabo *cap. ſeq. §. 2.*

346 Si Regularis ſine Apoſtolica authoritate conſecraretur Epiſcopus ad Titulum alicuius Eccleſiæ carentis Clero, & Populo Chriſtiano, in pœnam non eximeretur à Iugo regulæ, nec ab obedientia Prælatorum, & inſuper eſſet inhabilis ad omnes honores, & gradus illius Religionis; Ita decernitur in *Clem. de elect. cap. In plerique*, & iterum dicam infra loco indicato.

347 De Suſpenſione, quam incurrit Epiſcopus ex Ordine Prædicatorum, vel Minorum aſſumptus, ſi libros ſuo Ordini ante conſecrationem non conſignauerit, dixi huius *cap. §. 2. artic. 3. punct. 2. num. 227.*

Quæ-

348 Quæritur à Doctoribus an Epiſcopus Regularis omittendo obſeruantias tertij generis, quas ſupra §. 3. explicaui, incurrat culpam aliquam ſaltem venialem. Dixi *ſaltem venialem*, nam ſupra loco citato *num.* 307. iam probatum eſt authoritate plurium Doctorum, ipſum non teneri ad regulares obſeruantias vi legali, ſeu coactiua, & conſequenter conuincitur, citra contemptum, non peccare mortaliter eas omittendo, etiamſi in regula eſſet ſtatutum, omittentes peccare mortaliter, prout ſtatuitur in Ordine Minorum de frangentibus ieiunium ſextę feriæ, &c. nam cum Epiſcopus non ſit amplius membrum huius Communitatis religioſæ, conſequenter eiuſdem Communitatis legibus, ſiue ſint regulæ, ſiue conſuetudines, ſiue conſtitutiones, non eſt amplius ſubiectus, & ideo pœnis earundem legum amplius non coercetur.

Reſtat ergo inquirendum An Epiſcopus Regularis, dum eaſdem obſeruantias omittit, peccet venialiter, & loquor de omiſſione illarum obſeruantiarum, quæ in regula præcipiuntur ſub aliqua culpa; nam quæ ſub pęnalibus tantum legibus decernuntur, vt in Ordine Præd. in quo leges non obligant ad culpam, certum eſt poſſe omitti ab Epiſcopo Ord. prædicti, & ſimilium ſine aliquo prorius ſcrupulo conſcientiam lædendi, dummodo abſit contemptus. Ita Sanchez *Decal. lib. 6. cap. 6. num.* 18. cum Valentia 22. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 8. non enim ex ſtatu epiſcopali induci poteſt pœna in regula ſimplicibus Religioſis non impoſita, cum potius ex illo ſtatu inducatur à iugo regulæ abſolutio.

Ratio dubitandi eſt, quia Regularis Epiſcopus tenetur ex debito morali ad obſeruantias tertij generis ſuæ Religionis; Ergo recta ratio dictat, vt illas obſeruantias, quæ ſub culpa in regula præcipiuntur, non omittat; nam includunt materiam grauem ad illam Religionem in ſpecie pertinentem, & ideo ſub mortali in regula præcipiuntur; ſed qui non ſequitur dictamen rectæ rationis, peccat ſaltem venialiter; Ergo Epiſcopus iſte, qui omittit illas obſeruantias ſuæ Religionis regulis ſub culpa præceptas, peccat ſaltem venialiter; quod verò recta ratio dictet talem Epiſcopum ſectari debere obſeruantias ſuæ Religionis in ſpecie, probatur, quia iſtæ obſeruantiæ ſpectant ad perfectionem ſtatus epiſcopalis, & fuere diſpoſitiones perueniendi ad huius ſtatus perfectionem, vt ſupra explicatum eſt; Ergo recta ratio dictat non eſſe in ſtatu Epiſcopali omittendas; ſicut ergo

Pri-

Digitized by Google

Princeps, qui debito morali tenetur ad obſeruandas leges Communitatis, peccat ſaltem venialiter ſi earum ſtatuta omittat, conſequenter peccabit etiam Epiſcopus Regularis, qui debito morali tenetur ad obſeruantias ſuæ Religionis, ſi illas omiſerit, ſicut enim Princeps aliquo modo ad Communitatem, cui leges ſunt impoſitæ, pertinet, ita, & Epiſcopus iſte aliquo modo pertinet ad hanc Religionem in ſpecie, vt ſupra ſæpius dictum eſt.

Confirmatur. Nam ſunt quædam obſeruantię, quę Monachis in ſacris Canonibus pręſcribuntur, vt vſus laneorum ad carnem, & abſtinentia ab eſu carnium, *cap. Carnem, diſt.4. de Conſec. & extra de ſtatu Monachorum, cap. Cum ad Monaſterium*; Ergo ſi Monachus Epiſcopus iſtas obſeruantias à ſacris Canonibus præſcriptas omiſerit, erit alicuius culpę reus, cum à Canonicis legibus non fuerit abſolutus.

Epiſcopum Regularem peccare ſaltem venialiter omittendo regulares obſeruantias ſenſiſſe videtur Caiet. & Soto *locis ſupra citatis*. Attamen non ita clarè locuti ſunt, vt pro contraria ſententia etiam adduci non poſſint, nam cum dixerint ſolum ex debito morali, & ex honeſtate teneri Epiſcopum Regularem ad illas obſeruantias, nihil de culpa in earum tranſgreſſione decreuere. Quapropter Sanctarellus *de Apoſtaſia cap. 6. dub. 3.* Sanchez *vbi ſupra num. 19.* & alij Doctores, cum dixiſſent talem Epiſcopum non teneri ad obſeruantias regulares ſub veniali, adducunt pro hac ſententia Soto *de inſt. lib. 10. quæſt. 5. artic. 7. verſ. circa ſecundum autem*, ſupradictis conſentiunt Leſſius *de inſt. lib. 2. cap. 40. dub. 14. num. 113.* Nauarrus, pluresque alij locis citatis à Sanctarello *vbi ſupra*, quibus adde Suarez *etiam vbi ſupra num. 16.* & Lezanam *dicto cap. 17. num. 18.* Hæc poſterior ſententia mihi verior apparet, Vnde

Dico Epiſcopum Regularem non teneri ſub peccato veniali ad obſeuantias tertij generis in regula ſub culpa præſcriptas. Concluſio patet *Primò ex cap. Statutum*, vbi dum Religioſus factus Epiſcopus liberatur à iugo regulæ, conſequenter obſeruantias regulæ tranſgrediens, in nullam incidit culpam.

Probatur *ſecundò*. Si Epiſcopus teneretur ſub aliqua culpa ad illas obſeruantias, maximè quia teneretur ſe exercere in actibus perfectionis, cum ad id eum obliget rectæ rationis dictamen, & exigentia ſtatus, ſed ex hac ratione non tenetur ad regulares obſeruantias; Ergo nullo modo tenetur: Maior eſt Caietani fundamentum, & ratio dubitandi ſupra poſita, Minor, in qua eſt dif-

difficultas, probatur; nam Epiſcopus habet opera propria, quæ ſtatum ſuum, & perfectionem condecent, ad quæ ex debito morali, & ex recta ratione tenetur; huiuſmodi opera ſunt, alios docere, & illuminare, Pauperum miſerias ſubleuare, cultum diuinum promouere, &c. quæ in omnibus Epiſcopis, etiam officio carentibus locum habent, vt dicam *cap. ſequenti, num.* 355. Ergo ſi iſtos actus exerceat, exercebitur in actibus perfectionis, quos illi in ſtatu epiſcopali debitum morale, ſeu recta ratio præſcribit, ideoque grauandus non eſt ad exequendas etiam vlterius ſub culpa veniali obſeruantias regulares, cum ſine illis perfectioni ſui ſtatus ſatis ſuperque correſpondeat, ſi aliàs vota ſubſtantialia adamuſſim obſeruet.

349 Per quæ patet reſponſio ad rationem dubitandi ſuperius adductam; Ad illud vero, quod dicitur de Principe, qui in tranſgrediendo leges communes æquiparatur Epiſcopo tranſgredienti leges ſuæ Religionis, dico, magnam eſſe diſparitatem inter Principem omittentem ſtatuta legis, & Epiſcopum Regularem omittentem obſeruantias regulæ, vt docet Soto *vbi ſupra*, nam Princeps viuit cum cęteris membris Reipublicę, & ideo dedecet ipſum non elicere actus conformes actibus aliorum membrorũ, quibus coniungitur; vnde ſi fuerit legis tranſgreſſor, peccat. At Religioſus Epiſcopus eſt ſeiunctus ab alijs Religionis membris; Igitur cum ſeiunctus ab ipſis viuat, nullam incurrit culpam, ſi ea, quæ Religionis membra, vel ex pręcepto regulę, vel ex decretis Sacrorum Canonum ſeruant, non obſeruet, nam à iugo regulæ eſt abſolutus, & Sacri Canones non intendunt comprehendere in legibus adductis niſi Monachos illos, qui cum cęteris vitam communem gerunt, & actualiter Religionis corpori tanquam membra coniunguntur, vt ex ipſorum textu conuincitur; Loquuntur enim de Mōnacho ſub obedientia Abbatis conſtituto; & intra Monaſterium cum cęteris Monachis degente, quę ab Epiſcopo Regulari ſunt aliena. Per quæ patet etiam ad confirmationem.

350 Ex his, quę dixi, ſequitur euidenter Epiſcopum Regularem tranſgrediendo Vota ſubſtantialia, vel alia vota, ad quę tenetur modo ſupra §. 2. explicato, peccare quidem mortaliter, & eſſe ſacrilegum, attamen non affici cenſuris, alijsque pęnis in regula contra dictorum Votorum tranſgreſſores latis, nam vt dictum eſt, ipſe regulæ legibus ſolutus, regulę pęnas non incurrit, illæ enim pęnæ ſunt latæ contra Religioſos in communitate viuen-

uentes, & vt ſunt actualia membra ſub vno capite communi conſortio ſociata; Epiſcopus autem eſt ſeparatus ab illis Religionis membris, & conſequenter ſi puniendus eſt, vt dixit Caiet. non legibus regulæ, ſed Canonicis puniri debet: ita docent Soto *in illo artic. vlt. de iuſt.* & Lezana *in illo cap. 17. num. 7.* qui adducit pro hac ſententia etiam Angles *in Floribus 2. par. quæſt. vn. de Voto, a. tic 25.*

351 Sed cum Epiſcopus Regularis coercendus ſit pœnis Canonum; oritur inter Doctores controuerſia, an Epiſcopus Regularis incidat in excommunicationem Canonis, *vt periculoſa, Tit. Ne Clerici, vel Monachi, in 6.* Si habitum religioſum dimitteret. vel ſi Tunicam lineam, aliàs Rochettam, quo Epiſcopi Regulares vtuntur, ſuperinduceret, occultando habitum regularem, cum id illi prohibeatur *cap. Clerici officia, extra de vita, & honeſtate Clericorum*; nam hæc excommunicatio non eſt a regula, ſed à lege Canonica, cui Regularis etiam factus Epiſcopus ſubiacet; Ergo videtur, ſi legis illius Canonicæ ſit præuaricator eum in latam excõmunicat. incurrere. Huius opinionis fuere quidam inſignes Theologi, & Canoniſtæ, vt Card. *in Clem. prima in princip. num. 9. quæſt. 6. de ſtatu Monach.* & ibi Imol. *num.* 17. Maiolus *de irregul. lib. 3. cap. 2. num.* 13. Cuch. *inſtit. maior. lib. 3. tit. 1. num.* 157. Riminald. *conſil. 5. num. 7. volum.* 1. Surd. *de aliment. tit 8. priuil. 79. num.* 10. Fulu. Pacian. *conſil. 132. num. 42. volum.* 1. Silueſter verbo *Religio 7. quæſt.* 11. aliique, quos citant Authores infra adducendi pro oppoſita ſententia; inter eos aliqui dixerunt Regularem Epiſcopum ſui Ordinis habitum omittentem, ſeu occultantem Apoſtatam eſſe iudicandum, vt dixit Henriq. *in Summ. lib. 10. cap. 33. in fine.*

Dico *primò*, Regularem Epiſcopum temere mutando habitum ſui Ordinis materialiter, & formaliter, modo ſupra explicato *num.* 340. dum publicè incedit, peccare mortaliter, ita Silueſter verbo *Religio 7. quæſt.* 10. Soto *de iuſt. artic. vlt.* Texedo *vbi ſupra dub.* 1. Suarez *etiam vbi ſupra, tract. 8 num. 9.*

Probatur; Nam, vt dixi *num.* 329. Epiſcopus Regularis tenetur ad ferendum habitum ſuæ Religionis ex præcepto iuris Canonici, quod inducit grauem obligationem, Ergo ſi illud præceptum tranſgrediatur, peccat mortaliter; cum præuaricator ſit legis Canonicæ, in re apud omnes graui exiſtimata; idque non obſcurè inſinuat S. Th. dicit. *n. loc. cit. a.* 3. 1. habitũ portandum eſſe ab Epiſcopo Regulari in ſignum profeſſionis votorum ſubſtan-

ſtantialium; Ergo ſicut ad actus Votorum tenetur Epiſcopus Regularis ſub mortali, ita etiam tenebitur ad habitus geſtationem ſub mortali, ſicut Chriſtianus ne dum tenetur credere miſteria fidei, ſed etiam, regulariter loquendo, ferre habitum, qui illum Chriſtianum eſſe denotet, ac diſtinctum ab ijs, qui falſas ſectas profitentur, præcipuè in illis regionibus, in quibus Chriſtiani ab Infidelibus per habitum diſcernuntur, vt communiter docent Theologi *in Tractatu de Fide*, & veluti ſemper ſolet, doctè, & eruditè reſpondit Card. Lugo *in ſuo Tract. de Virtute Fidei diſp.* 14. *ſect.* 5.

Dixi in concluſione de Epiſcopo *mutante habitum temere*; nam Epiſcopus Regularis, vt ego puto, ſecum diſpenſare non poteſt in omittendo, vel occultando habitum religioſum, niſi indirectè, in caſibus, ſcilicet, ſupra expreſſis, & infra mox exprimendis, ac ad illar modi, quo poſſet cum ſuo Religioſo diſpenſare Prælatus regularis, vt docet Bonacc. *vbi ſupra de Clauſ. n.* 31. diſpenſatio enim directa ſuper non deferendo habitum regularem etiam in ordine ad Epiſcopum, pertinet ad ſolum Summ. Pontif. ex eodem Doctore, ſed ſi Epiſcopus Regularis occultaret habitum, vt ſupra dictum eſt, vel illum mutaret ex rationabilibus cauſis iam indicatis, vel eundem habitum diminueret, omittendo, verbigratia, ſcapulare, ſeu illum totaliter dimitteret intra domeſticos parietes, vel ad tempus, etiam in publico, maximè cum habitum occultat, vel dimittit, vt expeditius vadat, vel vt ii cognitus per aliquem locum tranſeat ad obſequia, ſiue occurrentium detentiones, & moleſtias vitandas, &c. non diceretur habitum temere occultaſſe, ſeu dimiſiſſe, nec aliquam ex hoc culpam contraheret, ſicut eam non contraheret ſimplex Religioſus, ſi ex ſimilibus cauſis habitum dimitteret, vt docet Sanctarellus *vbi ſupra*, Nauarr. *in Manuali cap.* 27. *num.* 131. & Bonacc. *loco citato*.

Dico *ſecundò*. Epiſcopum Regularem temere omnino dimittentem habitum ſuæ Religionis, ſeu Rochettum ſuperinduentem Veſtibus religioſis, illoque has Veſtes occultando, non eſſe Apoſtatam, nec incurrere in excommunicationem Canonis.

Ita cum communi omnes recentiores. Suarez *dicto tractatu* 8. *cap.* 17. *num.* 11. Sanchez *Decal. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 23. Bonaccina *de Clauſura, quæſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 26. *& de Excommunic. extra Bullam Cœnæ, diſput.* 2. *quæſt.* 8. *punct.* 6. *num.* 27. Lezana

na *dicto capite* 17. *num.* 9. Sanctarellus *vbi ſupra num.* 15. Barboſa *de officio Epiſcopi par. prima, Tit. primo cap.* 4. *num.* 17. *& de iure Eccleſ. libro primo, cap.* 43. *num.* 103. Azor. *Inſtitut. moral. par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæſt.* 4. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 50. *& par.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 66.

Probatur *primò*, quia non eſt aſſignabilis Textus, per quem includatur in illa lege Canonis Epiſcopus Regularis, ergo illa canonica lex ad eum non eſt extendenda, patet conſequentia; quia lex pęnalis non extenditur vltra verborum proprietatem, Ergo cum verba Canonis loquantur de Religioſo manente ſub obedientia Superioris regularis, & regulis aſtricto, vt patet, nam agunt de Monacho, cui prohibent ſine licentia ſui Prælati, & maioris partis conſilij ſui Conuentus ad ſtudia litterarum accedere, extendenda non ſunt ad Religioſum Epiſcopum a dicta obedientia, & regulis abſolutum. Inde probatur Antecedens, quia non eſt alius Textus declarans Apoſtatam, & excommunicatum Religioſum dimittentem habitum, niſi Textus illius Canonis *in ſexto*. Sed vt probatum eſt, Textus ille non extenditur ad Epiſcopum Regularem. Ergo, &c.

Confirmatur. Nam Textus Canonis reddit rationem, propter quam Religioſi dimittentes habitum excommunicantur, quia, ſcilicet, hæc dimiſſio eſt Religioſis materia vagandi, quia tunc à nemine cognoſcuntur; ſed hæc ratio ceſſat in Epiſcopo. Ergo, &c. Probatur Minor, quia non eſt præſupponendum materiā vagandi fuiſſe ab Epiſcopo Regulari ex omnimoda habitus dimiſſione quæſitam, neque ſi indueret Rochettum etiam occultantē habitū reg. id ideo egiſſe ꝑ mādū eſſet, vt liberius vagaretur, tūc enim etiā agnoſceretur vt Epiſcopus, ſi non vt etiā Regularis, & ita liberius incognitus vagari non poſſet: benè ta-

352 men aduertit Suarez *vbi ſupra*, verba Canonis, ſi in rigore accipiantur, comprehendere etiam Regulares Epiſcopos; vnde ab ipſis timendam eſſe illam excommunicationem concludit.

Ex dictis patet Regularem non ſubiacere pęnis, quas Canones, vel Pontificia Decreta ſtatuunt Religioſis, qui hoc vel illud egerint, verbi gratia, ſi Epiſcopus Regularis Taurorum agitationi intereſſet in Hiſpania, non afficeretur pęnis latis à Gregorio Decimotertio contra Clericos dictis agitationibus

in-

intereſſentes, quas Clemens Octauus ad Regulares coarctauit, nomine enim Regularium in dictis Canonibus, & Decretis veniunt tantum Religioſi, qui communem vitam in Monaſterio ſub regularium Prælatorum obedientia ducunt, & regulis ſubiacent; neutrum autem Epiſcopis Regularibus conuenire certum eſt: verùm illas pœnas, ſi ſint ſpirituales, timere debent etiam Regulares Epiſcopi, cum, ſi in rigore allegatorum iurium verba accipiantur, Doctoribus timoratæ conſcientiæ videatur ipſos quoque Epiſcopos Regulares compræhendere, &c.

FINIS CAPITIS SECVNDI.



CAPVT III.

De Epiſcopo Regulari, qui Subditos habet, ſed ad eos regendos ire non poteſt, vel ſubditos non habet, cum ſit tantum Titularis, vel qui Epiſcopatum dimiſit, aut ſimpliciter, aut ad aliam Eccleſiam tranſlatus.

LINEÆ, quas ſuperiori *Cap.* in mea Tabula duxi, Epiſcopum Regularem in Pontificalis muneris exercitio occupatum expreſſere, & quamuis plura dixerimus, quæ Epiſcopo Regulari, in quocunque ſtatu conſideretur, annectuntur, tamen quia ſi Epiſcopalem iuriſdictionem in actu Regularis non exerceat, contrahit quaſdam ſpeciales circumſtantias, ex quibus oritur magna inter Doctores controuerſia, Vtrum ſupradicta verificentur etiam de Epiſcopis ſubditorum regimen non habentibus, vel ſimpliciter, vt Titulares, & qui Epiſcopatum dimiſerunt, vel ad tempus, quia ad ſubditos regendos ire non permittuntur, hoc Caput tertium inſtituere cogitaui, in quo illæ circumſtantię expendendæ ſunt, quæ in Epiſcopis Regularibus, prout in his ſtatibus conſiderantur, ſpeciales, & indiuiduæ reperiuntur, quædam addendo de Epiſcopis tranſlatis ad aliam Eccleſiam, vt præſenti huic tractatui vltimum complementum afferatur.

Pro reſolutione quæro duo.

Primò. Vtrum expediat Regularem promouere ad Epiſcopatum Titularem, vel admittere eiuſdem Regularis iam Epiſcopi renunciationem, ſeu eundem ad alium Epiſcopatum transferre.

Secundò. Vtrum Epiſcopus Regularis non habens ſubditos actualiter teneatur redire ad Religionem ſub obedientia Prælatorum regularium.

§. I.

Vtrum expediat Regularem promouere ad Epiſcopatum Titularem, vel admittere eiuſdem Regularis iam Epiſcopi renunciationem, ſeu eundem ad alium Epiſcopatum transferre.

SVMMARIVM.

Regularis Epiſcopus Titularis. 353
Eſt abſolutus à Iugo regulæ. 354
Bona cui acquirat. ibidem.
Iuſta cauſa promouendi Regularem ad Epiſcopatum Titularem. 355
Inconuenientia, quæ in hac promotione accidere poſſunt. 356
An admittenda ſit renunciatio Epiſcopi Regularis. 357
Media, quæ ad hunc effectum aſſumi poſſunt ab Epiſcopo Regulari. 358
Primum, ſtudium vitandi ſalutis pericula. 359
Aliud, voluntas ſibi viuendi, vel ad Monaſterium redeundi. 360
Sum. Pontificis conſuetudo acceptandi renunciationes Epiſcoporum. 361
Translatio Epiſcopi Regularis ad aliam Eccleſiam. 362
Bona Epiſcopi Regularis tranſlati cui acquirantur. 363

353 QVia primò agendum eſt de Regulari promouẽdo ad Epiſcopatum Titularem. Notandum eſt Epiſcopos Titulares illos eſſe, qui ordinati ſunt ad titulum alicuius Epiſcopatus carentis Clero, & Populo Chriſtiano; Ita dicitur *in Clem. de elect. cap. In pleriſque, & in Sac. Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *de Reform. cap.* 2. Epiſcopos, quos nos Titulares dicimus, Hiſpani vocant Anulares, *Gloſ. in Clem. vbi ſup.* Portatiuos, & Card. Iacobacius *de concilib.* 1. *pag. mihi* 70. *C.* 2. Nullatenentes, de quibus fusè loquitur Barboſa *de off. Epiſc. par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 6. *num.* 15. vbi recenſet alia Epytheta minus honorifica, quibus auſi ſunt quidam eos afficere, & confutat quorundam Hæreticorum dogma, quo dicitur Titulares Epiſcopos eſſe Epiſcopos tantum abuſiuè, non verò propriè, quàm hæreſim, dùm futilibus argumentis propagare auſus eſſet omnium hæreſum noſtris diebus impius ſectator *Spalatenſis Apoſtata Reip. lib.* 2. *cap.* 7. impugnauit egregiè

gie Fr. Nicolaus Coſteau Epiſcopus Maſſilienſis Ord. Præd. *in ſuo opere pro Monarchia Eccleſiæ Catholicæ, lib. 2. diſcuſſione 7. in princ.* Ad Epiſcopatus Titulares eligi non poſſe Regulares abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ authoritate, decreuit *Clemens V. ubi ſup.* extincta quacunque facultate in Prælatis Regularibus ſubditis ſuis permittendi vt talibus electionibus conſentire poſſint, ſi verò Regularis abſque Apoſtolica authoritate conſentiret cõſecrari Epiſcopus Titularis, voluit Pontifex vt non reciperetur in Epiſcopali honore, & in pœnam, ſub Religionis aut Monaſterii ſui Prælato ſemper degeret humilis, nec aſcendere poſſet ad aliquem Religionis gradum, vel honorem, vt etiam ſupra dicebam, cum de Pœnis Epiſcoporum Regularium agerem. Hic autem quæro. Vtrum expediat Regularem promouere ad Epiſcopatum Titularem, ſuppoſita Sedis Apoſtolicæ authoritate.

354 Notandum ſecundo, Quoſdam graues Canoniſtas olim exiſtimaſſe Epiſcopum Regularem Titularem Sedis Apoſtolicæ authoritate promotum abſolutum non eſſe à Iugo regulæ Monaſticæ profeſſionis 18. *quæſt. 1. cap. Statutum*, quod ita perſuadere nitebantur. Hæc abſolutio ſequitur ad officium Epiſcopale, non ad dignitatem, nam indulgetur Epiſcopo Regulari Iugo regulæ non grauari, quia debet totis viribus operi Epiſcopali inſiſtere, cui operi Titularis non incumbit. Ita Hoſt. *cap. Quod Dei timorem, num. 9. de ſtatu Monachor.* Io. And. *ibi nu.* 15. & Card. *num. 5. quæſt.* 2. qui ſubiungit, dato etiam quod dicti Epiſcopi abſoluerentur à Iugo regulæ, tamen peccarent mortaliter acceptando tales Epiſcopatus, quia admitterent diſpenſationem, & exemptionem ab obedientia Prælatorum, & obſeruantijs regularibus ſine iuſta cauſa, cum iſta cauſa nulla alia ſit, quàm bonũ Epiſcopalis operis, quod dignitatem importat, & officium cum dignitate coniunctum: ſed oppoſita ſententia, quæ communis eſt, Epiſcopum Regularem etiam Titularem à Iugo regulæ abſoluit ab inſtanti, quo in Epiſcopum Titularem confirmatur à Sum. Pontifice, etiam pro illo tempore, quod Conſecrationem præcedit, & ad inſtar aliorum Epiſcoporum Clerum, & ſubditos Chriſtianos habentium, ſolutum, & liberum iudicandum eſſe decernit. Ita Azor. *Inſtit. mor. par. 1. lib. 12. cap. 10. quæſt. 7.* & Sanchez *Decal. lib. 6. cap. 16. n. 27.* quapropter bona ipſius, etiamſi non dum conſecratus decederet, non eſſent applicanda Monaſterio, vt dixere Soto *de Iuſt. ar. vlt.* & Rodriquez apud Barboſ. *de off. Epiſc. par. 3. alleg. 114. num.* 31. ea ratione ducti, quia Epi-

ſcopus

Digitized by Google

ſcopus Titularis nullam Sedem habet, ſed vt idem Barboſa tenet *vbi ſup. & Voto Can.* 101. *num.* 40. cum Azor. Sanchez, Layman, Bonacc. & alijs, quibus adde Fagundez *in 7. Præcep. Decal. lib. 7. cap. 6. verſ. Hoc ſuppoſito*: eſſent adiudicanda Sum. Pontifici, quia hic Epiſcopus à confirmationis momento ſolutus eſt omnino à Religionis obedientia, eidemque Sum. Pontifici ſubeſt immediatè; Suarez *de Rel. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap.* 17. *num.* 5. & Lezana *Sum. tom.* 1. *cap.* 27. *num.* 13. admiſſa hac ſententia, tamquam vera, & ſequenda, putant, quod ſi ſola Iuris diſpoſitio attenderetur, dicendum eſſet Epiſcopum Titularem Regularem acquirere Eccleſię, ad cuius titulum eſt electus, ſi verò applicari illi Eccleſię eius bona cum effectu non poſſent, tunc dicunt de Sum. Pontificis voluntate in opera pia diſpenſanda eſſent; quibus pręmiſſis.

355 Dico: ſi iuſtæ cauſę adſint, expedit Regularem promouere authoritate Apoſtolica ad Epiſcopatum Titularem. Has iuſtas cauſas ad promouendum ad Epiſcopatum Titularem quemcunque ſæcularem, vel Regularem negant aſſignari poſſe Doctores illi, qui ſine cauſa huiuſmodi Epiſcopos in Eccleſia eſſe contendunt, vt noſter Cano *de Locis lib.* 5. *cap.* 2. eoſque à ſimplicibus Presbyteris tantum ordine, non verò officio diſcernunt, quapropter non ſecus ac Sęculares Presbyteros ad Synodum vocandos eſſe dixerunt idem Cano *ibidem*, & Bagnes 2.2. *queſt.* 1. *artic.* 10. *dub.* 3. *not.* 2. Verumtamen cum communi dicendum eſt iuſtas, & vrgentiſſimas cauſas adeſſe, quibus mouetur Sum. Pontifex ad promouendum, vel conſentiendum plures quotidie etiam Regulares promoueri ad huiuſmodi Epiſcopatus: iſti enim creantur Epiſcopi, vt aliorum Epiſcoporum Clerum, & Populum Chriſtianum habentium coadiutores, eoſque adiuuent, dum per ſe ipſos viſitare Diœceſim non valent, nec Pontificales functiones exercere, ipſi enim tunc ſupplere poſſunt iſtas vices, viſitãdo Diœceſim, Pontificalia exercendo, aliaque Epiſcopalia munera obeundo, quibus Epiſcopale opus completur; Sunt etiam Epiſcopi Titulares ad Pontificiæ Capellæ decorem inſtituti, dum in abſentia aliorum Epiſcoporum, quos apud ſuas Eccleſias reſidere oportet, aſſiſtunt Sum. Pontifici ſacris Miniſterijs operam danti. Tandem dictis Titulis augentur Nuntij Apoſtolici, qui non ſolent niſi rarò ex Epiſcopis ſubditos habentibus mitti, tùm, ne ſint ordine inferiores Epiſcopis, quibus in locis ſibi commiſſis Apoſtolici delegati pręſunt, tùm etiam, vt Principibus, ad quos mit-

mittuntur, in maiori ſint veneratione. Sanchez *vbi ſup. num. 27.* dicit Epiſcopos Titulares habere ſubditam Diœceſim, etiamſi ſit ab Infidelibus occupata; Vnde ſi eriperetur à dominio Infidelium, ſeu iſti permitterent eos cum ſubditis chriſtianè viuere, vel Infideles occupantes admitterent fidem, tenerentur illuc adire, quam ſententiam elucidat, & confirmat etiam Diana *p. 12. tract. de conſec. Epiſc. reſol. 51.* Barboſa *vbi ſup. num. 17.* dicit finem principalem inſtituendi hos Epiſcopos Titulares conſiſtere in hoc, quod proficiſcantur ad loca illa, vbi habent ſubiectam Diœceſim ab Infidelibus occupatam, vt experiantur ſi vnam ſaltem ouem poſſent ad fidem adducere, vel reducere, & vt fideles ibidem cõmorantes, quamuis pauciſſimos, in fide confirmarent, ibidemque meminit Fr. Bartholomæi Bononienſis Ordinis Prædicatorum, quem in Armeniam tendere voluiſſe narrat, ſtatim ac fuerat à Summo Pontifice Archiepiſcopus illius Prouinciæ infidelis declaratus, idque accidiſſe putat circa Annum Domini 1235. Sed in meo Catalogo Magiſtrorum Sac. Palatij, quod officium ego quoque aliquando ſubij, & octauus à primo Magiſtro B. Dominico Bartholomæus geſſit, Boterum confutaui, id ipſum ad eundem Annum reducentem, & probaui Bartholomæum Armeniam luſtraſſe circa annum 1312. ibique inter cruciatus pro fidei confeſſione, & Romanæ Eccleſiæ authoritate illatos, circa annum 1318. diem obijſſe. Sed hæc Barboſæ ſententia quotidianæ praxi aduerſatur, vnde nec veram, nec ſequendam eſſe iudico. Suppoſito modo ex dictis adeſſe iuſtas cauſas inſtituendi Regulares Epiſcopos Titulares, dummodo in illis illæ iuſtæ cauſæ conueniāt ad eos promouendos Apoſtolica authoritate.

Probatur concluſio. Nam expedit Pontifici, Religioni, & Religioſo, vt promoueatur Regularis ad Epiſcopatum habentem Clerum, & ſubditos Chriſtianos; ergo expedit ſimiliter eundem promouere ad Epiſcopatum non habentem Clerum, nec Subditos Chriſtianos. Antecedens patet ex dictis *cap. 1. §. 3.* Conſequentia probatur: nam eadem eſt ratio de promotione ad vnum, & ad alterum ex dictis Epiſcopatibus, cum in vtroque ſit iuſta cauſa promouendi Regularem ad Epiſcopatum, videlicet, vt ſaluti animarum incumbat in perfectiori opere, quod eſt Epiſcopale: Vnde patet dictum Regularem acceptando Epiſcopatum Titularem non peccare, vt volebant authores ſupra citati, quia acceptando, ſoluitur ex iuſta cauſa à Iugo Regulæ Monaſticæ profeſſionis, ſicut alij Epiſcopi Regulares regimen Epi-

ſcopale

Digitized by Google

ſcopale in propria Diœceſi exercentes.

356 Sed cum promouendus eſt Regularis ad Epiſcopatum Titularem, declinanda ſunt duo inconuenientia.

Primum recenſetur *in Clem. vbi ſup.* & eueniret in caſu, quo dictus Epiſcopus, cum non poſſet prodeſſe, vt expediret, nec præeſſe, vt deceret, inſtabilitate vagationis, & mendicitatis opprobrio ſerenitatem Pontificalis obnubilaret dignitatis, quod accideret quando Epiſcopus Titularis Religioſus quæreret Epiſcoporum Vicarias. vt Gloſ. exponens ſupradictũ Canonis Textum dixit, vel quando adhæreret illis Principibus, qui, cauſa honoris, amant habere Epiſcopos Capellanos.

Secundum inconueniens eueniret, quando ex promotione Religioſi ad Titulum epiſcopalem, Religio, ex qua aſſumitur, veniret in contemptum, quod præcauere volentes Patres Ord. Prædic. congregati in Capitulo Generali Metis 1313. & habetur in *lib. Conſt. diſt. 2. cap. 15. K.* prohibuere Prouincialibus, ne Generali Capitulo inconſulto darent licentiam Fratribus Ordinis huiuſmodi Epiſcopatus acceptandi.

Vt iſta inconuenientia non ſequantur, attendendum eſſet Religioſum promouendum ad Epiſcopatum Titularem non eſſe de illis, qui dicere vellent, *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*, vt rectè *Gloſ. in Clem. præfata*, verbo, *Religioſos*, nec eſſet deſtitutus facultatibus ad congruum vitæ epiſcopalis ſubſidium requiſitis, vnde cogi poſſet vagari, & mendicare. Ideò Religioſos, quos ad Epiſcopatus Titulares promouet Sedes Apoſtolica iuſtis de cauſis, & ad maius Animarum bonum, & decorem Eccleſiaſtici Ordinis, facultatibus auget, quibus ad ſuſtentandum dignitatis ſplendorem ſufficienter prouiſi remaneant, ita declinatur omne periculum, quo mendicitate, & inſtabili vagatione aſſumptorum poſſet, vel Pontificalis ſerenitas obnubilari, vel habitus religioſus contemni.

357 Quantum ad ſecundum, ſcilicet, Vtrum ſit admittenda renunciatio Epiſcopatus ab Epiſcopo Regulari facta in manibus Sum. Pontificis, ſine cuius licentia nullo modo Epiſcopatui renunciare poteſt ex *dicto cap. Niſi cum pridem*.

358 Dico primò, Epiſcopum Regularem adhibere poſſe media permiſſa ad impetrandum à Sum Pontifice hanc renunciandi facultatem, quæ media plura deſumi poſſunt ex his, quæ ſuperiori *Cap. 8. vlt.* adduxi, quibus Regularis redditur ineptus, & inhabilis ad Epiſcopatum acceptandum; eiſdem enim medijs Epiſco-

ſcopus redditur inhabilis ad epiſcopale opus proſequendum: poſſe Epiſcopum Regularem ad finem impetrandi miſſionem, ſe infamare, vel ſuam famam negligere, docet Leſſius *de Iuſt. lib. 2. cap. 11. dub. 6. num. 32.* vbi pro hac ſententia citat Soto *de Iuſt. lib. 4. quæſt. 6. art. 3. ad quartum.*

359 Dico ſecundò. Expedit Epiſcopo Regulari, poſtquam in regimine epiſcopali per multos annos fuerit, procurare à Sum. Pontifice miſſionem, ad euitanda pericula ſalutis, quæ in epiſcopali ſtatu abundant.

Hanc concluſionem S. Petrus Damianus, poſtquam ſuo firmauerat exemplo, docuit in Epiſtola ſupra ſæpius allegata, in qua limitationes, quibus eſt coarctanda, ſapientiſſimè expreſſit, eius verba erunt eiuſdem concluſionis euidens probatio, & argumentorum, quæ contra illam obijci poſſent, clara ſolutio. Sunt autem, quæ ſequuntur. *Hic mihi fortaſſis obijcitur, ſemel acceptum dimitti regimen non licere. Ad quod breuiter dico, quod ſentio, quia plerique Pontificatus iura non deſerunt, & de ſiniſtris ſunt, quotquot autem legimus recta intentione dimiſiſſe, certa ſpes eſt, eos de æterna cum Chriſto ſocietate gaudere, neque hoc dicimus, vt paſſim deſeri Epiſcopatum liceat, niſi videlicet id fieri neceſsitas magna compellat:* Proſequitur poſtea Damianus numerando plures Epiſcopos, qui depoſito regimine, ſancto fine quieuere; Cùm verò dixit Damianus, deſerere Epiſcopatum non licere, niſi id fieri neceſſitas magna compellat, nomine magnæ neceſſitatis, voluit, vt ego puto, etiam comprehendere illam neceſſitatem, quę poſſet Epiſcopum Regularem inducere, poſt multos annos in regimine conſumptos, ad petendam facultatem dimittendi Epiſcopatum, vt ſcilicet, vitare poſſet ſalutis pericula, quæ in epiſcopali ſtatu ſibi imminere pertimeſcit, prout in Concluſione dicebam, quod idem S. Damianus diſertis verbis in eadem Epiſtola expreſſit, dum reddendo rationem, quare ipſemet Epiſcopatu ſe abdicaſſet, ſic ait. *Dicant ergo mihi, qui volunt epiſcopari, plebibus te regendis expone, ſed qui me ipſum nequeo inter tot gladios, ac tela protegere, quo pacto & alios poſſum à captioſis latentium inſidiarum laqueis expedire? Deponenda eſt ergo ſarcina, quam baiulare non poſſum, meliuſque eſt pondus abijcere, quam cum detrimento Domini, cuius ſum ſeruus, fractis ceruicibus interire; ſufficiat nunc ad teſtimonium, hoc ſolum Beati Hieronymi, quod nec dum hora tranſacta ſub oculis habuiſſe me memini; Dum enim de otioſo Eccleſiæ Paſtore tractaret, adiecit, illico, inquit, indignantis Domini reprehenſione ferietur; Serue*

Digitized by Google

Serue nequam, quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, vt ego veniens, cum vſuris vtique exegiſſem illam, quod idem Doctor protinus exponens, ait, ideſt, depoſuiſſes ad Altare, quod ferre non poteras; Dum enim tu ignauus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupaſti; Hoc ego Sancti viri conſilium, fateor, libenter arripui, & onus, cui ſuccumbere compellebar, abieci. Immo pecuniam, quam duplicare non poteram negotiator ignauus, ad Altare depoſui.

360 Dico tertiò in ſuperioris Concluſionis confirmationem: Vltra cauſas relatas *extra de renunciat. cap. Niſi cum pridem*, omnibus renunciare petentibus communes, de quibus agere ad pręſens inſtitutum non pertinet, egerunt autem multi Doctores præſtantiſſimi, vt notum eſt eruditis; vna ſpecialis eſt in Epiſcopo Regulari attendenda, ſcilicet, voluntas, quam haberet, admiſſa ſibi renunciatione, ſuę ſaluti tantum inſiſtere, ac veluti ad quietis portum reductus, proprium ſalutis negocium agere, vel inſtituta in peculiari domo honeſta, & religioſa priuatæ vitę forma, vel reuerſus ad Monaſterium, vita communi, ac regula reaſſumpta: quę voluntas enituit in pluribus viris ſanctitate cõſpicuis, vt in Sanctis Cęleſtino, & Petro Damiano, qui in Epiſtola, de qua ſupra, hoc argumentum luculenter proſequitur, dum ſuę renunciationis cauſam hanc vnicam fuiſſe declarat, illamq; cunctis rationabilem eſſe ab epiſcopali onere ſe leuandi, exemplo multorum Sanctorum Patrum oſtendit, quorum conſilium æmulatus Sanctus Thomas de Villanoua, ſeptimo ſui Archiepiſcopatus anno, paſtorale regimen deſerere procurauit, vt legitur in eius vita *lib. 2. cap. 3.* ſed quod Beatiſſimus hic Archiepiſcopus non obtinuit Valentiæ, conſecutus eſt eiſdem ferè annis in Luſitania Fr. Bartholomęus de Martyribus Ord. Prędicat. qui prioris religioſę vitæ deſiderio exardeſcẽs, depoſito ampliſſimo, ac ditiſſimo Archiepiſcopatu Bracharenſi, ad priſtinum Religionis ſtatum ſe contulit, in quo cum opinione ſanctitatis deceſſit.

361 Sum. Pontifex pluries ſatisfecit huic voluntati aliquorum Epiſcoporum Regularium, eorum renunciationem admittendo ex hac tantum cauſa, vt libera renuncianti facultas fieret, depoſita epiſcopalis operis ſarcina, ſibi ſoli viuere, vel extra, vel intra Monaſterium, vbi facilius, & commodius ſe componere poſſet ad mortem, quod in exemplis mox adductis, & quæ legũtur per extenſum in ſupradicta Epiſtola B. Damiani, clarè patet.

Hh 2 Verùm

Verùm eundem Sum. Pontificem non niſi cum maxima difficultate ex iſta tantum cauſa Epiſcoporum renũciationes admittere ſolitum eſſe, plura alia exempla demonſtrant, & in *cap. illo. Niſi cum pridem*, apertis verbis exprimitur, dum ibi Innocentius monet quendam Epiſcopum, in quo voluntatem ingrediendi Religionem renunciato Epiſcopatu deprehenderat, ipſum non debere contemplatiuam Religionis vitam actiuæ operis epiſcopalis ita præferre, vt propter contemplatiuam, actiuam deſereret, ne eum, qui Paſtoralis regiminis laborem recuſaret, ſperneret Dominus ad pedes ſuos cum Maria recipere, dum ipſe ei ad ſe diuertenti, ſpreuiſſet cum Martha miniſtrare, & adduxit verba S. Martini Regularis Epiſcopi, quibus proteſtabatur ſe paratum eſſe differre ad voluntatem Domini gloriæ cæleſtis adeptionem, cui imminente morte iam vicinus erat, ſi in Populi ſui bonum adhuc eſſet neceſſarium reparata ſalute, continuato labore, in epiſcopali munere perſeuerare; quapropter, inquit Innoc. in illo *cap. facilius indulgetur, vt aſcendat Monachus ad Præſulatum, quam Præſul ad Monachatum deſcendat*.

His tamen non obſtantibus certum eſt tutò poſſe Sum. Pontificem ex minima neceſſitate, & ex leuioribus cauſis, immo etiam ſine vlla neceſſitate, ſeu cauſa, ſed ex ſola beneuolentia, fauore, ſeu remuneratione, admittere cuicumque Epiſcopo Epiſcopatus ſpontaneam ceſſionem, vt docet Suarez *de Rel. Tom. 3. Tract. 7. cap. 16. num. 8.* Verùm quòd ex conſuetudine Eccleſiæ ſimiles renunciationes facilè concedantur, vt idem Author ibidem dicit, aduerſatur eiuſdem Eccleſiæ praxi, quod patet intuenti cum quanta maturitate, & non niſi probata concludenter cauſa vrgenti renunciationis, admittantur ceſſiones Epiſcoporum, quam maturitatem in caſu, quo Epiſcopus Regularis cedere vellet, eſſe maiori cum ardore adhibendam puto: nam præter communes cauſas attentè conquiſitas, quando Religioſus cedendo, ad Monaſterium non reuerteretur, vel in aliquo alio vtili Eccleſiæ munere non occuparetur, perpendendum eſſet, quam vitæ rationem ab epiſcopalis operis exercitio ſolutus vellet inſtituere, ne in ſæculo ocioſus viueret, & ſub nuda dignitatis adeptæ ſpecie, perſonam ageret inanem, cum in actu exercito, nec eſſet Religioſus, nec Epiſcopus.

362 Quantum ad tertium, quod quærebam, ſcilicet, an expediat transferre Regularem ab vno Epiſcopatu ad alium.

Dico præter neceſſitatem, & vtilitatem, quas Sacri Canones

7.q.1.& extra tit.de Tranſlationibus, exigunt ad huiuſmodi tranſlationes cohoneſtandas, illas magnopere deteſtando, quæ ex motiuo auaritię, vel ambitionis fiunt, nullam aliam inuenio in Regulari Epiſcopo propriam, & indiuiduam cauſam, qua eius tranſlatio ad alium Epiſcopatum cohoneſtari poſſit, quam obligationem reddendi Deo Votum quocunque modo emiſſum, & non relaxatum de tranſmigrando ad regimen alterius Eccleſiæ, ad quam regendam propter pericula, vel incommoda, quibus ſubijcitur, facile non eſt inuenire idoneum, qui mittatur, in hoc caſu teneretur ille Religioſus petere à Sum. Pontifice licentiam tranſeundi ad regimen illius Eccleſiæ, eidem Pontifici ſuo Voto manifeſtato: Epiſcopus Ieſuita, qui in Societate vouit acceptare miſſionem ad Indos, teneretur Epiſcopatum dimittere, & acceptare deberet alium Epiſcopatum apud Indos conſtitutum, ſi à Papa etiam non cogente, ſed ſimplici verbo iniungente, huiuſmodi Epiſcopatus illi imponeretur, hęc ſunt conſona ijs, quę de huiuſmodi Votis dixi in ſuperiori *Cap.5.2.art.4. pun.3.& 4.*

363 Si dicas, in caſu, quo transferatur Regularis de vno Epiſcopatu ad alium, bona, quę ante translationem ſibi acquiſierat, vt adminiſtrator, modo ſupra explicato *§.2. art. 3. pun. 1.* cuius erunt; prioris ne Eccleſię, vel eius, ad quam tranſiuit? Item ſi Regularis dimitteret Epiſcopatum, teneretur ne omnia bona ſua, quę tunc habet, Eccleſiæ, quam dimittit, relinquere? vel poterit illa bona ad vſum proprium retinere, & ſecum aſportare, ac in proprium commodum conuertere?

Reſp. conformiter ad ea, quę *ſup. num. 229.* dicebam, ſi Regularis iſte non haberet, vnde ſuſtentari poſſet, ſcilicet, ſi transferatur ad Epiſcopatum carentem facultatibus, vel omninò, vel in minori quantitate ijs, quę ad congruam Epiſcopi ſuſtentationem exiguntur, vel ſi dimittendo Epiſcopatum, de nullo ſubſidio ſufficienti, quo aleretur prouiſum illi fuiſſet, tunc bona illa ad ipſum pertinebunt, eademque poterit retinere, ipſiſque vti iuxta dignitatis exigentiam; Si verò haberet vnde viueret iuxta dignitatis eiuſdem congruam ſuſtentationem, v. g. quia tranſiuit ad Epiſcopatum facultates habentem, vel quia ex patrimonialibus, aut ex induſtria acquiſitis, ſeu ex redditibus Beneficij Eccleſiaſtici, vel Penſionis adeptę commodè viuere poſſet, dicta bona eſſent diſtinguenda, & dicendum; ſi illa bona eſſent acquiſita ex fructibus Eccleſię, eſſent illius Eccleſię, quam dimittit, ſi verò illa bona eſſent acquiſita aliundè, vſui ipſius Epiſco-

Digitized by Google

pi applicarentur, & cum eo irent vbicunque tranſiſſet, *primum probatur*, quia vſus illorum bonorum concedebatur illi Epiſcopo Regulari ratione illius Eccleſiæ, cui præſidebat; Ergo dimiſſa Eccleſia ceſſat titulus illa bona retinendi, & ideo tenetur illa eidem Eccleſiæ, cuius ſunt propria, relinquere. *Probatur ſecundum*, quia illa bona, cum non ſint acquiſita ex redditibus illius Eccleſiæ, non ſunt illius Eccleſiæ niſi per accidens, ratione, ſcilicet, perſonæ regularis, cuius omnium bonorum proprietas Eccleſiæ, cui præſidet, acquiritur; ergo translata perſona ad aliam Eccleſiam, vel priori Eccleſia ſimpliciter dimiſſa, cum perſona tranſeunt etiam illa bona, ſequuntur enim perſonam tamquam principalem, & non Eccleſiam, cui ſunt acceſſoria, vt gloſ. dicit *extra de Cler. Coniug. cap. quod ad te*. Præterea non ceſſat titulus, quo illa bona poſſidentur à tali Epiſcopo per dimiſſionem Eccleſiæ; nam illius vſui ſunt applicata; vel quia per induſtriam ſibi talia comparauerat, vel quia in illis hæreditario iure ſucceſſerat, ſeu ad ipſum donationis beneficio fuerant deuoluta, iſti autem tituli non Eccleſiæ, ſed perſonæ ſunt connexi. Vnde Eccleſia, quæ dimittitur, talia bona amittendo, nullum patitur præiudicium niſi per accidens, quod non eſt attendendum; Ergo Epiſcopus iſte ſine aliqua iuſtitiæ læſione poterit illa bona, dum Eccleſiam dimittit, vtpotè ſibi connexa, ſecum ferre, eaque retinere, & in proprios vſus conuertere. Ita Suarez cum Panorm. *de Rel. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 24. vſque ad* 27. explicatis Canonibus, *ex tranſmiſſa de renunc. & quod ad te, de Cler. Coniug.* aliiſque Iuribus, quæ videbantur ſancire contrarium: Si Epiſcopus Regularis pro ſua ſuſtentatione inſumpſiſſet bona Patrimonialia, vel aliunde prouenientia, Epiſcopatus fructibus reſeruatis, puto quòd poſſet, dimiſſo Epiſcopatu, ſibi dictos fructus applicare, eoſque ſecum ferre, iure compenſationis, loco enim fructuum Epiſcopatus, quos in ſuos vſus de iure inſumere potuiſſet, ſubſtituit illa bona aliundè prouenientia, & ideo ſicut illa bona ſecum ferre potuiſſet, ita poſſet & illos Epiſcopatus fructus loco illorum bonorum ſecum ferre, dum Epiſcopatum, ex quo proueniunt, dimittit; id colligo ex doctrina, quam de Clericis beneficiatis authores ſapientiſſimi tradunt apud Bonacc. *c. 2. §. 2. num. 119. loco allegato*.

An

§. II.

An Epiſcopus Regularis non habens ſubditos teneatur redire ad Religionem ſub obedientia Prælatorum Regularium.

SVMMARIVM.

Epiſcopi non poſſunt ad Religionem tranſire. 364
Monachi Epiſcopi ad Religionem reuerſi, an poſſint iterum eligi in Epiſcopos. 365
Dimittendus eſt Epiſcopatus ante reditum ad Religionem. 366
Conſenſus Papæ ad repetendam Religionem. 367
Vtrum Epiſcopus repetere poſſit laxiorem. 368
Vtrum gaudeat reuerſus priuilegijs Ordinis. 369
Epiſcopi ex Mendicantibus ad non Mendicantes reuerſi pœna. 370
Laudabile eſt Epiſcopum ad Religionem reuertere. 371
Sed ex natura rei Religionem repetere non tenetur. 372
Vota Epiſcopi reuerſi ad Monaſterium. ibid.
Epiſcopus Regularis reuerſus ad Monaſterium, Vtrum peccet ſi regulam non obſeruet. 373
Vel An habeat ſufficientem cauſam abſolutionis à regula. 374
Non indiget nouo Voto. 375
De Epiſcopo Regulari, qui ad tempus cogitur officium epiſcopale dimittere. 376

NOtandum eſt iuxta Sac. Canonum ſanctiones ſemper prohibitum fuiſſe Epiſcopis ad Religionem tranſire abſque Papæ licentia. Ita decernitur *cap. Niſi cum pridem, de renunc.* Si verò Epiſcopus de hoc tranſitu ante, vel poſt Epiſcopatum Votum feciſſet, Votum tenet, ſed Sum. Pontifici eſt manifeſtandum, vt, ſi ipſe conſenſerit, impleatur; ita deducitur *ex cap. Per tuas, de Voto,* iuxta grauiſſimorum Doctorum intelligentiam, & ſuperiori *Cap. 2. n. 272.* iam dicta. Antiquitus ſtatim ac aliquis Epiſcopus ad Monachatum tranſiſſet, in pœnam Epiſcopatu priuabatur, & ne hanc dignitatem amplius recuperaret, vetabatur, vt dicitur *cap. Hoc nequaquam, 7. quæſt. 1.* quod eſt deſumptum

ex *Conc.Conſtantinopolit. ſub Ioanne VIII.* vt legitur in nouiſſimo Decreti codice Gregoriano, quam prohibitionem *Innoc.III.cap. Poſt translationem, de renunc.* extendit ad Monachos, qui etiam de licentia Papæ ceſſerunt Epiſcopatui, & ad Religionem redierunt, quibus inſuper, dum olim permittebatur cedere, imponebatur certa pœnitentia ex inſtituto regulæ Monachalis, vt dicebam *ſup.§.2.cap.1.num.31.* agendo de S.Petro Damiano.

Excipit Innocentius in præfato Capite quatuor caſus; *primus* eſt, ſi Monachus ceſſiſſet ex defectu litteraturæ, *ſecundus*, ſi ceſſiſſet ex infirmitate corporali; *tertius*, ſi ceſſiſſet ad euitandam perſecutionem; *quartus*, ſi ceſſiſſet, quia ex ſimonia ipſo inſcio fuiſſet Epiſcopatum adeptus; innuitur etiam ibidem alius caſus, videlicet, ſi cauſa pœnitentiæ ad vitam migraſſet regularem, in his caſibus, & ſimilibus, ſi contingeret Monachum ex Epiſcopo fieri, decreuit Pontifex, vbi ſupra, ipſum poſſe in Epiſcopum eligi, non verò ad eundem Epiſcopatum, ſed ad alium, ſi præfata ſimonia fuiſſet renunciationis cauſa, non obſtante dicti Concilij ſanctione, quam explicat intelligendam eſſe tantum de Epiſcopo, qui ob crimen aliquod Epiſcopatum deſerens, ad vitam Monaſticam pœnitentiæ cauſa deſcendiſſet. Si verò Epiſcopus cedendo loco, & dignitati Monachus fieret, Pontifex ſtatuit nunquam permittendum eſſe, vt iterum ad iſtam dignitatem aſſumatur, cum ex hoc indicium habeatur, ipſum ad Monaſterium non cauſa pœnitentiæ, ſed ob crimen aliquod redijſſe.

366 Notandum ſecundò, Epiſcopum profiteri non poſſe Religionem, nec prius profeſſam repetere non dimiſſo Epiſcopatu, quod ne dum prohibitum eſſe ex ſupradictis iuribus, ſed etiam ex natura rei contendit Suarez *de Rel.tom.3.lib.1.cap.19.nu.15.* Primò ratione Nouitiatus, in quo viuere non poſſet cum illa humilitate, quæ Epiſcopum dedecet, & Nouitio eſt neceſſaria. Secundò, quia repugnat perſonali Epiſcopi traditioni, qua ſe Eccleſiæ Sponſæ ſuę tradidit, vt alteri, ſcilicet, Religioni ſe tradat priori vinculo manente; Tertiò, quia non poteſt Epiſcopus cogi ad obediendum Prælato Regulari, à cuius obedientia ratione ſui ſtatus eſt abſolutus. Tandem quia Epiſcopus habet ampliorem vſum bonorum, qui Religioſo non eſt concedendus. Nauarrus loco inferius adducendo dicit, quod Monachus Epiſcopus, ſi reuerteretur ad Monaſterium, faceret rem indecentem, inſolitam, & ſcandaloſam, id autem verum non eſſe de eo, qui renunciauit Epiſcopatum; ſed ſolum de eo, qui in epiſcopali offi-

Digitized by Google

officio perſeuerans ad Monaſterium rediret, infra oſtendam. Ex his conuincitur, ne dum prohibitum, ſed etiam de ſe impoſſibile eſſe Epiſcopum retinendo Epiſcopatum Monachum iteratò fieri; Vnde debet Epiſcopus, qui ad Religionem vult reuertere, prius Epiſcopatum deſerere de licentia Papæ, aliàs vel non renunciato Epiſcopatu, vel renunciato abſque licentia Papę, ſi Religioſus fiat, Religionis regreſſus erit inanis, & profeſſio ſimplici Religioſo accomodata nulla, & inefficax, vt docet Suarez *vbi ſup.lib.5.cap.4.num.14.*

367 Præterea ſuppoſito tamquam indubitato ex ſupradictis, Epiſcopum Regularem, qui de licentia Papæ ceſſit Epiſcopatui, non poſſe Religionem repetere ſine eiuſdem Papę facultate, vt dicit etiam Bonacc. *de Clauſ.quæſt.2. pun.9.§.2.num.7.* Notandum eſt tertiò, quòd ſi iſte Epiſcopus de Papę conſenſu ad Religionem redire permitteretur, expendendus eſſet attentè præfatus conſenſus, nam ſi Papa conſentiret in eius reditum ad ſuam Religionē, vel ad aliam in ſpecie, ad illam deberet redire, quæ in Papę con-

367 ſenſu exprimitur, ſi verò Papa conſentiret indefinitè, ſcilicet, in reditum ad quamcumque Religionem, nulla appoſita ſuper his, quæ talem Epiſcopum, vt ad hanc Religionem pertinentem obligant, ſpeciali derogatione, tunc volunt aliqui quòd redire non poſſet ad ſua Religione laxiorem, quia quamuis non ſit astrictus ad ſuam Religionem reuertere, vt probabo, tamen, quia eſt adhuc huius Religionis verus Religioſus, prout ſupra dictum eſt, *num.*177. obligatur vel ſuam, vel arctiorem eligere. Ita Sanchez *Dec.lib.6. cap.7. num. 8.* Sed Bonacc. *vbi ſup. num. 8.* putat verius eſſe poſſe dictum Epiſcopum redire ad laxiorem, quia etſi iſta ſit laxior reſpectu ſuę Religionis, eſt tamen ſtrictior reſpectu ſtatus Epiſcopalis ordinem tantum, & non iuriſdictionem includentis: oppoſitum dixit Fr. Bartholomæus de Martyribus *in fine ſtimuli Paſtorum. Certum enim eſt*, inquit, *quod translatio à ſtatu Monachali ad Epiſcopalem eſt ab inferiori ad ſuperiorem, hoc eſt ad ſanctiorem, religioſiorem, auſteriorem*; dum verò dictus Epiſcopus ad aliquam Religionem tranſiſſet de licentia Papæ, tunc poſſet ad ſtrictiorem tranſmigrare petita, & non obtenta ſui Pręlati Regularis, cui tunc ſubeſt, facultate, prout diſponitur *cap. licet, de Regul.* Ita idem Bonacc. *vbi ſupra num.7.* Sanchez etiam *vbi ſupra*, & Lezana *Sum.tomo 1. cap.22. num. 28.* poſſet etiam tranſire ad laxiorem de licentia illorum Generalium, quos vigore Priuilegij Apoſtolici id ſuis Religioſis ex iuſta cauſa indul-

gere poſſe à quibuſdam aſſeritur, vt doctè perpendit Lezana, *vbi ſup. num.* 11. *&* *tom.* 4. verbo, *Tranſeuntes Regulares, num.* 11. *& in Mari Magno Pradic.* §. 24 *& Minimorum* §. 17.

369 Notandum quartò, Epiſcopum ad Religionem reuerſum, inhabilem eſſe ad eiuſdem Religionis dignitates, quod ex adductis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Doctorum ſententijs, tradit Barb. *de off. Epiſc. par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. *num.* 18. *& in Apoſtol. deciſ. collect.* 284. Si verò à Sum. Pontifice Epiſcopus iſte habilitaretur ad omnia illa priuilegia, & gratias eiuſdem Religionis, quibus non fruitur in ſtatu Epiſcopali, iuxta dicta *cap. ſuperiori* §. 6. *à num.* 342. eiſdem frui non poſſet, niſi de licentia Generalis illius Religionis, quod colligit Barboſa *vbi ſupra ex Apoſtolicis Conſtitutionibus indicatis*: *Fr. Io. Theutonicus Ord. Pradic.* qui renunciato tunc inſigni, & opulento Epiſcopatu Vaſinenſi, Gregorio IX. permittente ad Ordinem redierat, recuſauit acceptare Prouincialatum Lombardię, ad quem fuerat à Fratribus electus, dicebatque ad id à Religionis Prælatis cogi non poſſe, quia erat Epiſcopus. Ideo neceſſarium fuit quòd per ſpeciale Breue Apoſtolicum ab eodem Pontifice ad Ordinis dignitates habilitaretur, & ſub omnimoda Regularium Prælatorum obedientia reponeretur etiam ad hunc effectum, vt illis præcipientibus cogi poſſet ad Dignitates Ordinis acceptandas, inter quas etiam quartum Generalatum obtinuit, & ſanctiſſime adminiſtrauit; ita narratur in Chronicis S. Dominici *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. Epiſcopos Regulares capaces eſſe Dignitatum Ordinis, ad quem reuertuntur, ſi id expreſsè Pontificijs Conſtitutionibus nō prohibeatur, tenet Card. Lugo *reſp. mor. lib.* 5. *dub.* 12. *num.* 10.

370 Sed ſi Epiſcopus Ord. Mendicantium de licentia Papę tranſire poſſet ad quamcumque Religionem; nullà factà expreſſione quod ipſe tranſire poſſet etiam ad Ord. non Mendicantium, & fuiſſet habilitatus ad omnia priuilegia, & gratias illius Religionis, ad quam tranſiret, eodem prorſus modo, ac ſi nunquam fuiſſet Epiſcopus, ſi tranſiret ad Ordinem non Mendicanrium, dicunt aliqui, quod non incurreret pœnas contentas *in Clem.* 1. *de Regul.* ſed probabilius eſſe oppoſitum tenet Sanchez *vbi ſup. num.* 119.

371 Reſpondendo modo ad quæſitum his ſuppoſitis.

Dico Primò. Laudabilis eſſet Religioſus, ſi de licentia Papæ dimiſſo Epiſcopatu, eodem Sum. Pontifice inſuper conſentiente, ad Monaſterium reuerteretur. Concluſio eſt contra Nauarr.

Digitized by Google

in 2.edit.conſiliorum,lib.3.de donat.conſ.6. num. 11. vbi cum rectè dixiſſet contra quoſdam, Regularem Epiſcopū non eſſe Apoſtatam, ſi non reuerteretur ad Ordinem ſuum renunciato Epiſcopatu, idque oſtendiſſet euidenti ratione, & authoritatibus ex iure Canonico deſumptis, nec non ex Doctorum ſententia, ac praxi, cum de facto Regulares, renunciato Epiſcopatu, non redeant ad Monaſterium Papa ſciente, & conſentiente, ſubiunxit *nu.* 12. rem eſſe indecentem, inſolitam, & quodamtenus ſcandaloſam, quod Epiſcopus, qui vocatur Frater Papæ, *cap. Quam granis, de crim.falſ.* Subiaceat vt quilibet alius ſimplex Religioſus vnius Conuentus Priori, vel Guardiano, vel Vicario, &c. Hoc mihi non probatur, oppoſitum enim euidenter conuincitur ex facto præſtantiſſimorum virorum, quorum plures ardentiſſime optauerũt Monaſterium repetere infulis renunciatis, vt præcipuè legitur de Sanctis Antonino Archiepiſcopo Florentino, & Sãcto Thoma de Villanoua Archiepiſcopo Valentino: ſed quod hi affectu proſecuti ſunt, alij executioni lætiſſime mandauerunt, vt inter cœteros innumeros, Sanctus Cęleſtinus V. dimiſſo Pontificatu Maximo, S.Gregorius Nazianzenus dimiſſo Patriarchatu Conſtantinopolitano, Sanctus Petrus Damianus dimiſſo Cardinalatu, & Epiſcopatu Oſtienſi, & ex Ord. Prædic. inter innumeros, B. Albertus Magnus, Fr. Io. Theutonicus, & Fr. Bartholomæus de Martyribus, dimiſſis ampliſſimis Epiſcopatibus Ratiſponenſi, Vaſinenſi, & Bracharenſi, alijque Ordinum Regularium tam ex Græcis, quam ex Latinis Præſulibus, qui de Monaſterijs ad Pontificatum euecti, obtenta facultate renunciandi Epiſcopatus, ad Monaſterium ſunt reuerſi; quorum quoſdam etiam enumerat Damianus in Epiſtola ſępius memorata. Hæc autem reuerſio ſupradictorum ad Monaſterium ab omnibus Sanctis, & pijs Viris commendatur, & præcipuè ab eodem Damiano in eadem Epiſtola verbis grauiſſimis, quæ ſupra *num.*359. tranſcripſi: Vnde patet præfatam reuerſionem non debuiſſe à Nauarro dici indecentem, inſolitam, & ſcandaloſam, immo veluti decentiſſimam, & à Viris præſtantiſſimis concupitam, ac executioni mandatam, in exemplum, ac occaſionem virtutis Epiſcopis Regularibus eſſe proponendam, veluti actionem, quam quiſque eorum, ſi permittatur, laudabiliter exerceret, quod argumentum luculenter proſecutus eſt Ardicinus de la Porta iunior, Cardinalis, & Epiſcopus Alerienſis *in Epiſt.* quam ſcripſit Innoc. III. & habetur in opere Ciacconiano per extenſum, vbi dictum Sum. Ponti-

tificem remouere intendebat à præceptis, quibus eum cogebat deſerere Monachalem habitum, quem de eius licentia renunciatis Eccleſiaſticis Dignitatibus aſſumpſerat, cum in hoc æmulatus fuiſſet exempla virorum, quos Eccleſia pro Sanctis honorat, Inde probata remanet concluſio euidenter.

Dico ſecundò. Non tenetur Epiſcopus Regularis dimiſſo Epiſcopatu ad Monaſterium ſuæ Religionis redire. Hoc probant Nauarrus *vbi ſup.* cęterique Doctores, quos inferius adducam: Sed prius ſuppono ex dictis, Epiſcopum Regularem, nec
372 redire poſſe ad Monaſterium ſine Papæ licentia. Item Papam poſſe dictum Epiſcopum ad Monaſterium ſuæ Religionis remittere in vim Voti obedientiæ, vt probaui *num.* 194. Conſultò dixi, *ad Monaſterium ſuæ Religionis*, nam ex vi Voti obedientiæ non poſſet à Papa reduci ad Monaſterium alterius Religionis, cum hoc excedat ſuæ profeſſionis terminos, vltra quos Papa, ſi nollet ſua ſuprema iuriſdictione vti, ſed tantum ea, quam inducit obedientiæ regularis votum, nihil poteſt Religioſo præcipere, prout *num.* 196. fuſius probaui. In quo apparet diuerſitas ab Epiſcopo, cuius Religio ſuppræſſa fuit, nam iſte non poteſt in vim Voti obedientiæ reduci à Papa ad aliquam Religionem, & in caſu, quo tranſiſſet de vna Religione ad aliam, & prima Religio extaret poſteriori ſuppræſſa, non poſſet in vim eiuſdem Voti reduci ad priorem Religionem, cùm per poſterioris ſuppreſſionem ceſſauerit eſſe cuiuſcunque ſpecifici Regularis Ordinis Religioſus, ſed quia ſecundum Nauarrum *de Reg. Com.* 2. *num.* 34. ille, cuius Religio amplius non extat, remanet ſubditus, etiam eo titulo, quo Religioſus eſt, Epiſcopo Originis, ſi Epiſcopus Religionis prædictæ à Papa reduceretur ad aliquem ſtatum, quẽ vellet eſſe, ac ſi eſſet ſtatus Religioſus, iſte ex natura rei teneretur eo titulo, quo Religioſus eſt, obedire Epiſcopo Originis. At Epiſcopus, cuius Religio extat, remanet Religioſus huius ſpecificæ Religionis; Vnde poteſt in vim Voti obedientiæ à Papa ad ſuam Religionem reduci, ſed nec Epiſcopus, cuius Religio non extat, depoſito Epiſcopatu, ex natura rei teneretur obedire Epiſcopo Originis, ſicut nec alius Epiſcopus quicunque, neque Epiſcopum, qui Epiſcopatui ceſſit, cuius Religio extat, eſſe ex natura rei obligatum redire ad Monaſterium ſuæ Religionis tenent Doctores communiter, quos allegat, & ſequitur Barboſa *Voto Can.* 101. *& de off. Epiſc. par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. *nu.* 18. Non deſunt Doctores alij oppoſitum ſentientes apud eundem Barboſam *ibidem.*

Digitized by Google

dem. Iſti dicunt, amoto Epiſcopatus regimine, reuiuiſcere in Religioſo ea omnia, quæ in religioſa profeſſione expreſſerat, quæque ſuſpenſa cenſebantur durante pontificali officio in caſu, quo eidem officio repugnarent, ſed non extincta, & ideo quia renunciato Epiſcopatu ceſſaret dicta repugnantia, & impedimentum, quod inter ſtatum epiſcopalem, & ſimplicis Religioſi intercefſerat, teneretur, inquiunt, Religioſus iſte ad Monaſterium reuertere, obſeruantias ſuę Religionis ſectari, & Vota omnino complere: Verum ex his, quæ dixi *ſupra cap.* 2. §. 2. *art.* 4. *part.* 4. patet Vota repugnantia Epiſcopali officio ſemel relaxata nunquam amplius reuiuiſcere, & quæ non erant repugnantia, nunquam fuiſſe ſuſpenſa, niſi Pontifex ea ſuſpendere voluiſſet. Ad obſeruantias verò regulæ Epiſcopum Regularem amplius non teneri ex debito legali, etiam depoſito Epiſcopatus munere, fuſius dicam infra *num.* 373. Vnde cum Sanchez *Dec. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 29. nullum Regularem dimiſſo Epiſcopatu ad Monaſterium de iure reduco, nec etiam à dignitate ex propria culpa depoſitū, niſi fuiſſet depoſitus, & degradatus, hic enim ad Monaſterium redire cogeretur, vt dixi *num.* 345. Caſtro-Palaus *tom.* 3. *trac.* 16. *diſp.* 4. *part.* 14. *num.* 25. tenet Cardinalem Regularem Cardinalatui cedentem redire debere ad Religionem, nam in Cardinali dignitati cedente non remanet aliquis character indelebilis, per quem ab hoc reditu eximatur, ſicut remanet in Epiſcopo etiam epiſcopali regimine depoſito, qui eum ab illo reditu ad Religionem abſoluit.

Sed ſi Regularis Epiſcopus permitteretur Religionem repetere, vel à Pontifice ad Monaſterium ſuæ Religionis reduceretur ex vi Voti obedientiæ, quod euenire poſſe *ſup. num.* 194. probaui, volunt quidam Doctores in tali caſu illum teneri ad emittēdum de nouo Vota ſubſtantialia, quia hæc Vota, inquiunt, iam fuerant per ordinationem epiſcopalem extincta, contra quos egi ſuperiori *Cap.* §. 2. Alij hoc limitant ad Votum obedientię, quod dicunt, vel ceſſaſſe, vel mutatum fuiſſe per aſcenſum ad Epiſcopatum in obedientiam Sum. Pontifici, in illo ſtatu ex nouo obedientiæ Voto debitam, & ideò volunt Regularem ſponte ad Monaſterium reuerſum, renunciato Epiſcopatu, iterum profiteri debere obedientiam Prælatis Regularibus; Si verò Monaſterium repeteret Sum. Pontifice iubente, dicunt tunc ipſum Sum. Pontificem virtute Voti obedientiæ ſibi vt ſupremo Prælato debitæ ſubijcere debere eundem de nouo Prælatis Regularibus, quibus pro-

propterea teneretur ex Voto obedire. Sed ego *loco cit. art.* 2. oppoſitum ſectatus ſum, dicendo, per reditum ad Monaſterium remoueri impedimentum, quo detinebatur Epiſcopus ille ne Prælatis Regularibus ſubijceretur, cum Votum habitualiter in hoc etiam inclinaret, dum eſſet in officio Epiſcopali, quod enim prius non ſubijceretur illis Prælatis, erat per accidens, Votum autem obedientiæ idem quantum ad ſubſtantiam perſeuerabat; remoto ergo per reditum ad Religionem illo accidentali impedimento, ex vi eiuſdem Voti Prælatis eiſdem iterum ſubijceretur. Vt dicta clarius explicentur, & omnis ambiguitas tollatur, breuiter compilare ſtatui, quæ ſupra fuſius pertractata, & probata ſunt. Igitur.

373 Admittendum eſt Primò, fuiſſe in Epiſcopo Regulari penitus extinctum debitum legale ad regulę obſeruantias complendas *ex cap. Statutum 18. quæſt. 1.* & hoc debitum non reuiuiſcere depoſito Epiſcopatu, cum ab hoc debito fuerit ſolutus in perpetuum, & ideo reuerſus ad obedientiam Pręlatorum Regularium, non poſſet ab illis cogi ad obſeruantias omnes in regula pręſcriptas, ſed ſolum ad illas, quę ſunt à regula conſtitutę tamquam conuenientes ad obſeruantiam Votorum, & ſtatum illius decentiam, & honeſtatem. Vnde Epiſcopus Franciſcanus pro cuſtodia Caſtitatis, & Paupertatis poſſet cogi ſub mortali ad Ieiunia, quæ ſub mortali præſcribit regula Minorum, & ad ſeruandum rigorem paupertatis Franciſcanę iuxta menſuram, & terminos in regula expręſſos, cum hac tamen limitatione, quod bona temporalia hęreditario Iure ſibi debita, quæ in illo Religioſo ſtatu nullo modo nec ſibi, nec Monaſterio potuiſſet acquirere, quæque ſi non eſſet Epiſcopus, peruenirent ad eos, qui ſecundùm leges legitimè ſuccederent, Sum. Pontifici Iure dominij acquirerentur, hoc enim ius ſuccedendi in bonis hęreditarijs, quod in ſimplici Religioſo Franciſcano erat ſuſpenſum, per epiſcopalem dignitatem reuiuiſcit, & quia hęc dignitas in tali Religioſo permanet, permanet conſequenter Ius Sum. Pontifici acquiſitum in bonis iſtius Epiſcopi ſuccedendi. Sum. enim Pontifex ſuccedit de iure in bonis Epiſcoporum Regularium, qui regimine epiſcopali carent, *vt ſup.* §. 1. probatum eſt. Si verò contra dictas obſeruantias faceret pręfatus Epiſcopus, non faceret contra regulam pręcipientem, nec pœnam, ſeu culpam aliquam à regula pręſcriptam incurreret, cum regulę non ſit aſtrictus, ſed faceret contra Votum obedientię, & ideo Pręlatus dictas regulę obſeruantias in-

imponere deberet ſub certis pœnis, ſi intenderet dictum Epiſcopum illas obſeruantias prçuaricando, pœnas incurrere, nam tunc obſeruantias illas omittendo, faceret contra voluntatem potentis illum aſtringere ad eas ſub certis pœnis ex vi Voti obedientiç complendas. Ita docet, loquendo de Religioſo, cuius Religio fuerat ſuppreſſa, Suarez *de Rel. tom.4. tract.8. cap.6. n.17.* quod applicari debet etiam ad Epiſcopum, in quo eſt potiori titulo maior ratio ſolutionis à iugo regulç.

374 Admittendum eſt *ſecundò*. Epiſcopum Regularem depoſito Epiſcopatu habere ſufficientem cauſam, propter quam, etiam in hoc ſtatu, ſolutus, & liber perſeueret à regulæ obſeruantijs, & Prælatorum ſubiectione, ſcilicet dignitatem epiſcopalem, quam etiam ſine loco, & officio retinet, in quo diuerſificatur à Generali Regularis Ordinis, qui amotus à Generalatu, redit ex natura rei ſubditus, ſicut prius, nam in hoc Religioſo ceſſat omnis cauſa exemptionis à Prælatis ceſſante Generalatu.

375 His admiſſis concludo, dicendum eſſe, remoto impedimento per Papam, vel permittentem, vel præcipientem reditum Epiſcopi ad Religionem, quod impedimentum ex natura rei non remouetur per ſolam amotionem ab officio Epiſcopatus, vt dictum eſt, idem votum obedientiæ ex natura rei inducere effectum ſuum ſubijciendi iſtum Epiſcopum Regularem eiſdem Prçlatis, quos ante Epiſcopatum habebat, ac inferre eandem obligationem, & reintegrari in ijs, quæ ex prima ſui nuncupatione ſibi competebant, nec indigeret emittere nouum Votum obedientiæ, ſicut nec alia Vota Paupertatis, & Caſtitatis, vt rectè dixit Card. Lugo *reſp. moral. lib. 5. dub. 12. n. 8.* & ego ſupra probaui; Vnde Epiſcopus Regularis depoſito Epiſcopatu, ſi modo ſupradicto ad Monaſterium reuerteretur, vi eorundem Votorum eſſet æquè Religioſus, ac alij Religioſi, qui nunquam fuerunt Epiſcopi, cum hac ſolum differentia, quòd nulla in eo reuiuiſceret obligatio ad regulam, ſed ſolum teneretur ad ea omnia, quæ pertinent ad Votorum obſeruantiam, & ſtatus Monachalis honeſtatem, neque indigeret nouo Voto, quo Prælatis iterum ſubijceretur; impedimentum enim dignitatis eſt per accidens, vt explicatum eſt.

376 Quæ dixi de Regulari Epiſcopo, qui ſimpliciter dimiſit Epiſcopatus officium, accomodari poſſunt cum debita proportione ijs Epiſcopis, qui coguntur ad tempus à ſuis Diœceſibus abeſſe, cum ad eas accedere non permitterentur; hoc tem-

pore

pore durante, volunt aliqui eos teneri redire ad Monaſterium ex eadem ratione, qua tenentur in eorum ſententia redire ad Monaſterium Epiſcopi; qui ceſſerunt Epiſcopatui ſimpliciter, de quibus authoribus ſupra memini; ſed ego cum communiori ſententia, ipſos ad hunc reditum non teneri credo, ſi verò redire vellent, vel à Papa ad Monaſterium reducerentur, ita vt priorem Religioſi ſtatus humilitatem inſtituerent, puto quod omnino ab ipſis prius exigendum eſſet, vt Epiſcopatui ſimpliciter cederent, dixi enim dedecens eſſe, Epiſcopum ſubditorum regimen habentem in ſtatu humilis religioſę profeſſionis viuere: carere verò regimine ſubditorum ad tempus, non eſt Epiſcopali officio carere ſimpliciter; cum hoc non obſtante, Epiſcopus habeat epiſcopalis officij impoſitum onus, quod cum dignitate coniunctum certum eſt cohęrere non poſſe cum humili Religioſi conuerſatione, ſicut cohęrere poteſt cum Dignitate, ſi ab officio ſepararetur, vt accidit in Epiſcopo Titulari, & in eo, qui Epiſcopatum abſolutè dimiſit.

Pro vltimo huius Operis complemento quęrendum eſſet; Vtrum Epiſcopus Regularis, qui ceſſit Epiſcopatui, poſſit iterum in Epiſcopum eligi, ſed ex dictis §. *ſuperiori* huic quęſito ſatisfactum eſt.

His vltimis lineis ductis; Tabulę, quam delineabam, poſtremam manum impono, pulchrum depinxi Epiſcopum Regularem pictor fœdus; Tuam candide Lector beneuolentiam, quam in huius operis initio exegi, iterum in eius termino imploro, quo affectum meum acceptum habeas, & operis defectus excuſes.

Sanctę Romanę Eccleſię, cuius fides eſt ad ſalutem neceſſaria, cuius veritas eſt infallibilis, cuius iudicium eſt certum, omnia, quę in hoc Tractatu dixi, delenda, & corrigenda ſubmitto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVS DEO.

Index

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Numerus numerum marginalem denotat.

A

Abbates, qui Epiſcopi eligi non poſſunt. 55
B. Albertus Magnus neglecta fama ceſſit Epiſcopatui. 149
Actiones, quibus Epiſcopus Regularis aſſumitur ad Epiſcopatum. 64
S. Ambroſij media, quibus declinabat Epiſcopatum. 143. 159
S. Antonini Ord. Pręd. Archiep. Florentini diſciplina in Epiſcopatu. 167
Antonij, ſeu Ammonij factum ad declinandum Epiſcopatum. 143 159
Archidiaconi Iuramentum de non acceptando epiſcopatum expenditur. 157
S. Auguſtini ſententia de conſenſu pręſtando à Regularibus dum ad epiſcopatum aſſumuntur. 2. qualis ipſe fuerit in Habitu. 166. eius Menſæ ſobrietas. 167. quomodo coactus acceptauerit epiſcopatum. 193

B

Bartholomæi Bononienſis Ord. Præd. acceſſus ad Archiepiſcopatum Armenię. 355
Bartholomęus de Martyribus Ord. Pręd. quomodo coactus Archiepiſcopatum acceptauerit. 84. eius propoſitum viuendi in ſtatu epiſcopali. 168. renunciato epiſcopatu ad Monaſterium reuertitur. 360
Bona temporalia debentur Epiſcopo Regulari. 204. 205. quę acquirit à momento, quo in Epiſcopum confirmatur. 211. ſed non iure dominij. ibid. 213. 231. nam libera adminiſtratio non inducit ius dominij. 205. hoc ius acquirendi reuiuiſcit in Epiſcopo ex quocumque Ordine aſſumpto. 212

Kk Bona,

Bona, quę habet Regularis dum fit Epiſcopus debet ante conſecrationem dimittere Monaſterio. 221. pœnas incurrit, ſi id omittat. 222. &c. quę poſſit ſibi retinere. 222. 224. quę de licentia Pręlati Regularis. 224. quando de retentis teneatur conficere inuentarium. 226. ex iuſta cauſa poſſunt ei abſolutè donari: 227

Bonorum temporalium vſus Epiſcopi Regularis. 231. 233. 237. in hoc vſu quomodo peccare poſſit. 239. 240. & quando obligetur ad reſtitutionem. 239. prędictus vſus non pugnat cum Paupertate. 234. diſcrimen in hoc vſu dicti Epiſcopi ab Epiſcopo Sęculari. 235

Bona Eccleſiaſtica diuiduntur. 236

Bona Epiſcopi Regularis Titularis, vel eius qui Dignitati renunciauit, ſeu ad alium Epiſcopatum tranſiuit, cuius erunt. 354. 363

C

CAluini error improbatur. 1

Canonicorum Lateranenſium ius eligendi Sum. Pontificem. 4

Canonici Regulares Habitum certum habent. 324. quo iure illum deponant in ſtatu epiſcopali. ibid. in multis æquiparantur Monachis. ibid.

Cardinalium S.R.E. ius in eligendo Sum. Pontificem. 4. nemine eorum ſuperſtite, vel tantum vno exiſtente quid agendũ eſſet. ibid. Sede Vacante non poſſunt creare Cardinales. 78. de eorum Collegio eligendus eſt Sum. Pontifex. ibid. quædam limitationes. ibid.

Caſtitatis Votum perſeuerat in Epiſcopo Regulari. 181. 186. eius violatio in ſtatu epiſcopali eſt circunſtantia in Confeſſione aperienda. 187. quod extendendum eſt ad cętera peccata mortalia. ibid.

Clerici Regulares quem certum Habitum habeant. 323. quo iure illum deponant dum fiunt Epiſcopi. ibid.

Coactio præcepti explicatur. 107

Concilij Generalis ius eligendi Sum. Pontificem. 4. in ſuis Decretis Sum. Pontificem non comprehendit. 23.

D

DOnationes inter viuos Epiſcopi Regularis. 243. immodicæ non ſubſiſtunt. ibid.
Vide litt. T. verbo, Teſtari.

E

ECcleſia. Vide litt. B. verbo Bona, & litt. T. verbo Teſtari.
Eiectus, ſi fiat Epiſcopus, non poteſt reaſſumere Habitum regularem quo fuerat priuatus. 234. in vſu Bonorum temporalium æquiparatur Epiſcopis Regularibus. ibid.
Electio Epiſcopi Regularis. 1. 32. 39. 68. etiam Titularis. 86. 353. 355. 356. electus qualis eſſe debeat. 42
Electio Epiſcopi in Eccleſia Græca ſemper eſt de perſona Regulari. 42
Electio Epiſcopi Vtrum expediat quod fiat de perſona Regulari. 58. non poteſt eodem modo fieri de Regulari ex Ordine Mendicantium, & ex Ordine non Mendicantium. 69. 71. explicatur electio in diſcordia. 69. 72. & cum minori numero eligentium. 73.
Electio Regularis exigit Prælati Regularis conſenſum. 74. 75. 77. dummodo non eſſet electus Sum. Pontifex. 78. ſeu transferretur ad alium Epiſcopatum. ibid.
Electio quæ non poteſt eſſe de perſona minori xx. Annis. 85
Electio Sum. Pontificis. 5
Epiſcopalis ſtatus pericula. 13. 30. 58
Epiſcopatus opus bonum. 100. in eo tria conſiderantur. 93. iniunctus quomodo ſit accceptandus. 111. &c. An ſit materia Voti. 105. non eſt procurandus, nec appetendus. 16. 47. 92. 95. 100. 101. maximè à Regulari, 99. cui tamen licet appetere opera Epiſcopo digna. 96. 106
Epiſcopi omnes aſſumuntur à Romano Pontifice. 7. ſi Regularis fuerit ab eo promotus, nulla indiget confirmatione, 8. nec Regularis Prælati conſenſu. 80. promouentur aliquando, qui fuerunt vxorati, ſed non bigami, 52. & illi, qui habent filios. 53.
Epiſcopi an eligere poſſint ſibi ſucceſſores. 67. ſi ſint Regulares non poſſunt ſine conſenſu Papæ ad Religionem reuertere. 364. 366. 370. etiam epiſcopatu dimiſſo. 367. 373. ſed poſſunt à Papa ad Religionem remitti. 194

Digitized by Google

Epiſcopus Regularis electus ex Ord. Mendicantium. 70. quicumq; in Epiſcopum electus cuius indigeat facultate ad acceptandum. 80. eius mores in epiſcopali ſtatu. 160. 163. 165. &c. 172. 173. reuiuiſcit ad vitam ciuilem. 164. in quo differat ab Epiſcopo Sęculari. 167. 174. 238. deſerere non debet regularis vitę propoſitum. 134. 168. tenetur ſpecialiter ad concionandum. 170. 171. indiget diſpenſatione pro acquirendis aliis redditibus eccleſiaſticis. 216. remanet eſſentialiter Religioſus. 177. &c. poteſt eſſe Patrinus in Baptiſmo. 344

Epiſcopus Regularis, qui ab epiſcopatu deponitur. 345. qui non poteſt accedere ad ſuam Eccleſiam. 262. qui intendit dimittere epiſcopatum. 358. &c. hoc dimiſſo non reuertitur ex natura rei ad Religionem. 367. 373. ſi reuerteretur, quomodo in eo reuiuiſcerent Vota, & Regulæ Obſeruantię. 372. 373.

Epiſcopus Regularis, quibus Priuilegijs fruatur citra ea, quę cæteris Epiſcopis ſunt communia. 342. 343. 369. coercetur pœnis Canonum, non verò ſuę Religionis Regulis decretis. 350. Verum poſſit reuocare Renunciationem factam ante Profeſſionem. 217 &, ſi habeat vnde viuat, poſſit vti redditibus eccleſiaſticis. 219. Dimiſſo epiſcopatu, quomodo iterum eligi poſſit in Epiſcopum. 365

Vide litt B. verbo, Bona. litt. O. verbo, Obſeruantię. litt. R. verbo, Regularis. litt. V. verbo, Votum.

F

FEſtum Natiuitatis Domini noſtri IESV Chriſti in 6. feria, vel ſabbato occurrens, in eo quomodo Epiſcopus Regularis poſſit comedere carnes, & ieiunium frangere. 311

G

S. Gregorius Magnus, quomodo coactus Romanum Pontificatum acceptauit. 139

S. Gregorius Nazianzenus famam neglexit, vt ei liceret epiſcopatum deponere. 149

H

HAbitum Regularem geſtare tenetur Epiſcopus Regularis. 326. 335. ex debito legali. 329. vno excepto Regulari Sum. Pontifice. 327. cuius Cadauer an Habitu Regulari ſit induendum. 332. hic Habitus occultari non poteſt ab Epiſcopo Regulari. 338.

338. 340. nec dimitti, ſi id faciat, quibus pœnis puniatur . 351. 352. de hoc Habitu multa . 322. & de vſu Collaris lanei. 341
Habitus quomodo ſit de ſubſtantia Ordinis Religioſi, 330. poteſt inſtitui Religio, quę nullum certum habeat. 331. geſtari non poſſet à Nouitio, vel eiecto, ſi fierent Epiſcopi. 333. 334

I

IEſuita, Vide litt. S. Soc. IESV.
Imperatorum prętenſum ius in eligendo, ſeu cõfirmando Rom. Pontificem. 4
Ioannis Andreę dictum reprędenditur. 1
Irregularitates, quę ceſſant ſecuta profeſſione religioſa. 344
Iuramentum de non acceptando epiſcopatum. 158
Vide litt. V. verbo, Votum.

L

LVdouici Granatenſis Ord. Pręd. factum examinatur. 84. eiuſdem Concio de Moribus Epiſcoporum commendatur. 54

M

MEndicantium Ordinum Religioſi non poſſunt eligi ad epiſcopatum in diſcordia, 69. de Religioſis Ordinum non Mendicantium. 71

N

NOuitius poteſt eligi in Epiſcopum. 1. ſi eligeretur, deponeret Habitum Regularem. 334

O

OBedientię perfectio explicatur. 110. eiuſdemque diuiſio. 124 & meritum. 133. & Votum in Epiſcopo Regulari. 188. 189. etiam ſi eſſet Sum. Pontifex. 198
Obedientię Voto Epiſcopus Regularis ſubijcitur ſoli Papę. 190. 192. à quo tempore abſoluatur ab Obedientia Prędatorum Regularium. 199. eiuſdem Obedientię ad Monaſterium reuerſi. 191. 197. 375
Obſeruantię Regulares quomodo pertineant ad Epiſcopum Regularem. 304. 307. 310. 313. 348. 349. diuiduntur in tria genera. 303. earum diuerſitas à Votis. 208.
Officij diuini Ritus, quem tenentur ſequi Epiſcopi Regulares. 315 316.

316. ipſorum commenſales Religioſi poſſunt eis in hoc Ritu cooptari. 317

P

PApa. Vide Pontifex Rom. infra.
Paupertatis Votum Epiſcopi Reg. 202. 206. 209. in hoc Voto omnes Regulares Epiſcopi conueniunt. 208. Vide Bona temporalia. litt. B.
S. Petri Damiani epiſcopatus reſignatio. 14. 31
Petri Abailardi error improbatur. 51
Pontificis Romani electio. 4. 5. quæ ſemper fieri debet à S. R. E. Cardinalibus. 78. ipſe eſt Epiſcopus Eccleſię vniuerſalis. 4. 5. Vtrum poſſit eligere ſibi ſucceſſionem. 6. poteſt condere leges in electione Sum. Pontificis obſeruandas. ibid. aſſumit omnes Epiſcopos. 7. 16. poteſt promouere Regulares ad epiſcopatum, eoſque cogere ad acceptandum. ibid. 18. 20. 23. promoto dat eo ipſo facultatem ad acceptandum. 62. Vtrum teneatur eligere meliorem. 20. habet in omnes abſolutam iuriſdictionem. 15. eius iuriſdictio ſuper Vota Religioſorum. 194. quomodo imponat opera conſilij. 20. non poteſt cogere ad Matrimonium. 23. 26. ex vi Voti Obedientię non imponit Regulari epiſcopatum. 2. 23. 25. 196. plures Religioſi fuere Summi Pontifices. 6. 40. Religioſi ad acceptandum Romanum Pontificatum non indigent Pręlati Regularis conſenſu. 61
Vide Epiſcopus Regularis, & Electio litt. E. & Votum litt. V.
Pręcepti coactio. 107. non tollit voluntarium. ibid. Pręcepti diuiſio. 124
Prędicatorum Ordinis Pręlati, qui conſentiunt in electione ſuorũ Religioſorum. 75. 80. horum pęna, ſi ſecum ferant bona, quæ habent cum fiunt Epiſcopi. 222. &c.
Prælatura Regularis quando ceſſet cum Pręlatus fit Epiſcopus. 200
Pręlati Regularis conſenſus pro acceptando epiſcopatum. 74. 76. 78. 81. 83. quis veniat nomine Prælati. 80. 81. non poteſt cogere ſubditum ad conſentiendum electoribus. 82. 83. Præſumptionis nota in acceptatione epiſcopatus. 60. 74

R

REgularis dum tranſit ad epiſcopatum non eſt Apoſtata. 1. non ſe præparat in Monaſterio ad epiſcopatum. 2. quòd aſſumatur debet eſſe præter eius intentionem. 3. cogitur aliquando acceptare epiſcopatum. 29. 82. 84. 141. Vtrùm peccet recuſando. 49. quan-

Digitized by Google

491 quando recuſare ſit melius. 138. & quando acceptare. 50. ſponte, vel coactè. 111. &c. impedimenta, quæ poteſt opponere ne Epiſcopus fiat. 145. 149. 159. quæ tenetur remouere. 154. non poteſt ſimulare virtutem, vt Epiſcopus fiat. 98. Vtrum illi expediat aſſumi ad epiſcopatum. 49. 102. in quo incidit in plura ſalutis pericula. 136. factus Epiſcopus à quo momento abſoluatur à iugo Regulæ. 199. 354. in quo ſenſu ſit in eo velle, & nolle. 83. illegitimus Regularis an poſſit ſine diſpenſatione eligi in Epiſcopum. 344

Vide Epiſcopus Regularis. litt. E. Relaxatio Votorum litt. R. Votum. litt. V.

S

SAncti Regulares coacti ad acceptandum Epiſcopatum. 19. 139 qui epiſcopatum recuſarunt. 59

Sanctorum Regularium Ordinum Fundatorum ſtudium in auertendo ſuos Religioſos ab epiſcopatu. 56

Societatis IESV Religioſi emittunt Votum de non acceptando epiſcopatum. 97. ad hoc Votum non tenentur iam Epiſcopi. 293. Alia ipſorum Vota. 293. 363. 399. Votum Paupertatis Religioſorum poſt biennium expenditur. 117. 221. 241. ſi eligantur iſti in Epiſcopos, cuius Prælati indigeant conſenſu. 80. Vtrum poſſint etiam ſolemniter profeſſi acceptare aliquando epiſcopatum non coacti. 132. Priuilegia Societatis, quæ retinent in ſtatu epiſcopali. 342

T

TEſtamentum ſeu Donatio, quæ Regularis fecerat ante profeſſionem, Vtrum poſſit ab eo iam Epiſcopo reuocari. 217

Teſtari, & Donare quando poſſit Epiſcopus Regularis. 241. & c. ad teſtandum indiget Papæ facultate. 246. quæ ſint explicanda in hac facultate. 249. An ſit concedenda tantum ex iuſta cauſa. 247. non ſpirat per mortem concedentis. 250. poteſt eſſe poſterior condito Teſtamento. ibid. poteſt ad effectum pluries reduci. ibid. An extendatur ad Donationes cauſa mortis, & ad Codicillos. ibid. quis nam ſuccedat Epiſcopo Regulari habenti facultatem teſtandi, ſi ab inteſtato decedat. 248

Teſtandi conſuetudo cedit etiam in fauorem Epiſcoporum Regularium. 252

Teſtamentum conditum ab Epiſcopo Regulari habilitato à Papa ad teſtandum, poteſt ab eodem irritari. 251
S. Thomę de Villanoua Obedientia. 84. Propoſitum. 168. moderatio in ſubueniendo conſanguineis. 243.

V

VEſtes Epiſcopi Regularis. 318. 321. 325. Vide Habitus lit. H.
Votum de non acceptando epiſcopatum niſi coactè, an per tranſitum ad aliam Religionem extinguatur. 80. 257
Vota Epiſcopi Regularis etiam non relaxata ante epiſcopatum. 260. à quo relaxentur. 261. 262. 263. 276. 278. 279. 283. 301. & quę poteſt ſibi relaxare. 284. 285
Votum Epiſcopi de Peregrinatione expenditur 270. 281. & de re incompoſſibili cum epiſcopatu. 282. 293
Votum de non acceptando epiſcopatum niſi præceptorum coactione expenditur. 132
Vota Paupertatis, & Caſtitatis an ſint æquè relaxabilia. 203
Voto tranſeundi ad ſtrictiorem non ſatisfit per epiſcopatum. 103. 104
Votum, cuius petitur relaxatio an ſit Prælato manifeſtandum. 156. 300
Vota ſolemnia, ſimplicia, & acceſſoria. 180
Vota, quæ Iuramentis æquiparantur. 253. quæ in religioſam profeſſionem commutantur. 256. 258. de re interdicta, & non interdicta. 266
Vota emittere poteſt Regularis in Religione. 259. & in ſtatu epiſcopali. 264. 271. ſed omnia debent eſſe conditionata. 267
Vide Caſtitas litt. C. Obedientia, litt. O. Paupertas, litt. P.

FINIS.

423,788

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

oogle